Ce Livre fut vendu Vingt quatre Livres
a la Vente de La Bibliotheque de Colbert
p. 1285. t. 3.

De Vellu[illegible]

ANGELI DECEMBRII MEDIOLANENSIS, ORATORIS CLARISS. DE POLITIA LITERARIA LIBRI SEPTÉ,

toris clariſs. de Politia literaria libri ſeptẽ, multa & uaria eruditione referti: ante annos centum ſcripti, & nunc tandem ab infinitis mendis repurgati, atque omnino rediuiui.

AD ILLVSTRISSImum principem Alfonſum Ateſtium, II, Ferrariæ ducem inclytum.

Acceſsit quoq; Rerum & Verborum memorabilium, INDEX.

BASILEÆ, PER IOANNEM *Heruagium*, *Anno* M.D.LXII.

ILLVSTRISSIMO ATQVE OPTIMO PRINcipi, Alfonso Atestio, Ferrariæ, Mutinę, Regij, atque aliarum prouinciarum duci, & domino, Augustinus Curio S.P.D.



AVDIO te, Atestiorum decus Alfonse, rem omnium pulcherrimam moliri: & in qua maximi atque optimi diuersarũ gentium reges, non postremam sui imperij curã, infinitis propè sumptibus, posuerunt. Conquirendis enim omnium generũ, linguarumque libris, cum idoneos homines præfecissẽt, Pisistratus in Græcia, Ptolemæus Philadelphus in Aegypto, Eumenes Attali F. in Asia, Mansor ille magnus in Africa, alijs item locis alij, ingentem librorum uim, Athenis, Alexandriæ, Pergami, & Marocci collegere: non minus certè regium existi

 mantes,

mantes, ingeniorum monumentis immortalibus regnum ſuum ornare, quàm auro gemmisq́; , atq; id genus caducis rebus, habundare. Horum te nunc inſtitutum ingẽti animo ſequi, iam apud omnes Europæ nationes, nõ obſcura fama nunciatur. Qua in re non illos modò habes, quos nominaui, autores, uerumetiã & in Italia & in Gallia maiores tuos: inter quos maximè eminent Magnus ille Laurentius Medices: unde ſocer tuus Coſmus, qui nunc Hetruſcis imperat, propinquum ducit genus: & proximè Franciſcus Galliæ rex, qui matris tuæ (quam ſummi honoris cauſa nomino) ſororem in matrimonio habuit: cuius egregia in artes ingenuas omnes uoluntate atque opibus, nunc literæ elegantiores, linguæq́; in Gallia excoluntur & florent. Nec tamẽ in clariſſima ueſtra Aeſtiorũ ſiue Eſtenſium gente huius laudis, ut nec aliarum exempla deſunt. Neque enim neſcis, lectiſſime princeps (ut

nunc

nunc patrem tuum omittam, in hoc quoq; genere laudis reponendum: quod uel ex eo facile intelligitur, quod te tanta cura erudiendum, & liberalibus disciplinis expoliendum Bartholomæo Riccio, uiro politissimo, tradidit, & cõmendauit) optime inquã tenes, quam fuerit omniũ laudabilium artium & doctrinarũ cognitione instructus, Magni Borsi aba ui tui frater, LEONELLVS. Hic enim præter alia regiæ magnificentiæ opera & monumenta, quibus Ferrariã illustrauit, bibliothecæ cum primis instruendæ atq; ornandæ, cogitationẽ susceperat: et quod susceperat omnino per fecisset, si ei uita (uix enim nouem imperauit annis) suppeditasset. Nam cum esset ipse doctissimus & humanissimus, doctos semper homines secum habere uoluit, qui cum de uarijs rebus atq; artibus quæstiones agitaret: inter quos ipse tanto acumine, tantáq; dicendi facultate differebat, ut eum quasi Socratem alte-

rum audirent: eiusq́; iudicio omnes li-
benter acquieſcerent. Quod quidem au-
ribus tuis dare Alfonſe princeps uide-
ri poßim, niſi hæc & longè plura ab e-
iuſdem ætatis hominibus, literarum illu
ſtribus monumẽtis tradita eſſent. Atq;
ut annales nunc certißimos præteream,
uel unus Angelus Decembrius Me-
diolanenſis magno uir ingenio, oratorq́;
illa ætate celeberrimus, me omni huiuſ-
modi prorſus ſuſpicione liberat. Is nan-
que, eius cũ doctis uiris ſermones, haud
ſecus quàm Socratis Plato, cum ille lite-
ram non reliquiſſet, immortalitati, ijs
quos ſeptẽ de Politia literaria ſcripſit,
libris conſecrauit. Hoc opus, cum ego
alicubi in tenebris iacere uiderem, illicò
arripui, nihil dubitans præclari aliquid
eſſe oportere, in quo Leonellus ipſe di-
ſputans induceretur, quodq́; Pio Secun
do P. M. uiro doctißimo, inſcriberetur.
Poſtea uerò cũ opus totũ attentius euol
uerẽ, eruditũ ſanè, ac uarium, omniq́; hu
mani-

manitatis lepôre cõditũ, cognoui: sed mẽdosissimè descriptũ. Itaq; ad id repurgãdũ & corrigendũ, me totũ conuerti: ac, nisi me omnia fallũt, ita perfeci, ut nõ multũ abesse putẽ ab autoris ipsius scriptione, & primi exemplaris ueritate. Locorum enim supra duo millia restituimus: ueterum autorũ testimonia, quæ innumera, eaq; lectissima adducit, cũ ipsis autoribus contulimus: atq; opera & libros, unde sumpta fuerant, diligenter notauimus: in quibus notandis etiam illud fecimus, ut lectionis uarietatem, quæ probaretur, in margine indicaremus. Hanc meã in tã fœde lacero, & corrupto opere diligentiã, cum eruditi quidã, re ad calcẽ perducta, cernerent, me Aesculapiũ appellabãt, qui hunc autorẽ, ut ille Hippolytum, non pæonijs herbis, & amore Dianæ, sed labore indefesso, et cũ literarũ, tũ maximè Atestiorũ omniũ amore, in uitã reuocassẽ. Quicquid aũt illud est, quod præstitimus, magna certè quadam

illius optimi principis, cuius laudes, totiusq; uestræ gẽtis, paßim in hoc opere leguntur, admiratione primũ impulsus feci: deinde, ne autor tã eruditus, ac pro eius ætatis ratione, disertus atq; iucundus, in situ ac tenebris delitesceret: sed quã ipse lucẽ latinis literis extrema barbarie obscuratis ac propè sepultis, afferre conatus est, ea tãdẽ frueretur. id quod ipsum haud dubiè assequi posse uideo, si in tua ista illustri bibliotheca, atq; adeò Amalthea, locũ per te nactus erit, quẽ sua in Estenses egregia uoluntate, meritus est. Scribit enim Decembrius ipse, in ipso statim operis limine, se Politiæ suæ commentarios, Leonello principi elegantißimo inscripturũ fuisse, nisi mors eum intempestiua (qui nunc annus est centesimus uicesimus secundus) rapuisset. Accedit etiam, quòd eidem primas in disputando partes attribuit: quo æquius est, ut ad Leonelli posteros, atq; ad eum maximè redeant, qui ipsius prin

cipis

cipis in bibliotheca instruenda, philologiaq́; quã autor Politiam literariam appellauit, exornanda & cumulanda, sequitur institutum: ac plurimis & maximis animi fortunæq́; muneribus, & illũ & cæteros omnes superiores antecellit. Hæc sunt ALFONSE *princeps optime, quæ me, ut hoc opus in tuo florentißimo nomine emitterem, impulerunt. Quamobrem, te etiam atq; etiam uehementer oro, ne hunc meum in te, Atestiosq́; omneis animum, atq; hanc in hoc autore restituendo industriam qualemcũq; aspernari uelis: quod quidem alienũ ualde à tua natura esset, ac moribus. Sine me nunc primum alieno in opere, aliquã apud te colligere gratiam, & laudem inuenire. Ex hoc enim iuuenili conatu, atque ex hac adolescentiæ indole, aliquando fortè prodibũt, quæ me proprijs, nõ alienis ornent laudibus. Vale.*

Patauij, Calend. Ian.

M.D.LXII.

CAPITVM SIVE PARTIVM SEPTEM Politiæ literariæ librorum, Index.

SECVNDI LIBRI CATALOGVS.

adhuc

TERTII LIBRI CATALOGVS.

QVARTI LIBRI CATALOGVS.

QVINTI LIBRI CATALOGVS.

Quòd

De

SEXTI LIBRI CATALOGVS.

SEPTIMI LIBRI CATALOGVS.

De

De

CATALOGI FINIS.

LECTORI.

Edito iam opere, quædam animaduertimus, ut fit, quæ emendaremus.

Pagina 5. in partis secundę summa, pro seu, lege, sic latinè dicta. Pag. 54. uersu 15. pro Climaciq;, lege Symachiq;: quæ uerò è regione in margine notata uides, abijcienda sunt. Pag. 171. in margine uersu 5. lege quin, siquidem. Pag. 422. in summa partis 55. lege, quæ Iulia dicitur. Pag. 505. uersu 9. melius erit legere, quales uenarum ambitus, quàm Sirenarũ, aut Symmetriarũ. Pag. 673. uersu 20. recolligeris. Reliqua si qua sunt, tu Lector facilè corriges.

ANGELI DECEMBRII MEDIOLANENSIS, AD SVMMVM PONTIFICEM, *Pium II. oratorem clarum, de Politia literaria, primi libri Prologus: in quo eiusdem simul Pontificis, & praeclari principis Leonelli Estensis laudes memorantur.*

PARS PRIMA.



OLITIAE literariæ Commentarios, Romane summe pontifex Pie Secunde, quam nō à Poli ciuitate, Græca deriuatione: sed à nostris, hoc est, à poliendo seu politè scribēdo appellare libet, iampridem in Italia ad elegantissimum principē Leonellum, familiæ Estensium clarissimæ, scribere decreueram, eoq; magnificentius futurum ratus, quòd eiusdem ipse materiæ potuisset disputator extitisse: nunc optimi principis intempestiua morte prærepta, in utriusque Hispaniæ confinibus morans, nomini tuo mandare proposui. Quantum uerò percuperē talem ab omnipotente mihi benedicendi datam esse facultatem, ut Augustinus & Hieronymus habere meruerunt, scripsissem opus profectò nō minus sanctissimæ integritati, quàm eloquētissimo tuo ingenio satisfacturū. Quorum cum primum apud me deficiat, de altero quantum naturæ doctrinæq; beneficio conse-

qui licuit,præsentes libros institui. Cęterùm propositi mei seriē ingredior. Igitur ipse Leonellus cum uiuens inter omnes non solùm nationis nostræ principes (quod mirum est ætate hac regnātes humanitatis studijs exerceri) uerùm & inter cæteros doctissimos uiros peritissimus haberetur, eius præclaram indolē, pijssimum ingenium, perfectam eruditionē, eximia ueneratione prosequebar: ad quem uisendi gratia potissimum, ut de Tito Liuio ferunt, ex Mediolanensi patria contenderā. adhærebant ei continuè quàmprimum à cubili uel mensa consurgeret, cùm ex equestri, uel sacro item ordine, delecti uiri, tum è reliquis Ferrariensis urbis suę ciuibus plerique genere nobiliores, alij Reipub. muneribus intenti, pars & literarum studiosi. In quibus Guarinus Veronensis orator celebris, Vgucio contrarius, insigni grauitate, & magnarum rerum administratione, consilioq; uenerabilis: Feltrinus Boiardus, Albertus Constabilis, & generis nobilitate, & equestri ordine præstantes, ijdē in memoranda historia promptissimi: Ioānes Gualengus eloquendi ædificandiq; solertissimus: ij natu grandiores & seniores, pariter Nicolai Marchionis ipsius Leonelli genitoris familiaritate coniuncti. Ex minoribus autem alter Albertus Carpus corporis proceritate, nec minori facundia conspicuus, Estensium familiæ affinitate clarus: Carolus Nuuolonus eximia humanitate & antiquitatis amore facilimus. Tū Nicolaus Titusq; germani egregiæ Strocciarum domus, quorum alter Nicolaus nuper equestri ordine donatus. Cum ijs igitur humanissi-

nissimus dominus,ut cuiq; attentissimũ ingenium fuit,nunc de regnorũ uicissitudine principantiumq́; moribus, nũc de memorabili re, quæ ad eloquentię cultum attineret, seu historica aut poëtica,siue de uocabulorum proprietate dissertabat: atq; adeò comiter,ut neminẽ eorum aduerterim, qui nõ omissa penitus uel suspicione adulationis sui principis auctoritati libens uolensq́; cederet. Tanta ab eius ore dicendi mansuetudo,in fronte serenitas, in oculis exhilaratio, deniq; in omni corporis gestu modestia,in proceritate membrorũ aptitudo. In amictu etiam,cuius ornatus ad beneuolentiæ capessentiam nonnihil pertinet,formosisq́; dignitatem auget, mirabilis politia cõueniebat:nam in ueste non decorem & opulentiam solum, qua cæteri principes honestari solent,sed mirum dixeris pro ratione planetarũ, & dierum ordine,colorum quoque coaptationem excogitauit. Quid de perpetua eius in diuinum cultum pietate dixerim? ut tanquam sacer monachus quotidianas ad Dominũ referret orationes, ac inter mortales uiuens, nõ minore cum dijs ipsis, quàm hominibus concilio frui uideretur.Ita principis sui pulcherrimam quisque naturam intelligens uelut humani generis delicias,ut de Tito prius imperatore proditum,non nisi correctis moribus, eleganticique facundia præditus,ad eum accedere ausus est,cuius ut plurimum hisce Commẽtarijs disputationes, quæ argutiores uisæ, unà cum paucis aliorum,memoriæ commendaui. Extincto mox illius literarij concilij lumine (nam media iuuẽta deperijt) & ipse tali princi

pe orbatus ad Alphonſum Hiſpanũ protinus Neapolitarum regem acceſsi, quẽ ipſius Leonelli ſocerum aliàs cognoueram. Harum quoque diſciplinarum præter militares artes ſtudioſum, nec multo pòſt & ipſe ſenior interijt. Vnde cum alia ſępenumero utriuſq; Hiſpanię loca peruiſerem, inter eius gentis ſapientiſsimos aliquando epiſtolas tuas ſumme pontifex, & orationes in ſcriptis uidebamus exhortatorias ad Chriſtianę religionis principes, de confingenda barbarorũ immanitate, qui Conſtantini ciuitatem uaſtauerunt: laudabamusq́; fideliter cùm ſententiarum in ijs ubertatem, tum oratorij ſtyli facilitatem atq; dulcedinẽ, Lactantium lacteo ore modulãtem, mellifluo calamo deſcribentem arbitraremur. Quæ quidem ingentes uirtutes tuæ à nobis eo maiore præconio dignę uiderentur, quo minor eſſe ſoleat in eccleſiæ noſtræ pontificibus antiquæ Romanæq́; ſcribendi familiaritas: inde optimo conſilio effectum eſt, ut quem librum eius principis perpetuo nomini dicandum arbitrarer, non minus gloriæ tuæ immortalitati conficerem. Cuius futuram ſeriem ut breuibus intelligas, ſeu ad opus A. Gellij Noctium Atticarum, ſeu potius ad Quintiliani inſtitutionem oratoriam formatus eſt, partium & librorum opportunitate eadem ferè ſeruata. nam & hic non minus de oratorio poëticoq́; tractatur artificio: in primis enim de omni bibliothecarũ, ſeu librorum omnium ornatu inſtrumentoq́;, qui apud doctiſsimos magis neceſſarij cognitu recenſentur: De uocabulorum proprietatibus & improprietatibus aduertendis, porrò

de eo-

de eorundem uarijs egregijsq́; per ſingulas uoces ſignificationibus quod eſt hominum officium: de conficiendis diuerſim ciuili & hiſtorico ſtylo orationibus: de diphthongorum orthographiæq́; neceſſaria ratione. Quorum cognitionem arbitror plurimum iuuentuti temporibusq́; noſtris opportunã, cũ hiſce ſtudiorum generibus ſeniores, & quaſi ueteranos in libris milites, non tyrones ſolum errare ſæpenumero uidebamus. Quamobrem pro ſingulari mei laboris officio duo ſimul munera adimplebuntur, ut uidelicet benemeriti principis Leonelli celebrationis, cuius in hoc Opere *delectatior eſt diſputatio, & ſummæ dignitatis tuæ pariter mentio fiat. Cuius nunc utiq; potentioris eſt auctoritatis atq; cenſuræ, cum ipſe ſemper orator clarus extiteris, idem maximis gerẽdis reb⁹ exercitus, ut opus hoc ſic abs te probatũ fuerit, ſi eruditis uel erudiendis certè æui præſentis ingenijs, ſi poſteritati deniq; profuturũ apparebit, q̃ ſtudioſiſsimè te auctore noſtro, eodẽq; pijſsimo pontifice diuulget.

id eſt, ſuauior

DE LITERARIA POLITIA, *ſeu Latinè dicta, à poliendo, non Græca deriuatione: & in quo potiſsimum orationis genere ea uerſetur.* Pars II.

QVoniam igitur de politia literaria ſcribere conſilium eſt, iamprimum omniũ aperio, non eaſdem me penitus rationes aſsignaturũ, quemadmodum à Tullio primùm in ſuis de eloquentia libris uel rhetorica arte tractatũ: mox à Quintiliano oratoriæ inſi

nuationis magiſtro præcipuo: nam in ipſis do ctrinarũ generibus eorũ præcepta ſatisfaciũt. alia quippe illorũ docentium conſuetudo inter diſcipulos magis præceptoresq́; quotidianis lectionibus agitanda:alia huiuſce intentionis noſtræ commoditatis,quæ de rectè dictis, ſeu de ijs quæ inter doctos uulgò rectè dici uidentur,iudicium ſeuerius affert,& emendationem.nos ſanè etſi ab eorũ inſtitutis,priſcorũq́; grammaticorum præceptionibus non diſſentimus,multo tamen ſupra inſinuationum illarum argumenta uſu cognouiſſe opus eſt,ut cũ illi theoricè, nos practicè quodãmodo diſputemus. Ita ergo politiam hanc literariam definiemus non à ciuilitate, ſeu Repub.Græcorũ appellatione, ut initiò diximus, quã & ipſi & eadem terminatione politiam uocant : néue à forenſi,quam à uerbis polizo poleſcó ue denominant : uerùm à polio uerbi noſtri ſignificatione uel urbana conuerſatione:unde ipſa po-
Aeneid.8. litia uel expolitio. etenim Virgilius de Vulcanijs armis dixit,Iam parte polita.quã & ipſam elegantiam,elegantiæq́; culturam intelligi uolumus. In quo genere & alios hac tempeſtate ſcriptores audio uolumina cõponere: & nos pariter hiſce uoluminibus Veronẽſem noſtrũ eadem in facultate copioſe diſſertantẽ, ut aſſolebat,inducemus. Verũ enim pręter id,tametſi laborioſum edocendi genus,nos pro Leonelli principis excellentia, magnanimitate & eximia quadam in diſputando ſubtilitate, altiora politioraq́; materiæ noſtræ fundamenta perquirimus. Quemadmodum à ſcientiſsimis uiris præter communem uſum expolitè, uel in-

ter

ter sese disputationis aliquando, uel corã eloquenti principe uoluptatis gratia referri solet, quo quid exercitio politius eruditiusq; perfici posit. Eandem sanè asignabat definitionẽ ingeniosus ipse ac uiuacis eloquẽtiæ Marchio Leonellus, de quo in procemio mentio cœpta, & cui præsertim assentio. Atqui nonnullos au disse memini, qui id in primis politiæ literarię genus arbitrarentur ex unoquoq; ueterũ excellenti scriptore pręstantiora scripta deligere. Quo in genere ferè sunt opera Valerij, Iustini, Flori, Pomponij, & eorum qui cõpendiose plurima libellis suis memoratu digna collegerũt, ut fuere etiã qui ex Plinio maiore medicinas & animalium locorúm ue mirabilia: ut sextũ, secundum, quartúm ue libros ex Vergilio: ut Eunuchum ex Terentio, & quasdam ex Plauto comœdias, uel ex cunctis eorum comœdijs elegantiora dicta secreuerunt. Sic selectiores Demosthenis uel Ciceronis orationes colorés ue duntaxat uerborum & sentẽtiarum ex rhetoricis, aut ornatiores eiusdẽ epistolas, aut heroum præstantiores, uel cuiuscunq; delectabiles magis ex Plutarcho uitas, quorũ ego definitiones nõ improbo: neq; eorum qui orthographię rationem maximè dicunt in politia literaria cõtineri, quę certè propositi nostri pars est. Verumenimuero istius politiæ, de qua pręsentibus Commẽtarijs tractaturus sum, ratio liberior uidetur, iucundior atq; copiosior. non enim hoc loco quæritur, quæ de magnis operibus in breuia transcribi deceat. Cuius rei modus pro cuiusq; arbitrio est: sed quę uenustius coram scientisimo principe, ut sæpè innui, re

citanda forent, si nonnunquam de his disputari contingat, quæ ueterum præstantiores memoriæ mandauerunt. Ita uerò non expediet, ueluti totum Valerianũ opus, quamuis id electissimum sit, aut Flori, néue etiam parté plurimam una in collatione memorare, neq; auré recitanti præbere. nam eiusmodi omnia licet memoratu digna, ad elogiorumq́; politiã pertinentia uno in loco eodemq́; tempore minimè exaudiri opus est, quòd eius generis scripta siquando referri placet, aut pauca, aut breuissimè referri debeant: ad hoc non ab eodem auctore semper procedere, ut plebei quandoque oratores ijdemq́; religiosi, quosdã allegationis gratia, eosdemq́; semper auctores producere solent, quòd alios fortasse non nouerint. Ergo si quis animi ægritudine, aut corporis ægrotatione correptus, ac consiliorum impatiens consulenti uelit illudere, cum non intempestiuum id foret Comicum protulisse, Facilè omnes cum ualemus, recta ægrotis consilia damus: si tamé alia atq; alia pertinaciter ex eodem poëta differere uelit, quamuis ad easdé causas incidẽtia, pro insano magis quàm inualido reputabitur, & qui unum se tantũ auctorem ostentet didicisse. Itaq; non rerum solum atq; causarum, seu ut aiunt, materiarũ, sed auctorum etiam memorabilium diuersitate uti conueniet: in qua præcipuè facultate nostra hæc uersatur politia, quæ & audientibus fastidium tollit, & recitantem demonstrat plurima cognouisse.

Qui

QVI MODVS ORDOQVE SERuandus in curanda poliendaqúe bibliotheca: deinde quo pacto struenda, scilicet qui libri in ea ex latinis & græcis opportuni: ac primò de metricis auctoribus, inter quos de Virgilio Terentioqúe præcipua mentio: ac de Tullij officijs atque Salustio, per Leonellum. Pars III.

IN quibus officiorum rationibus politia literaria uersatur, suprà mõstratum: nunc ad ipsius materias generatim accedamus. Placuit in primis Aulo Gellio, cuius imaginé & Quintiliani pariter pollicitus sum me his libris imitari, Fauorinum, & quosdam paucos ueluti frequẽtiores sibi magistros eligere. Mihi quoq; in hac politia Leonellum principem, Guarinumq́; Veronensem, & qui cum eis clariores pauci disputare consueuerant, deligendos institui. Cum igitur inter doctissimos eorum de librorum modo & ordine habendo, deq́; omni bibliothecæ cultu sæpè contentio foret, quiq́; libri potissimum necessarij, quiúe minus opportuni censerentur: tunc Feltrinus Boiardus ex equestri ordine, uel in hoc egregius, quòd ad subitò dicendum instrependumque cæteris promptior esset, Primum omniũ inquit, abs te scire Guarine cuperem, quoniam differentia inter modum & ordinem uti uideris, an ij sermones non idem significant. Cui Guarinus, Imò differũt, ut modus etiam à modestia, sed non multo discrimine. Sic apud Tullium & Salustium inuenias. Quod nisi discer-

natur, superfluè quidem à Salustio dictum con staret, neq; modum neq; modestiam Romanorum potentibus seruari. est enim modus circa quantitatem uel numeri finem, quamuis numerus pro ordine interdum accipitur, uti Virgilius testis est: Omnia sint paribus numeris dimensa uiarum. uel, In numerũ, uersantq; tenaci forcipe massam: hoc est in ordinem. Cæterùm ipsa quantitas si ad debitam mensuram intendat, hoc est mediocritatem, modestiæ facit appellationem. Ita modestia debitum numerum cum decore manifestat. Quemadmodum domicilium ædificãtibus ordo est in partiendis habitaculis, quæ superius, quæúe inferius magis deceant: modus autem in exponẽdo sumptu, & ędificij magnitudine: qui si non præter domini sui dignitatem, uel incolẽtium necessitatem impenditur, modestiæ, ut modò dixi, nomen acquirit. Qua quidem ratione prudentissimè poëtam modum comprehendisse dignoscitur, cum in eius supergressione magis quàm ordinis, mortalium genus reprehendat. ut, Nescia mẽs hominum fati mortisq; futuræ, Et seruare modum rebus sublata secundis. Nam nisi quis in sedula rerum ordinatione reprehendendus, in modi tamen excessione criminandus est, eademq; moderatio & ordinis fuerit in comparanda locandaq; domus supellectile. Quid mirum igitur Feltrine, si in comparanda quoq; bibliotheca, seu dici malis biblioplethi, quod hic sermo uerius ad librorum multitudinem, superior aũt ad eorum repositionẽ magis attineat, modus idem sit opportunus, ut ne libros plures compares ac o-

pus est:&ordo,ut alios alijs ad manum magis ueluti præstantiores,familiaresque magis habeas. At Boiardus arridens: Dij boni(inquit) quanti est sapere. Putabam equidem modestiam, pariter &ordinem in tutandis seruandisque à muribus & tineis libris:nā de Codri carminibus aliàs abs te didicimus,cum Satyrum legeres plerisq; clanculum: ut, Iamque uetus græcos seruabat cista libellos, Et diuina opici rodebant carmina mures. Tunc Leonellus excipiens(nam per risus & seria passim diffusi irridere) Pergis inquit,Feltrine,quin id quod refers officium,modum requirit & ordinem,ne fortè intēpestiuus muribus laqueos tēdas,aut cati canesue bibliothecā,imò ipsos libros deturpēt, aut plus curæ ijs in rebus suscipias quā oportet.Et si omnia diligentius exquiras,quæ ad poliendam rem librariam attinent, unde nunc ipsam dicimus politiam: à puluere quoque domestico libros custodies intactos, uti quidam solent, eos intra arculas uel armaria continere,nec nisi sigillatim ad legendum excipientes reponentesq;, quod est intra priuatam bibliothecam,secretamue,non publicam & familiarem reseruare. Quibus quidem uelut inter itinerādum obsitis, etiam puluis ipse concretior adhęret, quo sæpius cellulæ & pauimenta deterguntur:illi incommoda pręterea irroratio prior aduersatur,in quo sit attentius prouidendum, si seriatim ante ora libros in pluteis appensos, ac tāquam cathenatos seruos habeas, ut in bibliothecis est monachorum. Cæterùm nonnulli uitreas fenestras ob id solares aut linteaceas obducūt,ut inuaden-

tis solis nimius splendor, & exitus è proximo puluis arceatur : retinenturq́; diutius talibus in locis odores, superuenientibus ex inusitatis asperiores, ut est in sacerdotum diuersorijs, quę ipsi Refectoria appellant. Quamobrē non nunquam recludendi aditus, odorumq́; suaui tate prouidendum, non qui cerebrum lædant, ut alba lilia, tabulæq́; cupressi. sed hæc leuiora fortasse. Illud uerò nocentius & pestiferum penitus, si concalefaciendi causa, sine aspiramento, prunas intuleris. * Rosmaris autem myrthi q́; uirgulta, aut rosarum uiolarumúe manipuli, ac dulcia mala, præcipueq́; cedra nominantur: quinetiam amara delectant, ut absynthium, lauribaccę, eadem in tineas, scorpios, & eius generis insecta nō absurda remedia. Quorum etiam desiccatio in plerosq; perdurat annos, & eorum succi conglutinatio in librorum tabulationibus teredinem prohibet: nec libris solum, sed uesti præcipuè, omniq́; domesticę supellectili plurimum conferrę creditur. Arceantur ludentes catelli, & auiculæ caueis suspensę. His autem rationibus bibliothecam in secretiore domus parte habere par est (cuiusmodi apud Plinium minorē ante cubiculum deprehenditur) Qua quidem lectitandos magis libros (ut ipse ait) quàm legendos includeret. Cæterùm ut non domestici solum, sed ex proximo quoq; strepitus arceantur. Intra bibliothecā insuper horoscopium, aut sphęram cosmicam, citharamúe habere non dedecet, si ea quādoq; delecteris: quę nisi cum uolumus, nihil instrepit. Honestas quoq; picturas, cæsurasúe, quæ uel deorum, uel heroū memoriam repræ-

Forte Rosmaris, pro Rosmarino.

repræſentent. Ideoq; ſæpenumero cernere eſt quibuſdam iucũdiſsimam imaginem eſſe Hieronymi deſcribentis in eremo, per quam in bibliothecis ſolitudinem & ſilentium, & ſtudendi ſcribẽdiq; ſedulitatem opportunam aduertimus. Alijs & aliorum effigies: denique ut quædam ſigna ſunt electiſsima apud Iuuenalem Euphranoris aut Policleti, dulcia uenientibus ſpectacula. Igitur omne perpolitum pauimentum, parietem, contignationem, diligẽtiq; ordine locatum intra bibliothecam conſpiciatur, adeò ne ſub pluteis quidem aranearum telas, imò ne pigmentorum etiam liturationes, candelarum ac nocturnarum lucubrationum, quæ Vulcanalia idem Plinius appellat, ueſtigia olida, ineptaq; interdiu reliqueris. Quid dicam qui inter legendum ſopore comprehenſi, librum in medijs etiam literis cremauere. at cur non potius codices ipſos enumeremus, uel tu Feltrine, quid ais, quòd hęſitas? Ad quẽ Boiardus uelut ſomno excitus, Rectè cõſulis princeps, eram iamdudum hiſce librarijs impedimentis & laternulis interceptus. Ex omnibus igitur priſcis auctoribus ſine controuerſia opera T. Liuij elegantiora mihi uiderentur. Nam licet nonnulli fortè Virgilium anteponant, dicam tamẽ quod ſentio: In eo poëta nunquam rei ueritatẽ, ſed figmenta, ut poëtæ ſolent, deprehendis, quamuis plurimum eloquentiæ. Ergo utraq; philoſophia Virgiliana opera uacantia, at in Liuio Romanæ hiſtoriæ parente, utranq; copioſè percipies, nec minus eloquentiæ. Illic enim omnigenum ferè nationum hominumq; mores & facta: illic ter

rarum

rarum, fluminum, mõtium, marisq; plurimam inuenias rationem. Quamobrem huius in primis historici opera habenda & excolenda censeo, eosq; uehemẽter detestãdos, quorũ inscitia & prauitate admissum est, ut diuini autoris uoluminũ maiori * culpa careremus. Enimuero si magnificè dicendũ, quicũq; illustriores libros facultatem & ardorem habent comparandi, præsertim principantes, Liuianas in primis decadas exquirũt, quasi earum auctorem iterum ab extremis orbis partibus adeuntes, easq; quàm ornatissimas ex Florentina ciuitate comparatas, quam scis, ô Leonelle, omnium nunc Italiæ ciuitatum, & literarium studiorum politissimam. Hæc Feltrino memorante, Alberti ambo pariter assentiebant, necnon pleriq; sociorum. At Leonellus, Vna hęc sanè pars est, inquit, ô magnanimi equites, bibliothecæ poliendæ non omittenda, ut libri quàm pulcherrimi sint, & aptissima librarij manu descripti. Non tamen omnis in hoc politiæ genere, nec in umbilicis nitentibus aut phaleris, literarũue picturis, & tabularũ tegumẽtis nostra uersatur intẽtio, ut Æneę contigit, cũ pictura inani pasceretur. sed uulgò ferunt, equũ qualemcũq; addita phalerarũ ornamẽta ueluti pulchriorẽ, non meliorẽ tamen efficere: atq; librorũ in supellectile curiosius recensendum. Equidem eam in primis ego dixerim librorum politiá, ut quàm correctissimè scripti sint: quod nisi doctus peritusque librarius nemo præstare poterit, siue is Florentiæ sit, siue aliarum mundi ciuitatum. paucissimos autem huiusmodi librarios aduertimus. *Nam & in hoc autographo

Fortè parte.

Hoc nonnihil præter decorũ dici uidetur, cũ sermonem uelit uideri, quæ scribit.

pho cōqueror mihi non ubique satisfactum, sed malè exscriptum. Cum malæ sit consuetudinis ab indoctis opera transcribi, & doctissimum quenque pudeat aliorum scribere uolumina, quorum tamen laborem postremò uidemus inemendatos libros corrigendi. Cætera demum, quoniam de meliori politia tetigimus, quo copiosius splendidiusq; cōueniant, non arbitror negligéda. Sunt enim qui libros purpura, serico, margaritis, auroque uestiant. Nam librorum pulchritudo ad legendum plerosque magis inuitat, uti decora militem armamenta animosiorem efficiunt. Meministis siquidem apud Curtium, quàm Alexander gratulatus est adepta intra Darij tentorium arcula preciosissima, in qua ueluti magna Homerum familiarem suum reseruaret. Alios autem contrà scripturæ uetustas & fulgor demulcet magis, tanquam parétes quidam seueri nō de filiorum forma uel cultu, sed moribus tantum soliciti sunt. Alij cū uirtute simul dignitaté indolis & oris gratiá appetentes, eadem ratione à nobis modò demonstratū, cum in exequéda politia nouitatem bonitatemq; librorū æquè intelligi uoluerimus. Sed ad librorum numerum in primis comparationem è Marone tuā accedo, quam satis iniquè, Feltrine, nec de pari sciétiæ genere protulisti: ut si de Cicerone, aut Quintiliano & Fabio, Camilloque disseruisses, hinc probitatem, illinc doctrinam eandem ferè demonstrans: sed uelut inter armigerum & citharœdum disputationem affers. Idem de poëta historicoq; dictum puta, uter præstātior haberetur. Etenim styli magnitudine plerisq;

locis pares incedunt ad Romanæ morem elo quentiæ: cæterùm metri gratia, canorisq; dulcedine Marò lōgè superior. arbitror equidem pro iudicantium uarietate unumquenq; literaturæ studiosum, alium alio magis auctorem magnifacere: in quo genere, ut nunc iuris ciuilis, aliarum quoq; scientiarum studiosos omittam, quadruplicem ferè in eligendis libris contentionem afferri uideo. nam quidam sunt historia uehementius * delectātes, ut hic noster Feltrinus, ut uos Alberti, qui rarò poëtas nominatis, in ore autem semper habetis historicos: alij qui carminis uoluptate potius alliciūtur, tāquam apes floribus: pleriq; philosophiæ studijs incumbentes, quo sapientiores habeātur, & moralē & naturalem, eamq; simul quā metaphysicen dicūt, alijs scientijs anteponūt. Rursus qui alia ex ijs magis æmulentur. Sunt & qui omnia hæc relinquentes theologicis tātum disciplinis inseruiunt, à quibus tamē, quę supra naturam est, non abhorret: uelintq; non minus oratores, magniq́ue præceptores apud multitudinem æstimari. Diximus horum quadruplicem primùm esse differentiam, nunc in quot oblectationum uarietates ratio hæc extendatur accipite: nam ex ijs quos historiæ studijs adhærere proposuimus, alij T. Liuium, & tu Feltrine in primis eligentes, ut socer etiam meus rex Alphonsus Cæsaris commentarios, & Tranquillum ad cœlos efferunt: pars Salustium, quidam Curtium anteponunt: nonnulli compendiarios præcipuè lectitant, ut Iustinum, Valerium & eius generis. idem de rribus reliquis scientiarum generibus intelligēdum.

Delectantes, pro delectati, quo aliquoties utitur.

Idem

Idem de ijs, quos & Cicero noster in Catone memorat, astronomiæ, geometriæúe sic adeò intentos & in senili cura pertinaces, ut domesticis priuatisq; rebus omissis, dies ac noctes indesinenter in eis detinerentur. Age, dimisso igitur tot electionum turbine, ad eam, si placet rationem accedamus, ut ex multorum generibus auctorum, qui ad instruendam bibliothecam, non dicam omnium, sed ingenui ciuis & inclyti principis, ut nostræ nunc uidetur professionis, præstantiores enumeremus. idem omnes precabãtur. Tunc Leonellus: Decet enim in primis ea librorum uolumina perquirere, quæ hominem efficiant eloquentem & industrium, à naturali usu minimè discedentem: propterea quosdam licet non indoctos, phantasticos & quasi phreneticos uulgus appellat, seu qui Plautinas fabulas iocosis salibus, nimiaq; eius styli mutatione prosequuntur, seu Lactãtianam doctrinam plurima cum tristitia & admiratione uenerantes: siue qui domi suæ alioquin lectione continua præpediti, foris autẽ multa inconcinnè dicunt, multa uulgariter & ineptè efficere conantur, quæ à ciuili consensu, eorumq; scientiæ professione dissentiũt. Virgilius igitur in primis, si poësim affectamus (nam adolescẽtes plurimum decet) atq; Terentius mox in bibliothecam nostram adsciscendi. Hic autem librorum mentem potius quàm scrinia uel parietes accipimus. nam quid tandem picturatæ bibliothecę, auratę testudines, quòd ipsi libri sæpissimè numerati, peruetustissimiq; nobis auxilio fuerint, nisi eorum frequentissimã familiaritatẽ habeamus?

b Cum

Cum quibus poëtis Cicero de officijs uirtutū præceptor, & Salustius uitiorū castigator, habendi sunt. ex his enim eloquētiæ satis, & motum emendationis, & in re militari urbanaq; cognitionis acquiritur. Accedit præterea, ut hi quatuor auctores celeberrimi lōgè ante alios uocabulorum proprietatem obseruent: ne enim à poëtis primùm cœpisse pigebit, quorū eo altiora uigent ingenia, quo magis animum delectare uidentur musico quodam artificio, unde pleriq; poësim, musicam, picturamq; cōsociāt. Dicimus autem meliores nō omnis generis poëtas, unde meritò eruditissima carmina scribentibus, poëtæ nomen inditum est; quod factorem uel auctorē, & ferè primarium indicat: & ipsum poëma, factum uel opus: ac ipsum Deum Græco uocabulo ποιητὴν sæpè nominamus: hoc est, poëtam. quamuis pro more sonoq; magis latinè factorem interpretamur: huicq; diuino pioq; generi non irreligiosa, ut stultum uulgus existimat, laurea dicata, aliaq; ab Imperatoribus munia donari solita. Ad hoc in lectione carminis ijs, qui metricam & solutam tractant orationem, uoluptas accedit maior: faciliusq; carmen memoria retinetur & imbibitur, quo sensus præcipuè iuuenilis cum delectatione simul in sermonum grauitate nutritur. unde illud Horatianum, Qui miscuit utile dulci Lectorem delectando, pariterq; monendo. Quòd si ex omnibus Latinorum poëtis præstantissimus quispiam mente habendus, ore semper recitādus, unicus est Virgilius. Arbitror enarrari nō posse parentū, maiorumq; intima gaudia, cum minores natu interdum

In poëtica.

interdum coràm aſpiciant Virgiliana carmina recitãtes: uti Pogium nuper audiuimus ſeniorem ex oratoribus noſtris exultantem, ſimul & præ gaudio lachrymantem, cum filium ſecundum Aeneidos librum recitãtem audiret. In Terentio certè & Officiorum opere, ac Saluſtianis hiſtorijs omnia naturalia uigent documenta: non tantum uerò, ut in Marone facũdiæ potentiæq; uocabulorum, ſed moderatæ ſatis eloquentiæ. niſi enim Virgilius poëtica quædam admiſceat figmẽta, & diuorum com pellationes, quibus tamen frequentius ac pro lixius Homerus utitur, hiſtoricus prorſus, ac multo magis quàm Lucanus uideatur: quod ideo maximè cauit, quo non poëta ſolum, ſed optimus ut eſſet poëta, conſequeretur. Adeò enim iuxta rerum naturam eloquitur, ut nihil poſsit ad humanitatis mores propius accedere. In qua quidem re ego longiſsimè diſſentio, ô Feltrine, qui hunc poëtam dixeris utraq; philoſophia carentem, quod multo magis in Homerum auderes, quo quidem nullus pinxit fabuloſius, heroum geſta deſcribẽs: nec aliquis ob id eum tamen in naturalium explicatione ſuperauit, in Odyſſea potiſsimum. ſed ad noſtrum redeo. Igitur in fingendis animalibus, ſyluis, fluminibus, montibus, campis, cõſitis atq; ſylueſtribus (nã quid de Bucolicis ac Georgicis dixeris? nunqd ea cũ philoſophia morali naturaliq; cõmerciũ nõ ſint habitura?) ad hoc in deſcribẽdis tẽpeſtatibus ſerenis uel nimboſis, pelago, ꝓcellis, nauibus, portub9, cõuiuijs, amoribus, uenationib. ędificijs remotiſſimis à noſtris nationib. ſi de paſtorib. Scythi-

cis,Aphrisq́; notaueris,consilijs,prodigijs,augurijs,exercitibus,ducibus,prælijs,iocosis atq; funebribus,æthereïs atq; terrestribus,sacris atque profanis, deniq; supernis & infernalibus: nullus Latinorum æquè subtilis disertusúe, nullus ad naturalium conformitatem accommodatus,ac in Liuio tuo,Feltrine:& si eius omnes historici quatuordecim (ut aiunt) Decadas euolueris,nequaquam tot generum exempla comperias.In quo quidem poëta tanta dicendi copia gratiaq́; à dijs data,tantaq́; elegantia est,ut quo magis legatur, eò plus commoueat ad legendum : doctissimosq́; nonnullos dicendi solitos acceperim,sese quodcunq; orationis genus edere uellent,tam ex huius operibus quàm Tullij,quãq́;Homeri commodissimè posse deligere.neq; mirãdũ,si quod in Græco poëta floridum,frugiferum, iucũdissimũq́; sit,in eodem Latino comperis æmulatũ, cum tamen ille libros octo & quadraginta,ut Græcorum est multa eloqui,hic nedum illorum dimidium explicuerit. Quid dicam de sermonum aptitudine in metro potissimè conseruata?de styli magnificentia ? quæ duo simul etiam ab historicis non omnino seruata sunt, nõ ab oratoribus & rhetoricis superata,cum ipse oratoriam, historicam & poëticam simul artem diligentissimè conseruet. Dissolue carmẽ eius in prosam , fac pedestrem orationem, tam eloquenter ut Liuius , rhetoricè tantum ut Cicero dissertabit.Quid mirum igitur,si priscorum eruditissimi,diuinæ etiam legis doctores tantis eum laudibus extollant, ut ipse aliquãdo Hieronymus cum eo de religionis cul

tu con-

tu contendens, rursus alijs in locis sibi sese cō ciliet, poëtæque diuinum ingenium admiretur. Nam quod de scribentis Liuij admiratione idem Hieronymus & Liuius pariter extulerunt, ut ab extremis orbis partibus ad eum uisendum aduenirent, uti modò Feltrine meministi: idem de Virgilio, ac multo magnificentius ab eodem Plinio testatum est: mortui etiā poëtę cineres & urbem, seu in qua defecit, siue natus est, plerosq; pro numinibus sacrarijsq́; coluisse. Ergo non puerile Virgilianum opus, quamuis teneris annis addiscendum: sed cum in eius doctrina tanta sit autoritas, nec minus in legendo modulatio, in adolescentia autem lenitas plurima, illius ętatis feruore indicatur, discendiq́; lasciuiam huius diuini poëtæ mira quadam bonitatę posse temperari. Quòd si fundamenta Virgiliana uelut in extruenda domo prius inijciant florenti ætate eius disciplinis assuescentes, tum quicquid ualidior ætas ad discédum persuaserit, liberius ingressuros. Ad hæc Feltrinus: Videris, inquit, omnia princeps scientiarum officia in hūc unum poëtam ingerere: cur igitur à nonnullis & quidem ueterū peritissimis carpitur? Leonellus, Itidem apud suos Homerus nec carpitur solum, sed ex ciuitate bene instituta proijcitur. Cæterùm hoc contentionis genus nō secus est quàm de thorace solidissimo, in quem cum experiendæ fortitudinis studio tela conijciunt, frustra ipsa resultāt. Sed de huiusmodi uinculis aliàs, itemque de Maronis præstantia memorandum. De Terentio ferè idem intelligendum, uidemusque ex ijs duobus poëtis exem

pla apud omnes frequentiora,ne miremini, ſi de ijſdem plus quàm alijs diſſeruerimus. Docet enim inprimis ipſe Comicus naturaliter uiuere,prouidum & cautum hominem fieri adulantibus:ijsq́ue adhærere negotijs,quod optimum eſt,quæ conſilio regi poſſunt: cætera uti uana inutiliaq́; relinquenda. Vnde pleroſq; demiror,qui Terentianam uilem admodum dicerent eſſe materiam, nõ ideo ab illuſtribus uiris,ſed plebeis tantum legi dignam:cum Tullium tamen uideamus ſummum oratorem atque philoſophum, & qui tot magiſtratibus in urbe floruerit, eundem poëtam familiarem ſuum appellare.Neq; ſatis credendum,Græcorum ueteres tantarum artium magiſtros huic ſcientiarum generi,præcipuè comœdiarum inuentionibus tam leuiter inſudaſſe.quòd ſi diligẽtius aduerterẽt,Thraſones quidẽ & paraſiti maioribus apponũtur:itẽ, quæ de Phædria & ſeruo cõſulente,non minus ea principantibus quàm plebeis documenta conuenire cenſuerint:turpeq́ue regnantibus in meretricum & ſeruarum amores labi, periculoſius etiam à gnatonibus decipi, & hiſtriones ocia terere: quorum frequentia multiplex, nec edacibus ſolum immixta ſeruitijs,ſed diſcipulorum animis infixa,regijsq́ue palatijs obuerſatur. Quo quidem eſt difficilius præcauere, paulo ſuperioribus annis à genitore Nicolao didiceram, cum quidam armatorum ductor æmulusq́ue Comitis Alberici, uiri acris ingenij, nec ineruditi, cuius fuerat oppidum Iugi, quod nunc noſtri iuris eſt, in proximam ſyluam plerunque explorationis potius occa-

ſione quàm uenationis, ut rebatur, acceſſiſſet, quo commodius cum eius loci paſtoribus colloquium pertentaret, ipſum Comitem ei aliquando dixiſſe contra armatis equitibus præcedentem, Non tu hinc abis? Scin' tu ut tibi res ſeſe habeat? ſi quicquam hodie ſiue aliàs hic turbæ feceris, faciam ut huius loci dieiq; meique ſemper memineris. ac ille cum uenationis cauſam, armaque uenatoria, & eis ſe paſtoribus fretum oſtentaret, ut ferarum indicibus, dextera elata adieciſſe Comitem fertur: Scis quàm paſtoribus & uenatione fretus? Ductor edico tibi, ſi te hac in ſylua offendero poſthac, periſti. ut orationis meæ ſeriem intelligas: nihil eſt quòd dicas, Alium quærebam, iter hâc habui. Hæc licet populari ſermone à Comite Alberico comminata, ſic alter regrediens exhorruit, ut non ab homine plebeio, ſed prudentiſsimo duce ac ſtrenuiſsimo uiro relata uiderentur. Sanè ſunt Terentiana præcepta omni hominum generi perutilia, omni ferè negocio congruentia. Sed quid de Terentio uulgus, cæterisque ſentit bonis auctoribus? ita cum adoleſcentia potiſsimè amoribus diſtrahatur, multi illius ætatis adultiores inſuper uiri deluſi ſunt, dum ea, licet inhoneſta, ſtuderent æmulari, quæ à Terentio in bonarum rerum euentum concluduntur, adeò citharistrias puellas amare, rapere, emere, non indoctorum putauerunt, beneque dictum à Mitione: Poſtremò alij clanculum patrem quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia, ea ne me cælet, conſueſeci filium. Nam qui men-

Ex Eunucho.

tiri aut fallere insueuit patrem, tanto magis au debit cæteros. pulchrè uerò, sed illud deformiter, si tanto magis coram cæteris eorum lasciuiæ, petulantiæq; non puduerit, quam parens facilè fert. uerumenimuero Comici longè alia est intentio, materiam naturalem eligẽtis, morumq; communium, atq; ita uersatilem, perinde ac muricem ferreum quacunq; ieceris stantem, ut omni ætati ac humanitati queat accõmodari. Est apud me libellus dictorum in Terentio Plautoq; notabilium, cum lego nonnũquam non de Charino, uel de Chærea, seu Pamphilo, aut Parasito, uel Eunucho: nam quid de interloquẽtium nominibus curem? nisi quòd uocabula græca alia *gratia saluteúe, alia à moralium negotijs tractare uideor, in quibus de re pariter militari, ipsaq; strategemata percipi posint. Quòd siquis mihi fortè recitet, Dum animus in dubio est, paulo momento huc atq; illuc compellitur: aut, Ingenium omnium hominum à labore procliue est ad libidinem. uel, Homo sum, humani nihil à me alienum puto: siue, Ita esse comparatam hominum naturã omnium, aliena ut melius uideãt ac iudicent quã sua. Sunt autem huius generis & ponderis apud Comicum infinita: non quidem inter seruos amatoresúe contentiones audire uidear, sed de omni hominum genere naturas & rationes afferri. Quid illud admirabile? Homo homini quid præstat? stulto intelligens quid interest? Nam quantum imperator imperatori præstat, rex regi? sed me continebo, ne de comœdia disputans, in tragœdiam uertar immoderatius, ut Donatus ait, qui quan-

Locus sine dubio mendosus.

quam

quam admoneat in comœdia, mediocres dun taxat hominum fortunas uersari, paruos impetus, leuia pericula: tanta tamen in huius Comici insinuatione efficacia est, ut de maximis simul rebus posśis & uaria sæpè ratione concipere. Itaque stylus eius uolubilis interdum, nonnunquam constans, multicepsq́;, non exquisitus, elegans tamen & suauis: non uenustus lasciuusq́;, formosus uerò, cōtinens & grauis. Ad hoc iuxta naturam scribere Terentiū, uel ex hoc intelligas, cum Demeam rusticum & durum semel induxerit, se contra naturā facere, quòd Syrum blandè alloqueretur, cum proteruè ut assueuerat, compellare debuisset. Illud profectò operęprecitiū est cognitu in carmine trimetro iambico, tantam oratoriæ facultatis industriam seruare, nec inficiante Donato, ut in laudando, criminando, cōgratulando, expurgando, cōsulendo, simulando ac dissimulando, iste sit poëta solertior. Videtur apud mediocriter doctos facilè intelligi posse, quod idem de Marone ferunt, ideoq́; communiter ab omnibus ferè ludimagistris lectitantur: sed nisi Donatum prius euoluerint, quanquam & in eo multa deficiunt, aut Græcorum poëtarum familiaritatem, rhetoricæq́; artis & figurarum cognitionem habuerint, eum penitus nō intelligant. Idem in Officiorum libros dictum uelim, quorum suprà mentio facta: sed de Ciceronis præstantia multa dicenda forét. Est enim id opus naturæ simul & uirtuti consentaneum, hominem ad optimos mores, ciuiles & imperatorios pariter inducens: quod arrogantiam, ambitionem, ac maximè solitudi-

nem, ut officijs inimicam: ad hoc seu auaritiā seu profusam largitionem, non liberalitatē tamen docet effugere: præterea rem uxoriam curare, familiarē & familias augere, honores, magistratus, plebeiosq́ue fauores sine inuidia acquirere. Cuius disciplina à Terentiana tamen differt, quamuis uterq; in morali philosophia plurimum polleat: quòd Terentius callidiorē fieri docet, & in quęrendo solertiorem, quod ex illo præcipuè dicto colligitur: Inescare nescis homines, nunquam rem facies. quo mihi Terentius familiarior existimatur, & in perdiscendis gerendisq́; mundi uicissitudinibus accommodatior, cum mortalium genus considero in uitia pronius, apud quos rapere, fallere, per libidinem cuncta agere, frequentius est: & illud ab eodem in meretrice dictum, nihil præter precium dulce esse, quàm quod de duobus honestis, quid honestius cogitandum. nam de utilibus ita utilius existimatur, ut eodem teste Cicerone, utilitatē omnes expetamus, ad quā toto impetu rapimur, adeò ut Terentij doctrinam Diogenis præceptionibus rectius compares, plurimosq́ue sibi obsequentiores inuenias: de officijs uerò Antipatri doctrinæ, eiq́ue consentaneos bonos uiros rariores. Præterea hoc in loco si uultis à me quàm breuissimè de præstantissimorum numero concludi, Virgilium semper dixerim, Terentiū, Ciceronemq́;. Sed Ciceronis multa sunt opera, omniaq́; perutilia, atq; Salustium excellere. de quo historico plura à nobis alio loco dicenda, quo cæteros liberius prosequi ualeamus. Neq; enim ferè præter hos quatuor alij ab eruditissimis

Gram-

Grammaticis teſtimoniorum gratia proferuntur, quo bene memineritis, in aliorum auctorum lectione non eandem ubique ſeruari proprietatem. Tum Feltrinus: Perge, quæſo Leonelle, reliquos etiam nobis enumerare, quandoquidem ex Thoma tuo Reatino abs te nuper noſtro ordine donato, memoratiuam artẽ didiciſti, ne tanquam in pauperis domini bibliotheca commoremur. Sequar igitur, Leonellus excepit, numerum in catalogi ſpeciem recenſere, qui bibliothecam inſtruant, & à poëtis rurſus incipiã. Opera Ouidij, maius metamorphoſeon, & minora cuncta habenda ſunt. Maius ſiquidem ad omnium penè fabularum cognitionem, quas & philoſophum & oratorem ſcire non inutile eſt. Afferunt enim fabularum recitationes, & ut Æſopi Græci ſunt, inter grauium ſententiarum commemorationẽ, uoluptatẽ aliquando, liberioremq; nobis aperiunt beneuolentiæ capeſſendæ occaſionem: minora autẽ ad carminis inſtructionẽ. Deniq; ſic de Ouidio, ut Terentio modò dictum, intelligamus, non ideo perlegendum, ut ardentiores in libidinem efficiamur. ipſe ſatis enim eſt ſibi, quòd exilio pœnas luit. Sed quis legẽ det amantibus? imò uerò per eius promptiſsimi poëtæ familiaritatem carmina ſua ſæpè cantãdo, & ipſi uerſus componere moneamur. Sed hoc à teneris annis experiendum. nulla certè à magiſtris metrificandi doctrina dari poteſt huiuſmodi ſedulitate præſtantior. Subinde omnia Horatij opera tenenda ſunt. non eandem habere uidentur Camœnarum dulcedinẽ ætate noſtra elegijs & heroicis tantum aſſueta, licet

cet priſcis fortè temporibus ea Lyricorum genera ſummè delectarent, quod ex Martialis etiam carminibus comprobatur. Sed ad poëtã erudiendũ,ſiue eum qui poëta fieri cupit,plurimum confert, præcipuè de poëſis artificio ad Piſones. Vtitur & ipſe epithetis,quæ nos adiectiua dicimus,gratioſis atq; facilibus. Eadem ferè epithetorum cõmoditas ex tragœdijs Senecæ decerpenda. neque enim idem Seneca fuit,quamuis ambo Cordubenſes, qui moralis philoſophiæ opera conſcripſit,ut multi opinantur nominum ſimilitudine decepti,nec ſtyli differentiam aduertentes. At Martialis duos inquit Senecas. Iuuenalis Satyricus ut habendus eſt in bibliotheca,ſic etiam intelligendus. Turpe quidem uidetur,pleroſque multa ſcientiarum genera profitẽtes, eum ignorare auctorem celebrem,diſertiſsimum,acrem,facetiſsimũ,ac in philoſophia morali copioſum. Acuit enim eius lectio uehementer ingenium, uirtutem excitat,mentem eleuat, ueræ laudis gloriam,& nominis claritatẽ in primis nobis cõmẽdat: nec minus in humanis negocijs quàm Terentius inſtruit,ſolerteſq́ue reddit & induſtrios. Nam in primo ſtatim limine uigilans, ardenſq́; præceptum. Semper ego auditor tantum? nunquã ne reponam? Ad id enim uidelicet laboris noſtri ſumma contendit, ut ne nobis ipſis ſolis continuè diſcendo legendoq́ue, ſed alijs tandem ſcribendo, nouaq́; fingendo prodeſſe ualeamus. Denique etiam Perſio delectabilior eſt ipſe Satyricus, in eoq́; orationis genere longè copioſior; quem ſi Quintilianus ante eum natus agnouiſſet, de Perſio creditur

nullam

nullam fortè mentionem editurus. Cæterùm ob potentiorem in uitia dicacitatem, non publicè adeò legendus, sed in bibliotheca tractādus est. Si qui uerò Plautum præter Terentiū diligunt, non temerè faciunt. habent enim maiorem, sed laxiorem, & si dici fas est, lasciuiorē quàm Terentius eloquentiam, habent iocos plurimos & sales. Vix in Terentio aliquando ridetur, quoniam ludos eius & risus perinde ac idem ipse sit histrio, iniecta quadam calliditate reprimit: in Plauto autem tot facetias & lepôres inuenias, ut sępenumero ridere necesse sit. Verùm omnia Plauti uocabula non sunt imitanda, quæ decentius Comico stylo conueniunt. Terentius ad imitationē aptior est, quoniam in rebus communibus communi quoq; sermone fungitur. Plauti ætate hac uiginti comœdiæ possidētur, cum paulo antea uix octo legerentur, & eæ non omnino perfectæ: quarum Amphitryonia, Aululariaq; ita uulgatæ, risuq; completæ sunt, ut quidam eas memoriter recitarint: tum Captiui, Asinaria, Miles gloriosus, & paucæ gratiores habitæ, & eæ pariter non ubique perfectæ. Tullius Truculentum, Pseudolumq; commendat. Terentius, Commorientes, qua fabula adhuc caremus. sed in qualibet multa sunt iucunda. Statius pariter in familiaribus complectendus est, & Iuuenalis præcipua commendatione, qui de Romanis in eum plaudentibus dixit: Curritur ad uocem iucundam, & carmen amicæ Thebaidos, lætam faceret cum Statius urbem, & Virgiliana quoad potuit imitatione, quanquam non tam stylo quàm materia secutus est, ideoq; inferiore

feriore lyra. Huius duplex opus: Thebaidis maius,& minus Achilleidis, multæ delectatio nis opusculum: ergo & Tibullus itidem, licet in pentametro suscipiendus est,quoniã ab Oui dio celebratus: decet enim eosdem & nos habere commemorandos, qui ab antiquis laude dignissimi exculti sunt. Celebrantur & Catullus, Martialis, Propertius, Claudianus uterq;, cuius minus opus de raptu Proserpinæ nõ iniucũdum. nec omnino Lucanus excludendus historiæ Romanæ dignitate, Lucretiusq; anti quitate uenerabilis. nam de nimia Ennij antiquitate,seu styli eius ratione satis notum: cæteros uerò,quos non cõtemnendos ponimus, ex ijs dicimus,qui facilè reperiũtur. nam Marsum & paucos,licet à Martiali commendatos, quis familiares habeat,uel ad bibliothecam re plendam, magis quàm poliendã opportunos arbitretur? ut Gualterium de Alexandro, qui Curtium superasse credidit, cum sit inferior: ut Auroram atque eius generis auctores,quorum ideo nomina nunc omittimus, ne uel inuidiosa quibusdam,uel certè nobis ridicula sit recitatio: quos ita cõtinendos intra bibliothe cam Veronensis noster instituit, ut cum opus foret aliquãdo minoribus amicis libros cõmo dare, ex eorũ grege nõ immeritò mutuemus.

AB EODEM LEONELLO, DE *eloquentiæ studijs, præcipuè ex Tullianis operibus: ut epistolis, orationibus, & rhetoricis ad Herennium, ac geminis oratoribus.* Pars IIII.

QVoniam uerò de poëtis apud Latinos satis dictum, ad cætera eloquentiæ studia proceda-

cedamus. Iam primùm enim nulli dubiũ, omnia Ciceronis opera commodiſsima, quòd in eis ſermonum proprietates obſeruantur. Vnde Quintilianum ſapienter admonuiſſe conſtat, illum ſe ſibi profecturum ſcire, cui Cicero ualde placeret. In primis igitur ad perdiſcendam tabellariam elocutionem, Epiſtolæ familiares perlegendæ. Elocutionem uerò eam dicimus ipſius ore magiſtri, quæ in uocabulorũ non ſolum expolitione conſiſtit, uerumetiam colligatione ſeu diſpoſitione partium orationis. Quippe cunctos licet *Dictionarios euoluas, nequaquam tamen ſermonum concinnitatem excipies. Ergo epiſtolæ ſimul addiſcendæ, non uocabula ſingillatim inquirenda. Eſt autem apud Tullium epiſtolarũ uſus longiſsimè à communi apertaq; ſcribendi conſuetudine diſſentiens, & qui nullis ſit concionariæ orationis partibus obligatus: ut exordio, diuiſione, & id genus. Falluntur namque arbitrantes, ut ſunt pædagogi plerique, epiſtolam non ornatiſsimè cõponi, niſi oratoris exordio pręfulgeat. In quo genere ſunt Caſsiodori epiſtolæ, qui Boëtij quoque temporibus atque ijſdẽ uixit auſpicijs. Sunt & nonnullorum epiſtolæ ita principiorũ ambagibus inuolutæ, ut quid ipſi ſentirent, fortaſſe neſcierint: ſed Tullianæ Plinianæq; uideantur, in quibus à narratione frequẽtiſsimè ſtatim incipitur, ab exordio autem rariſsimè. Quarum quidem Tullianarum nonnullæ pulcherrimæ, aliæ etiam interpoſitionibus græcis adornatæ, præcipuè ad Atticum, quæ intellectu difficiliores ſunt, & quaſi ſuperfluæ græca ignorantibus, pręſertim cum

Alij dicũt Dictionaria, ſed utrunq; barbarum: Lexica, Græci.

& nostri librarij eas dictiones aut corruptissimè scriptitent, aut inanes relinquant. Cæterū in omnibus Tullianis epistolis certissima exẽpla sunt conficiendarum eleganter epistolarū: quo magis illorū disciplinæ reprehendendæ, etiamsi uictus causa committerent, qui propositis in * epistolandi uel ornandi genere quibusdam effiguratis gradibus, quasi memoriæ artificialis imaginibus ita sese facturos pollicẽtur, ut breuissimo studendi labore omnem penitus oratoriam artem exhauriant. Hoc uerò est uelut rudes adolescentulos in Tullianis artibus non expolire, sed expilare. quemadmodum ex aliena prouincia præcones quidã plebei superueniunt, bullatas literas magno populi concursu præ se ferentes, alios autem medicinarum genera profitentes uideas: quorum alteri omnium animas delictis & pœnis absolutas, ad cœlorū regna transmittunt: alteri omnes corporum debilitates protinus ablaturos persuadent, cum prius è stolida plebe pecuniã sint emuncturi. Itaq; nisi familiares Epistolas sedulo usu perceperis, ex eisq́; passim decerpendo & æmulando quotidiana exempla tentaueris, frustra Sophistarum opem implores, in arbuscularū picturis rhetoricales nidos ædificantium. At enim quas ad Atticum & Quintum fratrem separatim edidit, non tam ad scribendi instructionẽ necessariæ uidentur, quàm temporum illorum cognitionem, pręcipuè ad Ciceronis rerum historiam accommodatę. Plinij minoris epistolæ, quarum nuper centū & uiginti quatuor cum prioribus inuentæ: & panegyris, quam de Traiani laudibus ediderat,

Epistolãdi uerbum nouitate fugiendum.

mate-

materiæ copiosæ sunt, & elegantis styli, separati tamen à Tulliano. nam non idem habent artificium, non eiusdem officinæ facilitatem ad epistolariam eruditionem. Scripsit & alia hic Plinius non inculta uolumina, libellumque præcipuè de claris uiris illustrißimum, summaque breuitate. cætera usu non habentur. Post has, inquam, Tullianas epistolas, uel cum ijs simul rhetorica ars ad Herennium per discenda, nec multo pòst orationes euoluendæ, in quibus ut suus auctor profitetur, maior uis est eloquendi. Nam ut ex rhetorica arte theoricam, sic ex ijs practicam accipimus: ac primùm quidem laudatoriæ, defensoriæue, inde Catilinariæ, quibus & Philippicas Verrinasque coniungimus, ut scilicet in demonstratiuo ac iudiciali genere pariter instruamur. Quanquam iudiciale nunc non ad eos, qui oratores appellantur, sed aduocatos seu causidicos attineat. de quibus Iuuenalis: Inde cadunt partes in fœdera pragmaticorum. ijdémque forenses dici soliti. Olim uerò nec orator fuit sine ciuilis iuris cognitione, nec iurisconsultor habitus sine oratoria exercitatione. Præter has de Oratore seu de oratoribus, maius & minus acquirenda sunt opera. Quinetiam de Claris oratoribus ad Brutum nuper à Veronense publicatum, dulce, uenustum & necessarium. Adeoque in literati uiri probitate multipliciter laudanda, seu laudandis diuersis auctoribus cõueniens, ut nihil in eo genere tam elaboratum putem, nihil in commendationis arte tam copiosum atque delectabile. Et quoniam ulterius de Ciceronis etiam operibus

mentio fiet,ad huius oratoris in eloquétia prᴇ cepta, Quintiliani mirificas institutiones non indignè censeo associandas: quanquam ex eis fuere,qui librum duntaxat decimum,uel certè alijs præstantiorem,eligerent. Eius uerò decla mationibus in tali genere nihil æquè comparabile legitur,quasi id opus pro rhetorica & arte oratoria summa, ad Ciceronis æmulationem cõposuerit. Sanè multo elegantius quàm Seneca suas edidit.

AB EODEM DE HISTORIARUM exercitatione, ad profusiorem eloquentiam comparandam. Pars V.

CÆterùm uel ad confirmandam uel corrigendam eloquendi nimiam facilitaté, ac uelut fluuium moderatius intra eius alueum cohibendum, historici habendi sunt. Est enim historicorum stylus inter oratores emendatior,cum eorum intersit,plurima breui oratione comprehendere: est & rerum magnificè gestarum lectio delectabilis. Quorum & principem,& Romanæ historiæ parentem (ut tandem Feltrino placeamus) quidam T.Liuium asseruerunt,ut opinor operum magnitudine:alij uerò Salustio potius assentiũtur. Sed & Liuius cum styli politia (nam iucundissimè scribit,breuissimè etiam, si multa modicis clausulis intexta cõsideres) tum uoluminum quantitate mirabilis: quamuis nõ ubiq; idem Liuius audiatur,& interdum dormitet bonus Homerus, certè plurimũ laboris ac industriæ consumpsit in tanta historia succinctè describenda.

benda. Quanquam apud eum, nec minus Plinium ingentem, quidam ſermones magnificẽtius ad poëtarum morem deprehenduntur, quàm pro hiſtorico uel certè oratorio modo conueniat. Hoc enim eſt quod paulo antè cõmonui, non omnes ſcriptores ſermonum proprietates cuſtodire. Tullius in pedeſtri, hoc eſt, ſoluta oratione conſiſtit, Virgilius in equeſtri: uterq; ſua lege contentus. Nec mirũ, ſi poëtæ liceat plurima uerſibus intexere uocabula, quæ tamen impropria non ſunt, nec indecora, imò poëſi ſummè cõuenientia: oratori autem non licet. nec id Tullius, niſi cum pauca metricè loqueretur, attentauit: cæteris igitur minus licebit. At Terentius ſe inter utrunq; compoſuit: utitur enim pro more Comico ſuis interiectionibus, & antiquitate nonnunquam Comicis adhærente. ut, Nequita eſt, & deſpicatã adoleſcentiam, & iris in ſexto caſu: quibus, inquam, interiectionibus nec Maroni, neq; Tullio uti conceſſum: in reliqua ſtyli eorum contextura, mirum in modum uocabulorum eadem conſonantia, omnes inuicem * adueniũt. Sed ut ad inſtitutũ eloquentiæ corrigendę ueniamus, hoc ideo prius innuerã, quòd Cicero præcepta dat laxiora, per omnes amplificationis locos liberè diſcurrens, cum hiſtoricorum ꝓpriũ ſit uti breuiloquio. Et quoniã in eo ſcribendi genere multa tamẽ, ac magna ſunt uolumina, præcipuè T. Liuij: nõ improbandum eorum conſilium exiſtimo, qui cũ minus queant omnia eius auctoris opera intra bibliothecam cõparare, ſatis eſſe ſuadentiũ, omnes hiſtoricorũ orationes, uel huius ſaltẽ, quia pulcherrimę

aduenĩũt, pro conueniunt.

sunt, uno uolumine comprehendere. Salustij uerò quia apud nos uix duo opuscula superfuerunt, paucæ sunt orationes: sed eiusmodi tamen artificijs historicæque rationis ad Romanam grauitatem, ut planissimum sit, reliquos historicos in contexendis orationibus exempla ab eo sumpsisse. nam odia, simultatésue tribunorum plebis aduersus potentiores ijsdem ferè uerbis utrinque pariter aduertuntur, eadem rationis compositio est. Cum prologos autem Iugurthinæ, Catilinariæq; consideras, quem maximum ex Stoicis non te putas audire? Cuius utinam omnia scripta adhuc extarent, cum uix omnes saltem eius reliquias habeamus. Sed de Salustio aliàs. De Q. Curtio eadem propè querela est, cuius laceratum opus legitur: quanquam Græcorum & Ariani constat historia, ex quorum fontibus hic scriptor uel interpres miræ dulcedinis regiæque profectò magnificentiæ par ab Alexandro nō degenerans, opus suum excudit, cuius summæ sunt dignitatis & historicæ suauitatis orationes. Cæsaris egregia sunt Commentaria, ut cætera magna eius uiri facinora admiranda fuere: quem ultra imperatorias & militares artes oratorem bonum fuisse, promptissimumque scriptorem, & sua exempla, & ueterum testimonia declarant. Cæterùm eiusdem scripta priora de Gallico ciuilique bello, à Cicerone etiam in libro de Claris oratoribus commendantur: non tantæ tamen eloquentiæ, ut uulgò feruntur, quod ideo auctoris ipsius claritate procedit: posteriora autem ab alijs eius ætatis auctoribus adiuncta, sic plerisque

risque confusa sunt locis, ut somniantem putes audire. Ad hos uolumina compendiaria breuitatis gratia admodum utilia, iucunda, expedita quis ignorat, & Romanæ prorsus eloquentiæ? ut Flori, Solini, & id genus. Contrà uerò historiarum maria, ut aiunt, uastissima quidem asinorũ onera, ac eiusdem molis Vincentios, qui historias scripserunt, magnaque historicę sermonumque improprietate laxius abusi sunt: non utique tantæ immensitatis homines, quasi Polyphemos uel Cyclopas intra bibliothecam nostram hospitandos arbitramur. Quorum compendiarios aliquanto tolerantiores dixerim, quanquam ab eorum stylo sententiaque parum differentes: ut Eusebium, Paulum Orosium, & consimiles.* nam de Iosepho, quem alij Græcum, sed Iudæum, Hegesippo quoque teste, rectius pleriq; dijudicant ex eius barbaro nomine: latini tamen styli iucunditate, quem Romæ didicit, publicis honoribus insignitus, ita censendum existimo, ut inter historiæ peregrinæ scriptores egregios suscipiatur. Quidam ideo à Hieronymo seu de barbaris, siue græcis literis translatum crediderunt, quòd ipse diffitetur, quo cũ & eiusdem historiæ uenerabilis scriptor Hegesippus complectendus: uerùm enim præter hos & alij sunt historici penitus admittendi ad eloquentiam, nescio quo pacto à superioribus differentes, regiæ tamen imperatoriæque maiestati conuenientes. Quorum Suetonius est in primis de XII. Cæsaribus: illustre quidem opus, sed styli, ut diximus, remotioris, quem tempore secuti, ordineq; dicendi æmu-

Flauius Iosephus Iudæus sine dubio græcè scripsit, nõ Ebraicè aut latinè: sed pòst in latinum sermonem conuersus.

lati sunt Spartianus & Capitolinus, scribētes quę à Suetonio posteris forent commendata: nam in calce Domitiani reliquit de abstinentia & moderatione insequentium principum. Nec Corneliorum opera, Taciti & Nepotis omittenda sunt. Plutarchi quoq; ad historiam potiora existimantur, quàm quæ in philosophia seorsum edidit: ex quo nostra tempestate plurimæ factæ sunt traductiones, ita uarij styli, uti diuersi sunt interpretes. His cum latina transcriptio Laërtij Diogenis associanda est, pro tot philosophorum ueterum cognitione dignissima, opus Nouelli Ambrosij monachi. Quanquam de græcis authoribus dicere alio loco reliqueram, ita seu latinè iam facta, siue adhuc græca cognitu sunt necessaria.

AB EODEM, DE LIBRIS VERnaculi seu materni sermonis. Pars VI.

Hic cùm Leonellus paululū resedisset, Feltrinus intercepit: Quid autē de Apuleio, & Asino nostro aureo? de quo, ut abundātius cum meis ridere possem, eum ego ipse in uernaculum sermonem transtuli: an non ea fabula, ut Plautina, delectat? At Leonellus: Equidem inter fabulosa recipiendum arbitror. Cuius stylus ideo uarius, incōpositus, rigidusq́;, *auctori Græco, minor fuerit nostri sermonis familiaritas. Denique cum iam in omniū media turba consistimus, huius asini mentio quoniam abs te uulgaris effectus est, menti subiecit eos nunc libros memorare, quos apud uxores & liberos nostros nonnunquam hybernis nocti-

L. Apuleius certè Afer fuit, nō Græcus, ut ex ipsomet liquet.

noctibus exponamus. Sunt qui putent, in quotidiano colloquio plebei quoque sermonis auctorum consuetudinem plurimum gratiæ & eloquentiæ conferre. Vnde etiam uisi sunt nostrorum quidam, præsertimque meliores, ueterum libros in patrium trãsferre sermonem: principum etiam autoritate deducti, qui sibi transferendos mandauerunt. Sed eiusmodi tandem laboris sui mercedem interpretes accepturi, nempe ut à sapientioribus accusentur, ex latinis bonis, uulgares non bonos reddidisse. Quòd si ad principantium mores & ingenia eiusmodi opera conferre censeant, ut historiarum potissimè, non diffitemur. Sed cũ uulgaris linguę sint, æquè talium animos principantium & plebeiorum conferendos ego censeo, quòd utrunque genus literarum eruditione careat: quantumuis alterum cœnet ostrea centum Gaurana, & toto Cosmi mergatúr aëno: alterum uili strato fictilibusque contentum. Quorum operum interpretibus id mali genus superuenit, ut cum fortè sermones quosdam prauè transtulerint, quos in præsentia traductorum auctoritate continemus, eiusmodi librũ credantur non intelligere, multaque à se delicta cõmitti locis intellectu difficilioribus. Cæterùm uulgarium auctorum frequentissima sunt opera, Dantis, Petrarchæ, Bocatijque uolumina: sunt & Gallica, Hispanaque lingua, intra nationem nostram aduecta, & pro multitudinis ingenio soluta,* consonantiq; ratione composita: sed apud plebẽ cõpositionis uocabulo digna. Cuius ideo generis auctores Idiotas nominant, q; illiterati

**Consonanti, pro metrica, siue rhythmica usurpasse uidetur.*

ſint,conterraneo tantum uſu loquentes. nam à quo ueterum unquam audiuimus, opus materno ſermone compoſitum? Opinantur quidam non uernaculam & ſeparatam, uti nunc eſt, apud antiquos loquendi fuiſſe conſuetudinem: ſed unum omnium Italię ciuitatum idioma, latini ſcilicet literatiq; ſermonis. quod nō procedit, ſi ſcriptorum plurimam in ſtylo differentiam aduertimus: ſequereturque magis, nullas unquam puerorum ſcholas, nullos ludi magiſtros uel præceptores apud ueteres extitiſſe: quorum ſępenumero mentionem ab iiſdem fieri uidemus, cum domeſtico ſermone inter plebemque uerſando, id quotidiano uſu facilè conſequi potuiſſent. Itaque ſeu ii uulgariter, quo populo placerent, quas feciſſent fabulas: ſiue etiam grammaticè ſcripſere, uti pręceptor ipſe Franciſcus, Ioannesq; diſcipulus; non tamen eos audemus in hanc politiorem, quam nunc ſtruimus, bibliothecam admittere. alius quippe eis locus aſsignādus eſt. Cum Gualfredis, Gualterijsque ſimilibus, cum Caſſiodoris, & Iſiodoris Palatini ſtyli lampade, ut ipſi dicerent, coruſcantibus. Nunquam hercle eos magnifecerim, dicant quantumuis maxima. nam ut plurimum iidem mathematici, ſeu cunctarum artium magiſtri uideri cupiunt: in quibus nulla grammatici ſtyli ſit auctoritas, nulla uocabulorum niſi uulgarium demonſtratio. In quo genere omnes adiudicādi ſunt, ut breui ſententia concludam, qui à ueterum more diſſentiunt.

AB EODEM, DE MORALIS PHI-
losophiæ libris, præcipuè Tullianis: deq; philosophorum ueterum uarijs opinionibus, ad unam ferè tamen sententiam tendentibus: & de moralis philosophiæ libris opportunis, necnon de ueterum Commentatoribus suscipiendis, ac nouis Dictionarijs omittendis.

Pars VII.

HActenus de eloquentię historięq; libris, quos opportunos magis existimaui: ad moralem accedo philosophiã, in qua nõ minus Ciceronem nostrũ, quàm in orationis elegãtia principem arbitramur: enimuero plurima & in primis hoc in genere græci philosophi scripserunt. Quorum seu ipse Plato seu Platonici principes, & Peripateticorum Aristoteles, cuius extant diuina Ethicorum & Politicorum opera, multa quoq; hic noster ex Græcis ita æmulatus est, ut ab eis inuenta meliora reddiderit, qui etiam per se sapientius excogitauit: & cum modò de libris Officiorum mentionem faceremus, de morali simul philosophia ratio cœpta fuit, à naturaliũ ordine minimè discrepante. In qua facultate si qui sunt, qui Senecæ moralis opera aut præponere aut conferre audeant, eos arbitremini Tulliana uolumina non tractasse. Nam per Deum immortalem, quæ tandem Senecę doctrina est? Omitto autem hunc diuinum de Officijs librum, cũ *Ciceronis disciplina comparanda: neq; uerò contenderim, ad eosdem bonorum fines, eodemq; ferè ambos limite non peruenire. concurrunt enim conueniuntque non ueterrimi solum, sed Academici etiã, Peripateticiq;. Hoc idem

Fortè Senecæ, ut sequẽtia indicant: & cõparanda, pro comparare.

idem in cæteris omnium philosophorum moralium iudicij, qui licet aliquãdo sermonibus contrarij uideantur, ad eandem tamẽ ferè sententiam, eundemq; finem rediguntur. Comparationem prius, deinde conclusionem breuiter apponamus. Stoici quidem, quorum Socrates maximus, bonorum finem in honesto, hoc est, sola uirtute constituũt, boni nihil asserentes, nisi decorum: quod ipsi tamen honestum, idemq; necessarium esse uoluerunt: nihil mali nisi turpe, quod idem inhonestum, seu præter necessitatem appareret. Aristippus & Epicurus in sola asserunt uoluptate, quod horridius primò auditu est: ac Hieronymus Rhodius in doloris carentia, Carneades clarissimus in naturæ bonis quibusq; maioribus: Peripatetici, in quibus (ut diximus) illustrior Atistoteles, & antiquiores Academici, quorum Plato & Xenophon præstantiores, bonorum tria genera distinguentes. unum animi, idemque sublimius: corporis aliud, & id mediocre: tertium, in externorum bonorum commoditate, utiq; remotius & quasi alienum existimarunt. Dinomachus & Calliphon cum honesto uoluptatem ligauerunt: Diodorus Peripateticus doloris carentiam cum honesto. Hæ sunt philosophorum ferè omnium sententię de summi boni finibus. nam de reliquis tenuissima est auctoritas, quas si diuisim colligas, prima specie longius dissentire uidebũtur. Inuicem tamen hoc pacto concluduntur, siquidem à Peripateticis Stoici orationis stylo quã re magis dissentiũt, bona animi quæ potiora sunt, in honesto statuentibus. nam cætera, quę ab ijsdem

bona

bona sentiuntur, Stoici commoda dicenda cẽ fuerunt. At ij, qui bonum in uoluptate constituunt, eam tamẽ uoluptatem animi potius delectationem quã corporis esse uoluerunt, cum Epicurus ipse in eo genere princeps, mortem & cruciatus pro nihilo ducat, minimoq; cibi & potus alimento corpus esse contentum: cuius sentẽtia à Stoicis nihil differre uidetur. nec ab re Seneca multis in locis extollit, quanquam Tullio uox Epicurea de uoluptate inhonestior uisa, ac multo minus Calliphonis, & Dinomachi uoluptatem * iungentium. Diodorus Rhodiusq; paulo magis amouentur, boni finem in doloris carentia terminantes, quo humana fragilitas carere non posſit. Carneades à Peripateticorum consensu non longè abest, eandẽ ferè boni definitionẽ examinans. quibus cõclusionibus satis mihi persuadeo, Senecam Stoicũ à Tullio in bonorum circuitione non dissentire: uerũ in philosophicæ disputationis præstãtia, orationis grauitate, ornatu & copia haud minimo distantem interuallo. Non igitur Senecę uolumina cum Officiorum magnitudine comparãda, quæ uix queat cum libellis de Amicitia & senectute, paradoxisq; contendere: ueruntamen intra bibliothecã Neronis præcipuè commendatione, cuius nobilis præceptor extitit, & alterius Senecæ tragœdi consanguinitate recipiatur, tametsi ab A. Gellio auctore peritisſimo, è præstantium oratorum concilio norationis causa proijcitur. Quid uerò dixerimus de ipsis bonorum & malorum finibus, de Tusculanis quæstionibus, de Academicis, de Legibus, * de uirtute ad Hortensium? Quid autem

Deest, Cum honestate: ut Cic. Tuscul. libr. 5. & Diodorus Hieronymusque, non Rhodius, ex eodem Ciceronis loco

De laude philosophiæ Hortensius appellatus, non de uirtute.

autem aliquanto ſubtilius de natura deorum, de fato, de diuinatione? Quid de cæteris operibus in hoc genere, uel barbarorum immanitate, uel certè ſuperiorum incuria perditis, præſertimq; de Republica ſex libris? in quibus, ut existimo, ipſam Platonicam politiam, hoc eſt, ciuilitatem ſuperare debuerit, non ipſe à Platone ſuperari. Ad hæc, qui Columellam, Catonem, Varronemq; in agricultura, ſeu alio ſcribendi genere commendant (iam enim ad naturalem deſcendimus philoſophiam) non inſcitè faciunt, ueterũ ſtylo * delectantes. In quo genere ſicut quidam recentiores extitere, ſtylique inferioris, ut Albertus quantumuis maximus, Creſcentius, & quidam alij: ita inferiores apud hos reputandi, minusq; bibliotheca noſtra neceſſarij: ex quibus tamen Vitruuius de Architectura, rei nouitate, ſtyliq; ſonoritate deſinentius, non omittendus. Fertur & Archimedis opera traduci à Ioanne noſtro Auruſpa, cuius ſeu græca ſeu etiam latina uidebimus, non dubitatur in eo artificij genere nihil tam præſtans inueniri. Sed à noſtræ bibliothecæ libris uidemur ad mathematicorum ſcientias excedere: quorum eſt præter hæc de geometria, arithmeticaq; cognoſcere. Ad naturalẽ igitur, ac magis noſtram redeamus: cuius longè effulget feliciſsimum opus, ingens & laborioſum Plinij naturalis hiſtoriæ, parẽtis ſtyli diſertiſsimi, multaque antiquitate redolentis. Quod ut correctiſsimum haberemus, nouiſtis omnes, adiutoribus Veronenſe & Victorino familiaribus noſtris, quanto cum ſtudio ex remotis etiam nationibus multorum exempla conquiſierim.

Delectãtes pro delectati.

ſierim. Is, inquam, Plinius mihi uidetur quaſi aliorum omnium commentator, qui in eo genere ſcripſerunt. Tum Feltrinus: Quòd ſi eius omnes hiſtoriæ omniaq; adeſſent literarũ monumenta, quorum diſtincta mentio eſt apud Plinium nepotem, non minoris certè admirationis exiſterẽt. Leonellus excepit: Quid ſi etiam Pompei Trogi reperirentur? Sed is de Plinio maiore locus monuit, ut de commentatoribus pariter diceremus ſuper præſtãtes auctores. ſunt enim qui quoſcunq; ueterum, nouos etiã expoſitores ſeu dictionarios ſtudioſe perquirãt. Sed hoc eſt ignorationem profiteri, eóque magis cum ad deuias librorum per circũſcriptiones, & imperitorum præcepta declinant, rudibus & prædagogis, imò nullis conueniẽtia, qui maximè cupiat erudiri. Nam quã percipiet quiſpiam utilitatem ex præceptoribus uocabula deſcribẽtibus, quorum proprietatem non intelligant? nec an græca ſeu latina ſint, queant iudicare? tametſi dicant, Hoc aut illud græcum eſt. an ſcilicet græcum eſt, & ab his magiſtris intelligitur, qui aretalogus (ita enim eſt apud Iuuenalem) pro ſermone mendaci interpretatum uelint? & omnes quos modò retuli, idem errantes aſſeuerant: imò & ubicunque eandem in tali ſermone expoſitionem aduerteritis, eius libri auctorem, & Papiarum, & Catholiconum græcè dignoſcatis. nã quid areta uel arete, quod uirtutis nomen ab Homero uxori regis Alcinoi conceſſum eſt, cum mendacio proprietatis ſit habiturum? potuit ſiquidẽ ſermo ſiue logus Vlyſsis apud Aretem mẽdax exiſtimari, non autem aretalogus ſermo mendax

dax exponi. Ita ab uno crimine & multa uitiosa percipias. In quo præterea literarum ordine ſermones à ſe diſpoſitos cenſeamus, quorum principia neſcierint, ſi cũ aſpiratione, uel nulla debeant annotari. nam indifferenter poſuerũt ipſam pariter K literam, quę apud Græcos pro C ſit, in alphabeti ordine diſtinguentes, alij in R litera, alij in C litera numerando. Ita cum ineptijs erroribusq; ea ſint plena uolumina, non ego perquiram potius, quàm Donatum & Seruium Priſcianumq; grammaticos eruditiores, nec potius quàm Marcelli Feſtiq; diſertiora documenta. nam de Auli Gellij præſtantia ſatis innui, cui Macrobium & in eodem commentandi genere, ſi qui ueterum optimi ſunt, aſſociamus.

AB EODEM LEONELLO DE GRAECIS *auctoribus, qui magis opportuni, præcipuè de Homerica Virgilianaq; maieſtate.* *Pars* VIII.

CVm autem de Homero nunc agendum ſit, & in poëtis ſuprà præcipuam Horatij mentionem expreſſerimus, recordemur ab eodem nobis ſapienter præcipi, Exemplaria græca Nocturno uerſanda manu, uerſanda diurna. Iam enim in primis de Homeri excellentia inter nos agi poteſt, ô doctiſsimi uiri, quemadmodum à Virgilio de Muſæo apud inferos: Medium nam plurima turba Hunc habet, atq; * oculis extantem ſuſpicit. Enimuero à Marone ſatis conſtat ea gratia Muſæum omnibus antepoſitum, nõ quòd Homero fuerit eloquẽtior, ſed certè uetuſtior: quem

Humeris extã tem ſuſpicit al tis, habent codices impreſsi, Aene. lib. 6.

quem græci deinde poëtæ contemplati, uersificandi principem, & fingendi poëmatis magistrum habuerunt. Quo creditur à Musis nomẽ accepisse, cuius adhuc extant opera de nobilibus illius gentis amoribus. Quorũ & illa sunt Virgilij: Quid iuuenis, magnum cui uersat in ossibus ignem Dirus amor? Quo magis admiror eos, & quidem ex nostris utriusq; linguæ scientiam profitentibus, qui de Homeri uita scribẽtes dicere ausi sunt, Ennium poëtarum fuisse uetustissimum, nec Linum Orpheumúe poëtas in rerũ natura unquã extitisse, idq; teste Aristotele: à Marone nihilominus, ac summa cum ueneratione in Bucolicis celebratos, cum ijdem pariter de Homero scribentes, silẽtio non præterierint, eundem à natiuitate cæcum illiteratumq; fuisse, heroum gesta palàm modulari solitum, ut fit, uulgari cantilena, ex quo Atheniẽses curasse, ut literis deinceps poëtarumq; carminibus erudiretur. Quorsum ista conclusio ipsi magistro contradicens, nisi ut idem falsum proposuisse fateatur, qui Homerum antiquissimum omnium esse contenderet, eundem aliorum poëtarum carmina didicisse? Qui profectò ut eadẽ tempestate ac multo suprà esse debuerint, ut si non Homero superiores, non tamen inferiores ætate dici mereantur. Ergo sapientius à Virgilio, qui Musæum ante omnes prædicarit: sapienter etiam ab Horatio, Sic honos & nomen diuinis uatibus, atq; Carminib. uenit: post hos insignis Homerus, Dircæusq;. quorum testimonijs liquet, ante Homerũ alios poëtas floruisse. Hęc de Homero Musæoq;, qui uetustior: nũc de eodẽ Homero

In Poëtica.

mero

mero Virgilioque, in eorum præstantia quid ij de scripserint, examinemus. Sic enim pro Marone libellis suis edidere: Virgilius Pieridum amor & deliciæ, cuius uersibus nil uberius, nil splendidiusq; & elegantius nedum inueniri, sed ne cogitari quidem potest. Cernitis iam, ô doctissimi, in summè laudando præceps & remissum laudationis genus. Dum enim attestatur, nil uberius, splendidiusq; & elegantius excudi posse: relinquitur ex hac cõparatione superata, quicquam tamẽ ex alijs auctoribus uel esse, aut inueniri posse, aut cogitari tam elegãs tamq; splendidum, licet non elegantius neq; splẽdidius. Eneruatum sanè & exangue in præcipua cõmendatione genus. Additur uerò Homero ætate inferior, eloquentia par, etsi quidã Græculi id negẽt. Erant & alia de supremis in Maronem laudibus dicta. De Homero autem sic scriptum ab ijsdem cernitur: Vellem Homeri poëmata, seu mauis picturas intelligeres. Iã hoc ineptum est, ut malim Homeri poëmata picturas dici, quæ ipse nõ intelligam. ergo magis uel potius, non mauis dici debuit. Sequor ordinem: Demum ad Maronem aciem intẽderes, uideres omnia furto subtracta, nihil tamẽ ad illam cœlestem harmoniam posse conferri. Quid hæc tandem sibi uult de Homero Maro neq; comparatio? nónne hæc illi facetiæ persimilis uis dare: nec dare enim uis in altera parte, Virgilius Homero par dicitur eloquentia. In altera Homero asseritur nil posse comparari. Incertior fio, quid teneam nescio. ergo cum à nobis nonnulla superius de utroq; memorata, rursus & hæc de Homero breuiter subijciemus,

mus,quãdo nũc locus eſt.Eius opera duo ſunt maiora.Ilias de Troianorũ Græcorumq; bello magnificentius:Odyſſea,de Vlyſsis erroribus, ſtyli eiuſdem,ſed materiæ paulo depreſsioris. Ferũtur & eius ingenij iuuenilis minora fuiſſe hymni deorum,ſeu diuinę laudationes,quem admodum ętate noſtra Pontanus pentametri cè diuorum laudes cecinit. Itemq; Batrachomyomachia,iocoſum opus,ut poëtæ iunioris à iuuene quodam Carolo Aretino heroicè trãſlatum.De quibus opuſculis ſi quidã fortè dubitant ea Homeri non fuiſſe,quia ſint ſtyli paulo inferioris: dubitari quoq; poſsit, Priapeiã, Copam,& nõnulla eius generis à Virgilio prodita, quòd cæteris eius operibus lõgè ſint aliena.Sed ex hac IliadeOdyſſeaq; ſatis liquet,Maronem noſtrum ueluti exemplaribus, exẽpla ſumpſiſſe,quibus de Auguſti laudibus inſinuãdo Æeneæ errores, bellumq; Troianorũ cum Turno meditaretur.quanquam Virgilius præter Homerum in Æneida plures etiam græcorum & latinorum ſcriptorũ ſit æmulatus,non omnia ab Homero furto ſurrepta,ut idem criminari conatur. Sed Apollonium præcipuè in Didonis amoribus,quæ una Virgilij pars præſtantiſsima exiſtimatur:cætera uerò in omnibus libris à Virgilio poſita, tã à ſeipſo ſunt pulcherrimè,quàm aliorum exemplaribus aptiſsimè conſtituta,ſed ab Homero tamen electiſsima.Hanc præterea Homeri laudem Donatus uult eſſe præcipuam,illum cæteris poſt ſe poëtis utiq; fontem extitiſſe. Quem ergo mare uaſtiſsimum potius dixerim, unde figmentorum uarias rationes exciperemus? Sed adeò

Homerum Virgilius præter cæteros æmulatus est, ut apud latinos quod notissimũ, apud græcos quod admirabile, quantum Maro, nemo tam perfectè effinxerit. Neq; uerò Seruio prorsus assentiam, Virgilium iactanti Homerum longo interuallo prosecutum, si ea de causa dixerit, quia de cœlicolûm cõsilijs, diuorũq; uulneribus nouum dictu, ac de omnibus bellicis monumentis & cædibus, cæterisq; uel ad regios mores uel ciuiles, ac nauticos pertinentibus, nõ tot à Virgilio tractata sint: sed cuiusmodi picturæ, ita nõ de omnibus, quæ uel priuatim fiunt, seu publicè dicuntur, poëta noster recensendum excogitauit: ut Homerus græcorum more dicẽdi copiosissimus, qui mulierum etiam salsamenta & pultes in heroũ gesta contulerit: sed ut quàm pulcherrima uisu, magnifica auditu, dignissima relatu forent, nec minus ad naturam accommodata demonstrauit: sicut in floribus apes, quos licet omnes circumuolant, non ab omnibus tamen, sed electissimis nectareos rores excipiunt. Itaq; nihil emẽdatius Georgicis uideas in omnibus seu græcorum seu latinorum poëtarum operibus: siue ut magnificentius dicam, nihil tam emendatum, nihil tam breue, iucundum copiosumq;, quàm Bucolicorum opus: nihil tam excellens quàm Æneida. Verùm longior hac in parte sum. Post Homerum inter Græcorum poëtas habendos Apollonium, quem modò attigi Argonauticõ: Pindari, Euripidis, Sophoclis opera minora, & fabulas Æsopi satis existimo. sed hoc opusculum in soluta est oratione, aliàs maius, aliàs minus inuenitur. Nã de Græ
corum

corum figmentis & fabulosis plurima insuper ab eis,& quidem soluto stylo memoriæ mãdata sunt.Porrò quæ ad historiam spectant, metricè descripta,tanta adeò in græcis dicẽdi scribendiq; uel fingendi potius lasciuia fuit, ut in philosophia, quoniam de utraq; infinita pariter uolumina semper extiterunt,electiora quędam Platonis,eiusq; discipuli Aristotelis, uel eius æmuli Xenophontis puto sufficere:quorum scripta numeratim, aliorũq; philosophorum apud Laërtium latè demonstrãtur. Quanquam & hæc à nostris magna ex parte latinè transcripta sentio,præcipuè Pędiam Cyri à Pogio pro socero meo rege Alphonso: ipsumque Laërtium pro insigni ciue Florentino Cosmo, Medicorum familiæ, à monacho Ambrosio translatum.Sic in eloquentiæ genere Demosthenis,& Lysiæ Platonisq; orationes, & epistolæ latinę factæ sunt,pręter eius decem summi philosophi de Republ.libros,ut abs te Veronense sępè audiui,per Vbertũ Decembrium translatos,huius Angeli nostri genitorem,qui Mediolanensium primus ætate nostra græcas literas dicitur ex præceptore Chrysolora didicisse.Idem de Republica ex se libros quatuor ad præsentem Insubrium ducẽ, ad Philippum Mariam edidisse. Sic in historia transferri nũc audio Herodotum atq; Thucydidem, ingentia opera,à Laurentio Valla.Quos seu latinos, seu græcos habuerimus, inter græcos tamen historicos uti præstantes recipiamus. Alios rursum ab alijs latinis græcos auctores, ut Ptolemæum græcum auctorem, cosmographum. Item in arithmetica & astronomia

 alios

alios græcorum ueteres. Nam posteaquam ua ſtata à Barbaris infidelibus Conſtantini ciuitate, cæſoq́; eius imperatore optimo uiro, Deſpotis frater Romam cum gentis eius reliquijs cõfugiſſet, uix credibile eſt, quàm multi noſtrorum penè Græci effecti ſint: quaſi in Attica, uel Achaia conſueti, facultateq́; compererint græca uolumina pertractandi. Ita quicquid in auctoribus græcis optimum noſtris apparuerit, eueſtigiò diſtorquebitur. Ergo de gręcis ſatis. Tum Feltrinus hilarior: Quàm ſubitò nobis Leonelle, de latino Barbarus nuper uidebaris in græcorum explicatione. Sed perge quæſo de latinis, quæ reſtant opera recenſere. Cur enim de theologiæ libris, ſeu diuinæ legis ſcriptoribus, nulla abs te mentio, quòd in eorum lectione præſertim ſæpè delecteris? non & ij noſtram attingent bibliothecam?

AB EODEM NONNVLLA DE SAcræ legis Scriptoribus: *item in calce de noſtræ tempeſtatis auctoribus quædam breuiter.* Pars IX.

AD quem nihilo ſegnius placido uultu Leonellus. Dixi ſuperius, ô chariſsimi, ſi meminiſtis, quoſdam noſtrorum eſſe, qui contemptis reliquis ſcientiarum ſtudijs, pontificio iuri ſeu ſacris tantum monumentis incumberent: ſed horum utiq; uita religioſa, in qua ſe ſibi magis proficere quã in noſtra, quam ſecularem uocant, arbitrantur. At nobis de ciuili magis elegantia quæſtio mota eſt, eadem ferè ratione iuris ciuilis libros præterij:

quorum

quorum cognitio sanè ita apud oratores nostros præstans, & urbanitate facundiaq; Romana non abhorrens, ut apud ipsos iurium cõsultores multo quęstu fœcundissima. quo quidem effectum est, ut eius generis librorũ, necnon medicinæ tractatione populare carmen ederẽt. Ex alijs paleas, hoc est artibus poëticis uel oratorijs, quæ quidem non corporeæ uoluptatis causa, sed ingeniosæ eruditionis, animiq; delectationis, & lõgæuæ posteritatis gratia perquiruntur: ex istis collige grana, ut inquiunt: hoc est, ex popularibus institutis, quotidianaq; in uulgus necessitudine. Verùm, ut attigi modum eum in ciuilium legum auctoribus, eiusdem Romani styli sit auctoritas. Non nullos pręterea, tametsi non legum magistros aduertimus, quos in bibliotheca habere non pigeat in eo genere pauca, sed præstantiorum uolumina. Sic & apud meipsum aliquot esse percepistis digniores ex Hipocraticis medicinis annotationes, in eo genere ex Plinio maiores tres libros. Est & astronomię subtilissima contemplatio, eiusq; generis disputatio periucunda. Verùm enim sacrę legis uolumina enumerare distuleram, nõ ut infimæ, cum de re altissima sint, sed materiæ à nostris remotioris: uideris quippe nonnullòs hac tempestate probatissimos uiros ex uestro ordine, cæterùm seniores eius scientiæ libris præcipuè deseruientes: tametsi me iuuenẽ quoq; ijsdẽ studijs orationibusq; continuis ad dominum operam dare non ignoretis, cum superioribus annis eius generis præcepta parcius attigissent; quorum mortalitas alijs consuetudine ostendisse uidetur

tur id scientiæ genus, excepto sacro ordine senioribus potius conuenire, qui de Deo tandem ac diuinæ religionis cultu tanquam in ultimo uitæ stadio propensius meditentur: nec ab re ijdem seniores à nobis exponũtur, quos græcè presbyteros nominãt. Quamobrem ad senectutem præparare uelut sepulchralia monumenta, non alienum à politia nostra censeo: ut electiora quędam Ambrosij, Augustiniq́;, cuius de Ciuitate Dei licet maximum opus, idẽ summopere delectabile: sed præcipuè Hieronymi, cuius omnia diuina, pręclara, Tullianaq́; sunt opera. In quo genere sunt & qui Lactantium, & Chrysostomum pariter ab Ambrosio monacho translatum, & Cypriani * Climaciq́; epistolas eodem cœtu abigendas uelint. Delectatur erudita senectus potissimum in Euãgeliorum Psalmorumq́; græca lectione. Vidi ex nostrorũ ordine cùm priuatos tum principes, qui secum ueteris nouiq́; testamenti monumẽta, quę Bibliam appellant, minimo quidem cõpacta uolumine gestarẽt. Sed ut antea dixi, ad remotiora artibus & moribus nostris studia me distrahitura. nam quo magis enumeranda uolumina, delectatioribus iamdudũ explicatis à bibliotheca nostra longius euagabimur. Hic Reatinus pridẽ ab eodem Leonello equestri ordine donatus: Satis superq́; princeps me morasti, inquit. Miramur tum quo pacto. neq; enim per obliuionem quorundam nomina operaq́; præterieris, qui hac ætate eruditissimi multa scripsere. nam præter nouas è græcis uoluminibus traductiones, quas modò memorabas, & aliorum extant epistolarum libri, orationes,

Forte Chromacij. nam Climacus iste quis fuerit, nescio.

tiones, prosarum & carminum uolumina: nónne commemoratione tuâ illustrari meruerũt, & intra bibliothecam nostrã admitti? Cui Leonellus ore summisso: De priscis auctoribus, ac optimis doctoribus à nobis quæstio orta est, tametsi de nostrorũ paucis per inuidentiã mẽtionem modò faceremus. Scimus & abs te Thoma composita egregiè uolumina. Quòd si qui nouis etiam scriptoribus tanquam rerum nouitate capiantur, eorum sententiam non reprehẽdo: nobis quoq; noui placent auctores, modò pro ueterum more loquantur. Sed quinam isti? Antiquè enim emendatissimeq; scribentes paucissimos quidem repereris. Cæterùm rectè dixisti, illorum esse illustranda monumenta. Quamobrem diuturnitate opus est, & iudicia posteritatis expectare: tunc illa de se tempora tanquam in frugibus maturitate percepta, ingenia eorum ueluti autumnalium sapores licentius arbitrabuntur.

AB EODEM LEONELLO MIRIFIcè, *quòd rhetorica, quæ dicuntur uetera, non* Tullij *fuerunt: neq; de re militari libellus, qui* Ciceroni *inscribitur: neq;* Ouidij, *quem de uetula aiunt: neq;* Iuuenalis Satyra, *quæ ultima de militia notatur: neque* Catonis *opus metricum, quod ludimagistri* Catonem *nominant: neque epistolæ* Senecæ, *quæ inscribuntur ad* Paulum, *seu* Pauli *ad* Senecam: *ac de plerisque librorum ineptijs, & apocryphis indignè suppositis.*

Pars X.

EOdem fortè die post uespertinam cœnationem, quemadmodũ superiora remotis è prandio mensis acta fuerant, cum ad suburbanum palatium Belfloré, ut aiunt, pedestres unà tenderemus, Nicolaus Strotia, uir eloquentiæ non imperitus, inter omnes incœpit: Hodierna ex te admirati sumus die, ornatissime princeps, in auctoribus numerandis, cùm solertiã tum memoriã. nã quanquã aliàs abs te de librorũ rationibus, & bibliothecis dissertatum meminerimus, nunquam tamen disertius quàm hodie tractatũ arbitror, tũ quòd per cuiusq; ferè præstantissimi dignitatem expeditè transcurreris. Veruntamen in designandis rhetoricis Ciceronis nescio, qua de causa rhetoricorum duntaxat ad Herennium mentio prodita est: rhetorica autẽ uetera à nouis, non ipsa rursus à partitionibus rhetoricis distinxisti, quæ ad filium Ciceronem inscribuntur. Meminisse præterea debuisti insignes cõmentarios super rhetoricis ueteribus à Victorino scriptos, qui Hieronymi magister creditur: & horũ nulla abs te facta memoratio. Cæteri qui aderant omnes ferè iuniores (nam Veronensis aberat) idem assentire uisi. Tum Leonellus: Cum de rhetorica arte, inquit, ad Herennium memorarem, omnia Ciceronis uolumina, quę sunt quatuor in eo genere, inclusisse mihi uideor. Audeo igitur iure meo dicere, quòd fortè miremini, rhetoricorum illud opus ueterum, ut dicitis, ex Cicerone non prodijsse: non profectò magis quàm de re militari libellum, ineptijs refertum, quæ præsentis æui uulgaritati, quã ueterũ dignitati cõueniat magis:

magis: non magis quàm ab Ouidio, quod de uetula opus aiunt, contemptissimum sanè & rudi scriba compositum: ad hoc non magis q̃ ex Iuuenali satyram illam seu satyræ imaginẽ apographam, ad Gallum nescio quem de militia notatam: non magis quàm à Hieronymo epistolas quasdam, quas in calce suarũ, aliusq́; scipturæ manu & auctoris positas aduerti: nõ magis quàm ex Plinio maiore nonnullas Abraham, Hebræorumq́; superstitiones interpositas: non magis quàm ex Seneca & Paulo epistolas prodijsse, quæ uicissim editæ memorãtur, etiam attestante Hieronymo, si sic prodidit, bono magis in ea parte uiro quàm iudiciario. Quanquam eandem appositiuum scriptorem, ut uarium ostentatorem, ita Hieronymũ induxisse deprehenditur, quo falsa falso magis testimonio defenderet. Facile est enim phræneticorum commentationes à peritis deprehendi, nihilq́; minus antiquis philosophis creditum: in quorum numerum etiam Anneum, Neronianiq́; temporis studiosos adscribimus, quam Christianam religionem seu publicè siue clandestinè agere maluissent, teste etiam illorum temporum Suetonio, qui nihil à Nerone factum dicit magnificentius, quàm quòd Christianæ sectæ professores interimeret. Sed ordinem repeto non magis quàm à Catone, uel Censorio uel Vticense, quod Catonis dici solet opusculum metricè scriptum, in quo pueri solent moraliter erudiri. Nam si Catonianũ est, quo pacto in eodem de Virgilio, Ouidio, Lucano mentio facta, qui citra Catonum tempora prodierunt, non magis quàm ab Æsopo

latino: quoniam de uero ac græco hodie tractauimus ultimam fabulam, quam puer legebam, de pueris cum lepore ludentibus, alieno metri & ſtyli genere pædagogicè adiunctam: omnia quidem uanitate referta, à phræneticis excogitata, qui ſic latitâtes inani gloriæ tegumento, apud imperitos exultare uoluerunt. Atque eiuſmodi leuitates ita ſolent à ſubtilioribus deprehendi, imò uerò à mediocriter doctis, uti quempiam fortè alius caudam animalis equinæ caudæ complicantem, quo una eademq; cauda uideatur, ilicò rideremus. Tunc omnes Leonellum talia dicentem multò magis admirari, expectareq;, quónam tandem diſputatio eius euaſura foret in rhetoricis: neq; enim mihi qui tunc aderam, neque quibuſdã dubium apparebat, eam ſatyram Iuuenalis nõ fuiſſe, & quædam ab eo memorata, ineptè ſuppoſita. Cæterùm de rhetoricis ueteribus omnes addubitare, ac ille diſputationẽ continuare, cum iam ingreſſo Belflore palatio, conſtratisq; ſub ingenti lauro ſedilibus ſic perrexit: Enimuero error hic multo plus adoleuit ob duplicem iniectam adumbrationem, quo minus diſcerni ſolitũ: ſed à me liquidò patefiet. Principiò rhetoricorum opus, quæ uetera dicitis, ex ſe ipſo eſt, ſeu per ſe exiſtens, nulli alij coniunctum uolumini, uti de ſatyra modò dictum, uel de Pauli & Senecæ, Hieronymiq; epiſtolis: & hanc primam dicimus adumbrationem. nam non illorum auctorum eas eſſe, quibus appoſitæ ſunt, ineptias, tria indicia manifeſtant, quæ mox aperiam: uerùm enim recordemini unum paulo ſuperius adumbrationis
locum

locum definitum. Primum, quòd nō eiusdem penitus styli esse doctioribus appareat, licet plerisq; : sed minus doctis apparere uideatur; & ut ipse Tullius in Officijs inquit: Quamuis paululum in tibijs aut fidibus discrepet, id tamen à sciēte solet deprehendi. Secundū, quòd finem operis illius, quicunq; sit in auctoribus cautus, facilè considerat: ita quod cuique fini debito adiunctum sit, omne id superfluum arbitratur & alienum, non autem ab eodem auctore descendere. Tertium, quòd sæpè uidere cōtingit eiusmodi uolumina antiquissimè scripta, in quibus aut non sunt eæ suppositiones, quæ Græci paragrammata dicunt: quoniā uel illorum operum librarij docti ijsdem ineptijs assentire non ausi sunt, uel quia fortè per eam tempestatem nondum tales extarent appositiones: aut si antiquis uoluminibus insertæ sint, facilè deprehendit recentioris librarij manu descriptas. Iisdem sanè indicijs nōnunquā percipi licet, Iuuenalis codices uetustissimè scriptos, in quibus illa postrema satyra uel nō inserta est, uel alius inscriptiōe supposita. Sed quanquam à nobis de rhetoricorum ueterum suppositione præsens ac maior disputatio est, hoc tamen in loco ueluti præsentiori confutanda est cuiusdam Commētatoris in Iuuenalem uerbosa contentio. nomen aberat, sed ex audacium grege pædagogorum accipitur, super eadem satyra, de qua nūc mentio est, se mirari plerosque asseuerantes, eam non esse Iuuenalis. Cæterùm duo se habere argumenta, cur Iuuenalis esse credatur. Vnū, quòd in longinquam militiam relegatum poëtam constaret, odio

De Offic. lib. 1

odio Paridis Pantomimi, in cuius exercitio, ut se suosque milites adhortaretur, munia rei militaris extulisse. Iam hoc repulsione dignũ; quasi nesciamus, quicunq; fuerit illius satyræ supplantator, eiusdem protectorem inermem & ieiunum, qualemcunque sibi occasioné uendicasse: neque enim sine colore uel lineamento pictor effingit. Reliquum est, quòd sibi firmissimum reperisse diceret Seruium doctissimum autorem, ex eadem satyra uersum allegare Iuuenalis, ubi dicatur: Expectandus erit, qui lites inchoet annus. Haud equidem memini carmen hoc in Seruium percurrisse. Quòd si ab eodem utique exempli gratia sit allegatũ, Commentatoris imprudentiæ indulgendum censeo, non tam fortè quærentis, an Iuuenalis foret, quàm ad expositionis suæ propositum adducentis. His annexis, annectit Commentator ille blandiloquus, Nam & in reliquarum quoque satyrarum expositione satis superbè contendit, nullas eos sese habere rationes, qui non Iuuenalis esse diceret, quàm ut sapientiores ob id uiderentur. O stultissimam propositionem, cum negligentissima ratione. perinde ac turpe sit quantocunque doctissimo, eam satyram Iuuenalis profiteri, modò ipsius foret. ac cur reliquas, quæ Iuuenalis sunt, eius esse cõcedamus? an quòd per hanc confessionem insipientiores haberi uelimus? Sed quid circuitionibus opus, styli ratio manifestat, grauitasq; mirifica Iuuenalis, qua penitus illa uacat satyra, quæ ab imperitis non intelligitur. Est & hoc, quòd præter Iuuenalis morem breuior existat. nec enim imperiti differre putant Gual

terij

terij carmen à Virgiliano, quandoquidem utrunque ſex pedibus incedit. nunc inepta adiectione tripliciter ſuprà demonſtrata, quo facilius primæ adumbrationis tegumentum exoluam: quare rhetorica uetera, licet ficta, non ſic compoſitè ficta uideātur. Hæc una iam prima incepta ratio ualebit, ſcilicet opus per ſe exiſtens, nō cuiuis inſertum operi Ciceronis, nec alia magis cauſa ſibi conſentiens, quàm uocabuli rhetorici ſimilitudine. habēt enim diſtincta uolumina ueterum & nouorum, ut opinamini, in eadem tabularum & chartæ compaginatione, eademq; ſcriptione ſimul iuncta concertatione: nō tamen in ſimili appoſitionis ſpecie conſiſtunt, uti modò de ſatyris uel epiſtolis dictum, ſed alterum ab altero opus dignoſcitur. Etenim paria ſæpè uolumina inuicem colligantur, ut de Amicitia, Senectute & Paradoxis: uel, ut de Arte amādi, & Remedio amoris. Adumbratur ergo fallacia, quæ tamen eodem pacto, ut de Iuuenali & reliquis iam dictis adiudicari poſsit. Secūda adumbratio eſt ex eo ipſo auctore nouo deſcendens, qui minimum ſanè differt, quanquam differat à Ciceronis eloquio: in qua re non mirandum. Potuit enim facilè uel priſcorū quiſpiam Romanus, uel Romani ſtyli peritus, ut iuriſconſultor præcipuè, uel quiſquis ille phantaſticus, Tullianis lectionibus aſſuetus, ſimillimum orationis genus effingere: poterat etiam Lactantius, poterat Hieronymus ac Quintilianus in primis, eoq; facilius, quòd ex rhetorica arte Ciceronis omnia ferè præcepta, potiſsimeq; in iuriſdiciali genere decerpſit; uario deinde ordine confundens,

fundens,quo magis crederetur, Tullium ex se ipso haud iniuria propria transtulisse: ut Virgilius aliquando de apibus,& commorientibus in bello, seu figuris hominum deorumq; medio conspectu euanescentibus, eosdem uarijs locis commemorat uersus, quod frequentius facit Homerus. At ego per Herculem multo minus crediderim. sed audaciam stultitiamq; muliebrem? quid hæc tandem sibi uult laboriosa quidem, sed inanis ostentatio prorsus? Nónne hoc simile est, ut inter quasdam stolidissimas aues ferunt, quæ aliarum ouis incubantes, simul fœtus proprios alienis parentibus deferũt nutriendos? Expeditis igitur duabus in hac fallacia contentionibus, hinc pro cõfutationis tertio loco argumenta subijciã, quibus proculdubio illud opus Ciceronis nõ fuisse cognoscetis. Idem de partitionibus rhetoricis ad filium, ut arbitramini, à me dictum intelligatis, quod opus est dissimulatoris speciẽ præ se ferentis. Est enim apud Tullium ingeniosa quædam, nec reprehendenda sui ipsius gloriandi consuetudo, ut in singulis ferè eius operibus, aliorumq; scripserit, mentio sentiatur, qua penè omnia cognoscimus, quot ab eo sunt edita. Aliquis igitur, uel potius iste demõstret, qui rhetorica illa confinxit, sicubi apud Tullium ulla de ijsdem præscriptis rhetoricis mentio feratur: quam satis existimo hunc hominem cupidissimè subornaturum, si occasio successisset aliqua mendacia Tullianis prologis inserẽdi. Sed quid effingeret fallax falsusq; in tot iam Ciceronis exemplaribus, quàm latissimè diffusis? Ergo nec rhetorica uetera à Tullio

Partitiones oratorias negat esse Ciceronis.

Tullio unquã memorantur,& quod infirmius est fallaciæ tegumentum, ne noua quidem, ac prudenter, cum alia non prius edidisset. Quo fit ut Tulliana ad Herennium uetera potius,& ridicula, quòd antiquiora fuerint: istius autem noua, quia recentiora dicere debeamus. Sed fac illa prius edidisse, nunquam ideo tam absurdè & contumeliose Herennium ad tantum uirum accessurum, rogitaturumq; arbitremur, præsertim negocijs familiaribus impeditum (ut ipse testatur) qui pro amicis sedulò operã nauaret: ac philosophiæ potius studijs incubiturum, si quod ocij præstaretur, si à Tullio iam dudum de rhetorica arte conscriptum extitisset. Vnde tantus furor? tanta postulãtis immodestia? Quòd si tale cuiquam orare nõ debuit, multo minus exorare debuerat. At uidete obsecro, ut alia fallacia aliam trudit. Fac Herennium petijsse: nunquid subinde temeritati eius Ciceronem obsequuturum putemus, & frustra geminum laborem assumpturum? potuit sanè amico desipienti Tullius sapienter respõdisse: Quid tibi uis homo? quid me uexas? quid obtundis? iamdiu à me rhetorica scis edita, ex ijs sume quę postulas. Eadem ratione de Officijs, de Oratore, de cæteris operibus suis, cuipiam nouum opus postulanti respondendum fuit. Hæc enim Herennij causa constat à Cicerone prolata, quamobrem ex priscis rhetoricis dicendi artẽ consequi nequiret. Enimuero si diligentius prologi seriẽ aduertitis (Tamen tua nos C. Herẽni uoluntas commouit, ut de ratione dicendi cõscriberemus) satis aduerti potest, antea non scripsisse. Sequitur uerò, &

rò,&eo ſtudioſius hoc negocium ſuſcepimus, quòd te non ſine cauſa uelle cognoſcere rhetoricam intelligebamus: quam ſcilicet rhetoricã artem uidetur prius niſi per Græcorum nebulas cognouiſſe, aut ſi ex alijs fortè, non à Tullio adhuc præceptore didicerat. Hęc inquam, ſi pauca conſideretis, nullo pacto Tullij uobis apparebit aliud in rhetoricis opus compoſuiſſe. Denique Tullium fac non illius uoluntati, ut ipſe inquit, ſed importunitati morem geſſiſſe,& rhetorica tandem reſcripſiſſe: unde tanta præſertim in oratore diſertiſsimo taciturnitas? tanta de ſe negligentia? qui omnium ſuorum operum in procemijs tam curioſas cur ea ſcribat, reddere ſolet approbationes, non aliqua ſaltem excuſatiuncula aſsignanda fuit, quare, ad quid, in quo cauſarum genere priora conſcripſiſſet? Quamobrem illud opus deterius, imperfectius, obſcurius, incurioſius præmiſiſſet, quod nũc utilius, copioſius, diſertius, præſertim alijs officijs uel negocijs familiaribus tantopere occupatus aggrederetur? Si enim probabile opus fuerat, cur & aliud ab eodem genere & nomine ſubiunxit? Si non probabile, cur uos illud in primis commendare ſoletis: aut cur Victorinus, ut aſſeritis, illa tempeſtate doctiſsimus, ſuper eo commentarios annotauit, fruſtra laborem aſſumens, quandoquidem ſuper nouo opere multo commodius ac certius id munus obire potuiſſet? Videbantur cuncti, quia uera diceret, ſententiæ principis aſſentiri.

QVOD

QVOD FRVSTRA LABORAuerunt, qui de funere Turni, Lauiniæq; nuptijs heroicè loco xiij. Aeneidis: & qui de Hortensibus metricè pariter loco quarti libri Georgicorum scripsere, existimantes idcirco Virgilium imperfecta opera reliquisse, cum in eo genere omnia sint ab eo studiose tractata. Item contra opinionem arguentium poëtam, si longius superfuisset, usq; ad Augusti tempora descripturum. Pars XI.

PAucis deinde interiectis diebus ad Venetorum ciuitatem nobilissimam, Pado nauigauimus, componendæ pacis gratia inter eos Adriatici maris accolas, & Insubriũ ducem Philippum Mariam, proximè defunctũ. Aderant in primis Leonellus, familiæ Estensis decus, florenti iuuenta, torque aureo, aurata chlamyde conspicuus, sua & patris uice Nicolai senioris, paucíq; suorum electissimi iuuenes: item Cardinalis (ut aiunt) ex Cruciferorum familia nobilissimus, post mortem quoque ingẽti corporis infortunio clarior factus, exciso de cadauere lapide, qui anserinum ouũ quantitate superaret, pro cuius tumulo huiusmodi carmen ediderunt:

Ille ego sum, lapidẽ tenui qui corpore magnũ,
Et mea nunc magnus continet ossa lapis.

Ad solem fortè in speculatoria diȩta nobis deambulatio fuit, quem locũ Plinij more heliocaminum appellare posis. Hinc nonnulla nobilium uirorum marmoreis, auratisq; à frontispicio parietibus ædificia. Tum continua in ipso lacu, quod Canale maius appellant, nauigia

gia commeantium perſpicienda ſunt. Eodem conuenerant ex decurionibus ciuitatis quidã purpurati adoleſcentes, ut eius gentis moris eſt, pars Leonellum principem uiſuri, munera præterea parentum nomine conferentes, pars nobiſcum de politia literaria cõcertaturi. Præſenſerant enim nouæ contentionis palæſtrã, quam Ferrariæ cœperamus. continuò ab ijſdẽ de Homero primùm, tunc de Virgilij magnitudine orta. Tunc Leonello unum ex ijs fortè Franciſcum Veneriũ, uultu facundiaq́; promptiorem interrogante, quibus in locis potiſsimum ij poëtæ maximi ſublimius dixiſſe uiderentur: ijdem ſocijq́ue uno impetu reſponderunt, Omnia quidem pulcherrima: uerùm in deſcribendis nauigijs, pelagiq́ue tempeſtatibus, Homerum præſertim in Odyſſea, & Virgilium in ludis funebribus excellentiores uiſos, omnia nauis inſtrumenta, & gubernatorum & nautarũ myſteria tractauiſſe: paucisq́; ex Homero uerſibus allegatis, in Virgilium familiarius conuerſi memoriter carmina reddere, ſeuq́; in primo de Æneæ ſuorumq́; periculis, ſiue in tertio ſæpius, alijsq́; libris nauticè perſcripſiſſet: ſeſe mirabundos, cum non Virgilius, non ipſe Homerus oculis captus, nauticam artem exercuerint, unde in eo genere uſqueadeò ſcientiſsimè didiciſſent. Tunc Leonellus: Sunt ita, inquit, perſpicui ingenij, ut etiam quæ ipſi non uiderint, uel non exercuerint, frequenti tamen confabulatione, præſertimq́; in ijs artibus peritorum, eadem norunt, tanquã ſibijpſis exercita memorare. Quod niſi ita uſu eueniret, multo minus homini cæco ſci

re

re contigiſſet:nec Virgiliū aliquando ad Græcos trāsfretaſſe nobis ignotum eſt, ſi Horatio credimus. Quo minus poëtæ admirandi mihi uidentur, non ſolum auditu, uiſuq; præſentiū, ſed antiquorum etiam lectionibus multo magis inſtructi. Sic ab Homero Virgilius, Homerus à priſcis Græcorum edocti ſunt. Quanquā Virgilius non uni mortalium generi, ſed omnibus placere uiſus, naturalē uſum ſtudioſiſsimè perſequens. Itaq; ſi præter nauticos & piſcatores, armigeri & agricolæ, paſtores, architecti, ſacerdotes, aſtronomi, pictores, denique plebei & principes opus eius audiant, quodcunq; genus hominum certatim idioticos mores libentius commendarint. At* Venetus: Operæprecium igitur noſtra tandem ætate Maphæus Vegius ſcripſiſſe uidetur, qui ut omnia, quæ modò dicebas princeps apud Maronem, quaſi humanarum artium genera conſpiceret, tertiumdecimum librum adiecit, in quo de funere regis Turni, pompa, & Lauiniæ cum Ænea nuptijs, hæc tanquam à poëta uel oblita, uel imperfecta, luculēter expoſuit. Tunc Leonellus & ipſe Virgilianè ſubridens: Nihil, inquit noui audio: omnia hæc in Marone præcepi, atq; animo mecum antè peregi: quod ſi idē Vegius percepiſſet, non cenſuiſſet utiq; fruſtra ſibi laborē aſſumendū. neque enim adhuc Vegij ſcripta ad manus meas peruenerūt. Cæterū nihil minus in Virgilio deficere arbitror ad imperij Æneæ declarationē in Italia, quàm Turni funeris, & Lauiniæ nuptiarū deſcriptionem. Quippe ipſius Turni confeſsione, Tua eſt Lauinia cōiunx: &, Vlterius ne tende odijs: oīa hęc,

Franciſcus Venerius, nimiarum.

licet per transitum, à peritis abundè recipiuntur. Sic Terentius Charini, & Philomenæ nuptias non omnino reticuit, carptim memorãs, cum satis antea mores Charini descripsisset. nam dixerat ille, Tuus est nũc Chremes, factu rum scio, quæ uoles omnia. unde subditum, Intus transigetur, intus desponsabitur. An ideo scientissimum existimemus quempiam de ijs rursus nuptias illaturum? Terentianęq; comœdię subiecturum, quasi poëta neglexerit? Nempe subtilium poëtarum pictorumq́; eadem ferè ars, hæc eadem politia: nõ ut omnes omniũ uultus eorum, quos describunt hominum aut pecudum, non manus, non pedes, non omnes denique corporis imagines ostentent: sed alias alijs implicitas, latẽtes, auersas, & pronas iacentes, alias patentes penitus & arrectas, ut in præliorum picturis sæpè uidemus. Itaque si primum, quod ad regij funeris pompam attinet, diligenter inspexeris, triplici serie, & quidem ornatissimè, sicuti cætera apud Virgiliũ cõperias. Primùm enim de Miseno, qui quanquam æris inflatione nobilior, à poëta tamen inducitur, quòd Æneę regis tubicen fuerit honoris supremi gratia à Troianis magnificè sepeliendus. Sed aduertite quæso, si qui in poësi scriptura, picturaq́; doceri cupiẽtes, quàm mira poëtæ solertia non usqueadeò ab Homero seruata, quem sanè delectat etiam quæque minima maximis inserere, & eadem sæpè repetere. Igitur ne bis terq; idem ineptè poneretur, extremis Miseno dat utique in ipso litore defuncto integendi statim corporis exequias, breuissimum circumstantium luctum, feretri

depo-

depoſitionem, ſacerdotis uerba nouiſsima, pyræ conſtructionem, auerſarum faſcium ſuppoſitionem, flammarum crepitudinem, exuuiarũ odorumq́; cõcremationem, cineris poſtremò ſepulturam, & inſignia tumulo appoſita, ſociorum abeuntium colluſtrationem. hæc omnia poſtrema ſunt ſepulturę beneficia: honorandi uerò funeris elationem, quæ primò fit, & comitantium pompam non dedit ad montẽ protinus ſepulto, ubi mortuum offendiſſent. Atqui Pallãti dat. Vidiſtis enim qui largiſsimus primò luctus ſociorum, cum exanimis in caſtra deferretur, quæ mox Æneæ, quæ Phrygũ & Iliadum circa corpus iacens lamẽtatio: quæ deinde ſubleuandi feretri ſedulitas, qui proſequẽtium ordines, & feralis pompæ, armorũq́; captiuorum oſtentatio, qui funalium globus ardentium uſque ad Euandrum genitorem. nam ad hęc amplificanda opus erat itinere. Viciſsimq́; ad excipiendum funus, ex Palantea urbe funerea multitudo proceſsit: ſepulturam autem reticet. At nihil noui uel iniuriæ: ſuperius enim id honoris genus expoſuerat, ſiquidem à nobis picturam demonſtrari, non intelligendum. porrò Anchiſæ genitori annuales duntaxat exequias, & ludorum funebrium celebrationes, quas minimè alijs aſsignarit. Neque enim Homerus, quamuis in multis ſæpè longiſsimis orationibus Argiuorum ducibus, non etiam ipſi Sarpedoni Iouis genito ſepulchrales pompas, quas eius occiſori ſocioq́; Achillis impoſuit: cæterùm regales in ludis apparatus, magnificasq́; Patroclo deſcripſit exequias. Hectori autem largiores ſuorum lachry

mas & fœmineos ululatus accommodans, ut qui ante parentum ora, ante patriæ mœnia cæsus distractusq; fuisset. Ad hoc coram uxore, liberis, fratribus, cognatis, ciuibusque desertis, quorum nulla ad Patrocli funus attinerent. Quid mirum igitur, si noster neque Mezētio, filioq; Lauso, quem Æneas tanti facit: filio Camillæ, neq; Didoni, quibus humatione maximè opus fuit, supremos tamen honores nō attribuit, nisi per transitum? ut, Me consortē nati cōcede sepulchro: uel, Miserandum corpus & arma Inspoliata feram tumulo: aut, Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elisæ Collucent flammis. Deniq; si Maronis opus diligentius *euoluēdum, multa eiusmodi ac subtilissima ratione perfecta deprehendas, ab alijs poëtis minus fortè considerata. Describit in quinto præmia, quæ sit Æneas singulis partibus distributurus in currendi certamine. ut, Gnosia bina dabo Spicula, & cęlatam argento ferre bipennem. In fine uerò certaminis nulla fit mentio. quamobrem? Quia suprà monstratum Æneam id omnino confecturum. Insuper cum trib⁹ primis eximia dona descripsisset, ut *priori phaleratum equum, secundo Amazoniā pharetram cum aureo baltheo, tertio Argolicam galeam, alius subinde generis dona distribuit. ut Salio leonis exuuias, Niso clypeum Argolicum: Euryalo autem, qui fortè primus euolauerat, nihil designare uidetur. Quid ita? Quia mutato currentium ordine, quod artificiosissimum fuit, ordinem quoque munerum permutare constituit. At cur Euryalo nihil designatum? Quia satis credibile est, eum pariter insigni

pro, euolueris

pro, primo

insigni munere donatum. Hoc scilicet poëtæ solertis officium literariæque politiæ, de qua apud nos continua disputatio est, ut miremur Ouidium tantum poëtam hanc aliquando minus considerasse, qui cum in Fastis iocosam semel cum Priapo & Asello de Lothide nympha fabulam intulisset, subinde mutata tantū ueste, nomine eodem denuò commeminit. at huiusmodi sæpè ab Homero prolixius. Meministis per somnum de Ioue & Agamemnone: meministis uerò quanta munera, quæ reconciliandæ pacis conditiones ab Agamemnone legatis eius exponuntur, quæ suo nomine *Ithaco Achilli sunt promissuri, paulo pòst eadem longissima satis oratione ac ijsdem ferè uerbis coram Achille referuntur. Adde non tunc Nestoris, sed ipsius quoque Achillis uerbosam responsionem. Quòd si in re ita constitisset, ne historicè, quam sic seriatim scriptum oportuit: ergo minus poëtam eloquētissimum, cuius tam interest emendatè quàm magnificè loqui *. Quod à Virgilio maximè cautum, ne scilicet legati Rutulorum eadem mandatorum uerba coram Diomede recitarent, quæ semel eis discedentibus imposita fuissent. Hoc autē in octauo libro longissimo pòst interuallo, & undecimo libro tum legati referunt uenientes, quæ à Diomede didicissent, non replicatis utrinque tamen orationibus. Sic de Ænea, sic de Tarchonte, sic de Ascanio apud Nisum et Euryalū: &, Multa patri mādata dabat portanda, Immemorata tamē. Adhæc multa munera, & mulieres captiuas more Homerico, ꝓmittētem legimus: nō tamen tam prolixa oratione

per Ithacū, nimirū Vlyssem.

existimaremus, aut simile uerbum deesse uidetur.

ut ab illo, nec ut maximo rege grauiſsimisq́ue legatis: ſed ut ab adoleſcentulo ea Cupidini memorantur, ac propriè. Repeticur tantum à Marone Mercurij legatio ex Ioue uenientis ad Æneam. ſed quia utrinque, à Ioue ſcilicet & Mercurio, breuiſsima conſtat oratione, idcirco non ineptè. Id ſuperfluum magis in Virgilio notauerunt, Erynnis ſcilicet illius ad inferos regreſsionem, quæ à Iunone fuerat euocata. At quoniam in funeralium ſermonibus diſputatio cœpta, non alienum fuerit ab infernalibus umbris exempla traducere. Vidiſtis ab Ænea chariores quoſdam in tartaro perquiſitos, ut Deiphobum, Orontem, Palinurum: nõ Priamum, non Hectorem, non Creuſam, non alios pariter maximæ dignitatis heroas, qui ſibi quondam familiares cognatiq́ue fuiſſent. Quamobrem? Quia de ijs aliquid ſatis fuit à poëta prædicatum. At quomodo rurſus Didonem & Anchiſem alloquitur antea ſæpè memoratos? Quia in eorum replicatione, crebraq́ue memoria totius Æneidis fundamentum exiſtit. neque enim turpe fit, Æneam ſæpiſsimè recitare uel Turnum, quoniam ſic operis intextura requirit. Sed uultis ne pariter in Virgilio (poſteaquam de funere Turni ſatis excuſauimus) regales nuptias aſpicere, quas à poëta noſtro Vegius neglectas arbitrabatur? Legite Didonis nuptiales apparatus, non quę falſæ fuerunt, ut Terentiani Simonis, ipſas tamen ueras ratasq́ue fore credebat. Attendite arte laboratas ueſtes, oſtroq́ue ſuperbo: nempe ut aulæa Attalicaque parietum & cubilium ornamenta, quibus uelut atrium nuptiale

ſtrataq;

ſtrataq́; ſedilia concernitis. Ad hoc genus, argentum mēſis, cælataq́; in auro fortia facta patrum uidetis, cuiuſmodi quantiq́; ſit ſponſalitiæ domus inſtructio. Contemplamini porrò hincinde per urbem ad regia palatia cōueniſſe principes, iuſſos pictis diſcumbere toris. nam hoc principum uocabulo, feſtisq́; ſolénibus, ſatis nouimus, nobiliumq́; matronarum cœtus annumerari. Ita demum aduocato procerum heroidumq́; cōcilio, Lauinia uirgo procedit, Iā matura uiro, iā plenis nubilis annis: & quidē diuino cultu perornata, oculos deiecta decores, & iuxta genitorē adſtās, Multū in cōnubio nate, thalamoq́; morantē. Quibus ipſa Iuno pronuba his uerbis intereſt: Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ, Quarum quæ forma pulcherrima, Deiopeiam Connubio iungam ſtabili, propriamq́; dicabo, Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat, & pulchra faciat te prole parentem. Sed cōuiuij iam tempus adeſt, ergo proſpicite bis cētum famulas, totidemq́; pares ætate miniſtros tonſis ferre mantilia uillis, Cererem caniſtris expedire, quibus cura penum ſtruere, & flammis adolere penates: & qui dapibus menſas onerent, ac pocula ponant. audite ſtrepitum tectis fieri, uocemq́; per ampla atria uolitari. & ut regio luxu eæ nuptiæ in noctem moraliter extendantur: Pendent lychni laquearibus aureis Incenſi, & noctem flāmmis funalia uincunt. Cumq́; nouis uxoribus maritalia munera inter epulas de more congerantur, aduertite ſtupefacti regalia dona, ac ferè diuina munera ab Ænea uenientia, auratam Pallam, & pictum croceo ue-

lamen acantho,colloq; monile Baccatum, & duplicé gémis auroq; coroná. Credimus equidem perpulchra dona Vegij,haud nostris simi lia. Quòd siqui fortè de imperitorũ grege dixerit: Quid ais Leonelle? an tunc Didonis magis quàm nunc Lauiniæ nuptiæ fierent? Terentiáne respõdebo, Quid tum fatue fierẽt? Ita enim artificiosa poëtæ uisum occasione nuptiarum ostẽtata,tanta,tam breui,tam optata, tá insperata, non sibi prætereundum censuisse, quin tanquá de nuptiarũ apparatu, quocũq; operis sui tempore describeret. Igitur sublatis protinus mensis,cum iocandi psallẽdiq; tempus intersit,ecce cithara crinitus Iopas Personat aurata: Hic canit erranté lunam, solisq; labores, ac cætera,cũ plausu fremituq; conuiuarũ cantilenam. Arbitror iamdudũ,ô Patricij adolescentes,uos planè cognoscere à Virgilio Turni sepulchralia,cæteraq; expressé ad Lauiniæ nuptias prudẽtissimè dimissa. Quod si ad Augusti uel Romuli tantũ tempora Maroni scribẽdum fuisset,uita superante, ut frustra quidá meditátur,quia poëta prędixerit, Genus unde Latinũ, Albaniq; patres,atq; altæ mœnia Romæ: satis quidé superfluè tot nuptiarũ & funerum apparatus describendi fuissent. Asserũt enim huiusmodi materiá mortuo superfuisse, in qua Augusti laudes potissimũ extulisset: non aduertétes in primo,quarto, sexto & octauo, tametsi multis alijs in locis sub Æneę persona Augusti laudes,nec minus Albanorum regum exquisitissimè ab eo memoratas,adeò ut cũ de Ascanio per Iunonem dici uideretur, Non puero summam belli,non de Augusto, minus nepo-

tibus,

tibus, quanquam de ipso Æneæ filio intelligi uoluerit, quibus ante statutam ætatem bellorum honos, & quidem Romana magnificentia, uti Scipioni adolescenti aliquando consulatus mandatus esset: nec intelligentes non necessarium poëtæ fuisse, eam materiam assumere, tanquã Lucano uel historico. Nam satis quidem fuerat, dum inferret deos Latio: hoc est, dum in Italia imperium statueret: non autem unde genus Latinum & reliqua Romanorum propago duceret: quantumuis eo modo præfinierit eodem consilio, & ipse me dicerem Romam peruenturum, unde Constãtinianę coloniæ origo deducta, cum tãtum animo non inesset eam Græcorum urbem adeundi. Quinetiam ijdem subtilissimi definitionum expositores, per arma uirumq; ita uolunt futura prædestinari, ut arma pro sex alijs libris insequentibus ordine præpostero accipiãtur: uirũ autem pro sex primis, in quibus arma non descripserit: non colligẽtes poëtã in secundo præcipuè ita de militari officio, si insidias, prælia, propugnationes, expositionesq; requiras, quanquã in tumultuaria nocte elegãtissimè pinxisse, ut nusquam ipse cũ Laurentinis, non Lucanus cũ Cæsariensibus, non Liuius cum Africanis, Romanorumq; prælijs, nõ alij poëtæ disertius explicuerint. Sed & alia dicenda essent, quæ non minus admiraremini, modò nobis foret otiũ dissertandi. At alij cum maximè precarẽtur ut pergeret, libentius est insecutus. Quamuis igitur in quarto Georgicorum poëta profitetur, ad mellificationis utilitatem partem restitisse, scilicet de curandis hortis & oleribus,

ribus,quam angustia loci posteris describendam reliquerat:non ideo prudentissimè tentasse Columellam, quantumuis prisci ingenij, eruditæq; facundiæ scriptorem de agricultura,à Plinio etiam maiore sæpè memoratũ, qui librum metricè de oleribus condidit, tãquam à Virgilio relictum quinti libri locum, ut ab alio scriberetur. Duę quidem rationes, antequã inuaderet, iudicio meo considerandæ sibi * debuerunt: quarum hæc profectò certissima, cogitare, nunquid ad mellificationem res illa penitus foret cognitu necessaria. Quòd si necessariam existimarit, tunc credere Virgilium nõ omnino intactam relictum iri uoluisse. namq; loci, uel temporis, uel operis angustia fuit imposita, quo minus de cucurbita scriberetur. Edictũ enim extabat à Mœcenate, liberaq; Georgicorum perficiendorum potestas data: nã circiter septẽnium id opus euoluit. Potuit etiam in octauum & quintum librum, seruata Hesiodi auctoritate, producere, si in uno uolumine tantulam rem scribi non oportuit. satis igitur à poëta in quarto descriptum. Sed quid? à Columella in uno tantum excipitur. Si non necessaria arbitraretur, ecce secunda, non à Virgilio pariter, nõ ab ipso Columella de hortorum cultura metricè describendũ, cum reliqua sui operis uolumina soluta oratione conscriberet. Verùm enim oratoriam artem, poëtæque subtilitatem hoc in loco Columellam aduertisse indicares. Virgilium quippe ea nihilominus de olerum genere necessaria differentẽ, * quę alijs memoranda per occupationis colorem fateantur, quasi loci angustia præpeditum. Sic &

Debuerunt, pro fuerunt.

Certè hoc ipsum Virgilius ipse fatetur, 4. li. Georgicor.

& Terentiũ intelligimus Charini nuptias per transitum descripsisse, cum de Pamphilo satis præscriptæ forent. Dicet aliquis, non ideo propter id occupationis genus Columellæ facultatem ereptam, quo minus de hortorum genere perscriberet. Rectè, sed iactasse non debuit, eam sibi partem, quando à Virgilio intacta esset, describendam: cæterùm etiam atq; etiam cogitandum oportuit, qua carminis facultate contenderet: utrum Virgiliano simile suum cẽseretur. nam qui imperfectã ab alio pictore sibi perficiendam assumit imaginem, aut superare, aut æquiparare necesse est. Quòd si cætera pariter in Georgicis euoluantur, multa quidem per transitum sapienter tractata uidebitis. In quo genere uersatur Homerus, qui cum agriculturæ differendæ curam nõ profiteatur sicut Hesiodus: ex eo tamen Alexander adolescens cum parente disputans, ut apud Dionem est philosophum, de regno, ita studiose nonnullos hinc inde uersus colligebat ad agri colarum morem attinentes, seu carptim ex ijs, quę in Achillis scuto depicta, siue pręsertim de comparatione messorũ sata populantiũ cum Danais Troianisque mutuas acies dimicando consternentibus, ut multo uenustiores, & copiosi magis uiderentur, quàm Hesiodi docentis agricolas in occasu Pleiadum esse conserendum (ita enim Philippus adducebat, quod Virgilius æmulatus est. ut, Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur) in eorum autem ortu colligendum. Sed quorsum hæc? Vt pernoscamus, de hortensium ratione ijs uersibus satis à poëta designatũ, dicente: Forsitan & pingues hortos,

tos,quæ cura colendi Ornaret,canerẽ, biferiq; rosaria pesti, Quoq; modo potis gauderent in tyba riuis,Et uirides apio ripę,tortusq; per herbam Cresceret in uentrem cucumis.Nam &in eodem consortio est cucurbita.Itemq;,Nec serò comantemNarcissum,aut flexi tacuissem uimen acanthi,Pallentesq; hederas,& amãtes litora myrtos.Necnon de* Corithio sene. Hic rarum tamen in dumisholus,albaq; circum Lilia,uerbenasq; premens,uescũq; papauer.Hoc quidem non tacere est,& alijs describendi curam relinquere, sed facultatem locumq; præripere:quod ita debuit Columella censuisse, Virgiliana peritia terrefactus. Quòd si à poëta prętermissum modum opinemur,ut ait,quo modo rigarentur : nullum tamen illius rigationis modum intelligi licet, quanquam cæteris irrigandis agris adhiberetur, deducta retentaúe per temporum uices deriuatione, quam satis alia in parte manifestat : ut, Riuos deducere nulla Relligio uetuit. quòd festis pariter diebus eo munere exerceri possumus. uel si luculentius expetitis:Ecce supercilio cliuosi tramitis undam Elicit,illa cadens raucum per* deuia murmur,Saxa ciet,* salebrisq; arentia temperat arua.Quod quidem carmen,non ut Columellę,sed ut diuinum &singulare,sacer ipse Hieronymus admiratus,sacris scripturis inserere non dubitauit.Itaq; cũ poëta dixerit,non se de ijsdem taciturum,si tempus affuisset:non sanè reticuit,omnia hæc præcepta declarans, Ouidio pariter attestante:ut,* Omnia diuino monstrauit carmine uates.Neq; enim cum uiolaria superius,serpilla, thymbrá, casiasq; recen

tes

Alij Corycium uocant, Geor. lib.4.

Georg.lib.1.

Leuia, legitur in Virgilio, Georg.lib.1.

Scatebris ibidem legitur.

Hic uersus legitur in argumento 3.Geor.

Modestini nomine.

tes admonuiſſet ante apum ſtabulationes inſtitui, idcirco earum herbarum plantationem uel ſationẽ deſcribit, aut paſtinationẽ, ut in uitibus, aut foſſarũ modũ, uel quo ſydere potius ea parari conueniret. Ita cum Plinius quoq; in Naturali hiſtoria poëtam incuſet, omnia uitiorum genera non deſcripſiſſe, non cautè reprehendit: quem ſcimus pro Italica cõditione de uitibus candidarum & liuentium uuarum inquiſiſſe. Sed quando in Virgilianis defectionibus hęrere uidemur, hęc pauca rurſus ſubijciamus: pleroſq; quòd imperfecti metro magis quàm ſententia uerſus eſſent, ut hemiſtichia, ſupplere conatos: non intelligentes eos de induſtria poëtam ita reliquiſſe, nonnullos etiã aliquando recitando ſuppleuiſſe. Ergo qui per poëtam completi non fuerant, tanquam inemendati operis indicia, aliorum addita ſententia, quidã inconcinniores effecti ſunt. ut,* Stãt circum, & crebris carpunt ſua pectora pugnis. Et in eodem loco ab alijs: Et mœſtis implent mugitibus auras. Alij uerò contaminati deformatiq;, uti pręcipuè: *Timor omnis, & iræ Cõceſſere deûm profugis noua mœnia Teucris: cum à poëta politius completaq; ſentẽtia pro ceſſatione, quàm cõciſione poſitum ſit. Quod ſi ſenſus imperfectus eſſet ad iſtorum opinionem, nec in ſententia deficiens quicquam Virgilius, neq; emendatores eius reliquiſſent. Sed iam tempus uocat ad ſenatus ueſtri ſublime palatium. Ita præparatis ornatiſsimè* barcis adiuimus.

Aeneid. 2. Sed hodie nihil tale legitur.

Aen. 8. ne hic quidem appendix illa legitur.

Barcam Italica uoce dixit pro naui.

FINIS LIBRI I.

ANGELI DECEMBRII MEDIOLANENSIS ORATORIS, AD SVMMVM PONtificem Pium II. oratorem clarum, de Politia literaria, libri secundi Prologus incipit: in quo confutantur, qui Virgilium arguunt superflua quædam scripsisse.

PARS DVODECIMA.



EMONSTRATA superius bibliothecæ necessariæ politia, clementissime Pontifex, cũ sub inde omnes ferè contentionum locos exposuerim, quibus doctorum nõnulli ex ueteribus nostrisq; Virgilium plerisq; partibus defensæ opinarentur, satisq; eorum rationes cõfutatas ostenderim, & cum pleraq; uicissim magistrorum ludi commenta priscis auctoribus iniecta patefecerim: proximè dignum uidetur, ut ad poëtam rursus extollendum, per contrarium disputationis genus hanc in primis partẽ subijciam, quæ ipsi Leonello principi plurimum ornamenti & admirationis attulisse uisa est. Nam uti superius in defectione tractatum, sic nunc de superfluente, quod idem falso insimulant, mentio fiet. In quo genere paucissima exempla comperio: nec mirum. non enim insimulantium audacia eò usq; temeritatis excessit, ut confidant pariter in egregijs auctoribus

jactare

iactare superflua quædam esse, ac subtrahi digna, quemadmodum ipsi confingere, & priscorum dictis ingerere potuerunt. Itaq; facilè quiuis potuerit, ut Leonellus suprà memorabat, rhetorica (quæ dicũtur uetera) subornare, Tullianæq; auctoritati tradere: ac tentare non potuerit, ut ad Herennium rhetorica ars Ciceronis esse non uideatur. Potuerit rursus satyram nouam Iuuenali, comœdiam Plauto uel Terẽtio subijcere, uel epigramma Martiali, fabulã Æsopo, quanquam satis incommodè: sed multo difficilius consequitur, ut etiam clamanti minitantiq; concedamus, reliqua scriptorum suorum non esse monumenta. Ita superior ratio uidetur propria temeritate defendi, altera hæc cuiusuis arbitrio confutari. Quamobrem cum in hoc contentionis genere rarissima sint exempla, præcipuè apud doctissimos, non dũtaxat satis quo ad Virgilianã maiestatẽ referẽdũ existimaui, eo quòd magnificentius cognitum, quòd non ab imperitorum ingenijs, non à temporum nouitate huius exempli contentio originem habuisse uisa est, sed doctissimorum, priscorumq; opinione fundata ualuisse. Nunc ad rem.

QVOD NON PERITE FECERVNT, *qui duos & uiginti uersus de secundo Aeneidis sustulere, suprà illum, Cum mihi se non ante oculis tam clara uidendam: sed potius reliquisse debuerunt Leonelli sententia: ac de plerisq; Virgilij partibus, quæ eodem iure subtrahi potuissent.*

Pars XIII.

EXultabat Feltrinus more suo coram Leonello de Maronis fortè laudibus disserente, simulq; poëtam impugnabat, duodecimum ferè annum prius Aeneidis opus euoluisse (ita enim fama ferri) quàm relinqueret, cum uix duodecim mensium Liuius in describenda tantidem temporis historia cõsumpsisset. Tũc Guarinus (qui fortè aderat) Perbellè, inquit, ut cætera soles in literaria quidem palęstra confidentissimus armiger: sed eadem continuè pertinacia uersaris, qui Liuium Virgilio non solum æquiparare contendas, uerumetiã præponere, nõ memor quæ iampridem à Leonello scientissimè confutata. Cæterùm tempestiuũ illud in te, Liuiumq; tuũ succurrit exemplum, quod græcè didici. Indumentum fortè pictor exquisitissimo artificio faciẽdũ à sutore uicino præposuerat: quod ut artifex politius efficeret, compluriũ dierum operá assumebat. at pictor morę longioris impatiens, uehementius stomachari, adiurareq; eodem tẽporis spacio, quo ille uestimentum unum insueret, se picturas hominum triginta perfecisse. cui sutor, Non mirum. utriusq; enim diuersum est artificium: nempe in hoc sagulo multo plures acuũ puncturas, quas singulis pigmẽtorũ deductionibus & lineamẽtis effingis. Tunc omnes lætius arridere, Feltrinoq; palã illudere. at ille non segnius instare: Scio (inquiẽs) Veronẽsis, quò tendas: quasi Maronem indicaueris multo quidem eruditius ac laboriosius opus suum, quã Liuium sua perfecisse. Sed uide quæso diligentius. nihil enim in Liuio superfluũ existimant, quin summo dolori esse apud omnes doctissi-

mos,

mos,quòd eius historici multa scripta defecerint,adeò necessaria cuncta,correctaque ab eo sunt ędita.At in Virgilio,cui bis sex annorũ in corrigendo longitudo fuerit,uel hoc in primis superfluũ,maximeq; cõtrarium esse, etiam priscorum eruditissimi deprehenderunt, quibus opus id ab Augusto edictum erat,ut emendarent.In secundo enim Æneam adduxisse tantũ ducem,cui quidem Octauianum uult esse cõparatũ,usqueadeò fœminæ iratũ, ut præter in eam maledicta,euaginato ense penè cõficeret, ni mater euestigiò cohibuisset.Ast illam trepidantem exanimatamq; fuga, & latibula passim quæritantem,an id Æneę par,quem patrẽ piumq; cognominat,& fortissimũ haberi uult imperatorem? Adde malo malum indecentius : cum oratione uersuum duorum & uiginti huiusce rei curriculo protraxisset, in sexto deinde ausus contrariam illi penitus inferre sententiam, ut cum alterius auctoris imperitia uideretur erratum,alterum inconstantiæ uel obliuionis insimularetur. Deiphobũ nãq; in tartareis apud Æneam audacis fœminę mores dissertantem, nõ quæ solius adulterij fraude uirum fefellisset,sed sublatis armis è thalamo,inter inimicorum manus, tectumq; uirũ ad cædem cõsopitum exponeret,illam per noctis tenebras media Iliadũ caterua bacchanalia simulantẽ,ex arce flammarũ signũ ostendere,ductores Danaũ aduocare,limina pandere, agmina hostium excipere:ita cum omnia passim ferro flammisq; uastarẽtur,illã urbis incẽdio,Troianorumq; ruina,& Priameiæ domus internecione lætabundam. Videtis quàm hæc

ſuperiorioribus aduerſentur, ſuperfluantque uiciſsim alterutra: quãquam hęc poſtrema Homero propius accedentia, quæ ſi Virgilius aliquando tanquam in ſtatera conſideraſſet, opinor eiuſmodi laborem correctoribus ſuis non relicturum. Huic cum Guarinus reſpondere cœpiſſet, Leonellus excepit iamdudum, cum omnes in eum uerſi: Non tibi tãtum ſoli commiſerandum, ô Feltrine, ſed ætatis etiam ſuperioris pudendum arbitror: quæ licet eruditiſsimi ingenij uiros extulerit, non omnino tamẽ inuidia uacaſſe uiſa eſt: uel dicere auſim, quoſdam ſemper extitiſſe, alioquin doctiſsimos, qui nihilominus Virgilianam ſubtilitatem ignorarent: & miramur Seruium Donatumq́; aliquando falli potuiſſe. Itaq; perdolendum, Virgilianum opus in illorum manus corrigendum incidiſſe, de quibus talis opinio foret, tantaq́; eorum auctoritas, ut quod ſapienter à poëta ſcriptum extaret, ita illi corrigerent peruerterentq́;, uel extorquerent magis, ut quàm iniquiſsimum uideretur. Primùm cum homines aſſerunt, poëtam inemẽdatum opus reliquiſſe, errore præcipuè diſtractum, quòd ſecundi libri ſentẽtia à ſexti tantum ordine differret, ut alter alterum adumbraret. Qua excuſatione nihil imprudentius: quaſi non multo magis ultimus à primo libro differat, & tamen inter ſe pro tenore materiæ ordinatione non diſcrepant: cum ſciamus Virgilium, ſicuti cæteros poëtas, uoluminumq́; ſcriptores, in emendatione lectioneque non librorum ordinem ſeruaſſe, ſed alternatim, modò primum, modò ultimum, aliquando medios mutua uiſitatione

caſtigaſſe:

caſtigaſſe:haud equidem ignoro huius Virgiliani loci diſtractionem apud doctos, ſed non prudentiores inualuiſſe. Proinde omnia ferè exemplaria iiſdem carere uerſibus uidemus, ut ne legi quidem ſoleant à præceptoribus,nō à diſcipulis percipi, non à librarijs deniq; tranſcribi poſsint:cum tamen ipſe Virgiliana uolumina ſeorſum aduerterim, non hoc ſupplemēto uacantia: & probè leguntur apud Seruium, nulla tamen eos defenſione protegētem. Quã obrem non opus eſt noua nunc iteratione: cernere tātum eſt,an ij rectè ſubtraxerint ſeſe proprio eorum auctore cautiores exiſtimantes. Duæ potiſsimum cauſæ emendationis afferũtur,abs te modò Feltrine memoratæ. Ad primam aiunt pertinere Æneam turpiter Helenę iratum conuicijs teloq́; minitantem. Iam hoc primum laborioſa expugnatione non indiget, ſi quod hominum uſu fit,Æneę quoq; aſsignemus,à quo nihil humani alienum poëta cenſuit.Itaq; Æneas Helenæ mortem cōminatus, fatemur,non tamen interemit; ſic liberis parens,uir uxori, dominus ſeruo,mortem interdum minatur:manus etiam inferũt,telum uibrant,non tamen uulnerantes. Nec inhumanum cenſeas,eum metu conſternere,cui mortem non optauit. Poſſunt ſanè in rei militaris peritum ducem(ut nunc ſapientem uirum omittam,quoniam non philoſophicè,ſed bellicè nobis diſputandum) ac inter armorum hoſtiumq́; tumultus,inter patriæ ruinas obuerſã tem,ægritudines ſæpè contingere.Omitto timorem,quod militantē non decet.neq; enim Aeneas in eo tumultu formidauit:unde,Dege

neres animos timor arguit: sed odium, iracūdia, ultionis cupido. at in fœmina arguitur, non opus fuisse uindicatione. In quem igitur alium Aeneæ irascendum fuit? neq; enim aderat Paris, belli maior causa. ergo in Helenā irascendum, ulciscendumq;: quam tamen nō percussit, & si dignam interfici, siquidem uirum suum interimendum exposuit, hostium intra mœnia multitudinem recipiēs. Qui in flagitio deprehēsi tempestate nostra publicè, & in quaterna frusta trucidantur: uetuntamen ne telo quidem attigit, sed iratus cōuicijs eam insectabatur. An unquam legimus audiuimusúe, terrarum principes, exercituū imperatores, quorum ductu auspicioq; ipsæ leges statutæ sunt, alios uxores suas uel adulterij duntaxat suspicione repudiasse, alios ꝓprijs manibus obtrūcasse? Vidistis in primis genitorem meum Nicolaum, recentius familiariusq; hac in re documentum (de quo mihi non tanquam parente, sed ut fama fert, differendum est) inter Italicos principes humanitatis, iustitiæ & pietatis officijs longè clarissimum, quum uidit, quæ uidere noluisset, uxorem nouercam cum filio priuigno simul enecasse. Num propter id igitur ultionis genus pater publicata criminatione dānatus est? Minimè, sed in occisis omnium rumoribus culpa remansit. & tamen Helenam Æneas non sustulit: quod cum facere debuisset, uicit temperantia quædā audaciores hominum appetitus in medio irarum cursu solita compescere, quam poëta in Veneris specie demonstrauit. Cæterū asseuerāt illi correctores, eam nihilominus occisurum, nisi mater interfuisset:

fuiſſet:nempe de eo,quod in futuro pẽdeat,in certoq́; iudicãtes.Sed quã eneruata puerilisq́; cõtẽtio.quaſi dixerint, Interfeciſſet quidem, niſi pœnituiſſet:non intelligentes à poëta per bellè Venerem figuratam,cuius interuentu filius placaretur. At quãto licentius Æneas præcipuè bello legitimo cædẽ mulieris inijſſet, cũ tamẽ abſtinuerit:cuius facinoris criminationẽ ſatis iã uideor expurgaſſe.Omnes præ gaudio exultare,cõgratulariq́; Leonello.at ipſe: Sinite,inquit,alteram partẽ confutare.nã quod iſti maximè reprehẽdendũ opinãtur,quia primæ parti de Helena contrariũ ſit, id in primis ego magnifaciẽdũ arbitror,&hoc ſępè aliàs in poëta pulcherrimũ eſſe teſtatus ſum. Huiuſmodi enim rerũ non cõtrarietate,ſed cõmutatione, tanquã exquiſitiſsimæ picturæ artificio poëta delectatur:quã ijdẽ nõ intelligũt,errores erroribus aggerentes.Principiò quidem cõtendũt ad primam de Helenæ partem attinere,quę in ſecundo libro ab Aenea apud Didonem ſint memorata.Secundam dicunt, cum in ſexto apud inferos ſuper eadem Helena Deiphobus Aeneam alloquitur.Contrà ego, quæ in ſexto de ea re dicta ſunt,in prima parte accipi cẽſeo, licet pro librorum ordine poſteriora uideantur:adeò locorum,temporum perſonarum, factorum diuerſa ratio cõſideranda eſt,quã poëta maximè cuſtodit,iſti maximè negligunt.Itaque cum Aeneas Didoni illa cõmemoraret, ſecundo tempore & loco accipiẽda ſunt, in Priameio nempe palatio agitata poſt fermè urbis captiuitatem, Troianorumq́; ruinam. Nam legitur Aeneam Corœbo, alijsque delectis,

qui sese per lunam obtulerant, de Argiuis cædem plurimam tumultuario bello peregisse, ipsos uicissim per totam urbem suorũ stragẽ percepisse: cuius temporis lociq; ratione, quamquam eadem nocte & urbe peracta fuere, primam nunc constituimus discretionis gratia: & de hac ipsa parte loquitur Deiphobus, licet isti correctores non aduerterint. nam Deiphobus memorat: Tum me confectum curis, somnoq; grauatum Infelix habuit thalamus, pressitq; iacẽtem Dulcis & alta quies: cum reliqua oratione. &, Egregia interea coniunx arma omnia tectis *Amouet, & fidum capiti subduxerat ensem. item, Illa chorum simulãs, Euantes orgia circum Ducebat Phrygias, flammam media ipsa tenebat Ingentem, & summa Danaos ex arce uocabat. demũq;, Intra tecta uocat Menelaum, & limina pandit. omnia hęc ad noctis eãdem primam partem referenda. Fuere enim in conticinio intempestaq; nocte peracta. nam legitur, Tempus erat, quo prima quies mortalibus ęgris Incipit. & illico Hectorẽ in somnijs admonentẽ Æneam: Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia. Obsecro uos, ô Virgiliani emendatores, siqui adestis, non audio pariter apud ætatis nostræ doctissimos hanc præualuisse opinionem, an fieri potuerit, ut eadẽ noctis prima portione omnia ea ab Helena cõmitterentur, quæ Deiphobus, licet tunc temporis maximè dormiens somniansq;, ab uxore facta meditatus est. Nam illud superius propositum, Intra tecta uocat Menelaum, & limina pandit: seu per urbis solum tecta mœniaq; intelligamus, quoniam apud græcos eodem

*Emouet, legitur in Virgilio

semper

ſemper uocabulo comprehenditur, ſiue Deiphobi tãtum palatia: in eadem nihilominus prima noctis portione agitari potuerũt, geminosque Atridas capta occaſione ex Deiphobi pal tio, poſtquam eum truncauiſſent, per urbem murosq; diſcurriſſe: ut apud Homerum per Troianorũ caſtra Vlyſſem Diomedemq; feciſſe legitur, cum Dolonem Hectoris exploratorem paulo antè iugulaſſent: inde Rheſum mox cum adductis equis euolaſſe, nondum tamen Helenam arripuiſſe, deductionis aliud tẽpus expectantem. nam legitur circa diluculũ pueros, & pauidas longo ordine matres circũ prædam aſtare cumulatam, in quo noctis tempore iam ad lucem uertente, & in qua captiuorum multitudine credi par eſt Helenam quoque ſubſtitiſſe: & id in ſecunda noctis parte deſignamus. Quid mirũ igitur? aut quid tam contrarium iſti deprehenderunt? Ecce Æneas iam urbe lacerata, iam tranſacta fermè mediæ noctis tempeſtate, ad palatium Priami ſe accurriſſe teſtatur, ibiq; aliquantum etiam temporis cæco Marte propugnaſſe, hic Helenam in rebus extremis trepidantem, & fugitiuam deprehendiſſe: cui cum uiciaretur, mortem inſuper minitans, non quicquid horum à naturali ordine prorſus alienum. an concedi non liceat mulierem unius noctis curriculo geminæ ſe uoluntatis & ſtudij exhibere potuiſſe, quę ſingulis etiam horis ſoleat commutari? nam legimus, Varium & mutabile ſemper fœmina: pręcipuè in tanta rerum hominumq; trepidatione? Potuit ſanè primo noctis ingreſſu Deiphobi domo utique editiſsima cum luminibus &

choreis insistere, exultare: pòst in Priameio pa-
latio ad soceros elapsa, deprehensa tacere, con
tremiscere: ita cũ Æneas ei superuenerit, quã-
uis prius gestienti in Troianorum malis, con-
sentaneum satis fuit, imò necessarium, repen-
tè tanto uiro conspecto & cognito, gestu & a-
nimo fuisse mutatam fornicationem, ut dici
solet, in formidinem, uecordiam & uerecun-
diam concessisse. Stomachari libet, cum tantã
uideamus prauitatem audaciamq; pulcherri-
mos uersus ab auctoribus suis subtrahendi,
quòd alteræ sententiæ sexti libri aduersari ui
dentur. At quidem non contrarij sunt, sed ita
maximè consentanei, & qui proximè restite-
runt, Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacæ-
næ, Culpatús ue Paris. & reliqua prioribus cõ
tiguis non bene respondeant? Ecce autẽ exem
plum aliud eiusmodi ferè negocij. Iliades cum
in Siculo litore ludi agerẽtur funebres, euesti-
giò Troianas naues incendunt, non minori sa
nè exultatione faces uirgultaq; iactãtes, quàm
Helena modò inter Iliadas quoq; ex Deipho-
beia arce lumen ostentans, conspecto procul
incendio, Æneas, Ascanius, Troiani omnes si-
mul accelerãt. Obsecro quid illa continuò mu
lierum exultatio diffugit? Quæ tanta concre-
mantium & simul amantium facta mutatio,
ac tenebrarum perquisitio? Nam cum modò
in patulo litore ad lucem flammasq; consiste-
rent, mox legitur, Syluasq; & sicubi concaua
furtim Saxa petunt: piget incœpti, lucisq;, su-
osq; Mutatæ agnoscunt, excussaq; pectore Iu-
no est. Scilicet ut ij uersus subtrahendi fuerũt,
quòd primorũ sententiæ repugnarent. Quòd
si eæ

ſi eæ mulieres primò furentes, porrò uiſis Ænea Troianorumq́; proceribus, mutari potuerunt: quid Helena uiſo pòſt Ænea mutari non potuit? Sed quid moror? de Palinuro quoque uerſus erant ſubtrahendi, ſeu quos in quinto libro ſeu ſexto legimus: nam inuicem aduerſantur. prius nanq; poëta gubernatorem indicat, ſub Dei uenientis imagine deceptũ, ſomnoq́; irrigatum, ſtatim è naui cecidiſſe. Quo figmento percipitur Palinurũ, dum ſerenæ tempeſtati confidit, per ignauiam dormiendo prolapſum. At in erebo non perſona poëtæ, ſed Æneas ut ignarus Palinurum mortis cauſam exquirit: cui longè diuerſa reſpondet, ſe ne ſomno quidem correptum: quin dum ſtrenuè gubernaculum regeret euolueretq́;, cum retinaculo ſimul elapſum, nec quicquam magis timuiſſe, quàm ut nauis eius ſpoliata armis excuſſo magiſtro deficeret. Videtis ibi rerum uarietatem, nec intempeſtiuam: ſiquidem, ut ſuprà memini, temporum, locorum & perſonarum uiciſsitudo aduertenda ſit: quam quicunque negligit, ſuæ quoq; mentis inſcium eſſe fateamur: adeò ut ne apud Iuuenalem quidẽ id ſit contrariũ, cum in Satyra de mulieribus omnia eis uitia diſtribuẽs, anterius dixerit: Reſpice primùm, Et ſcrutare uiros: faciunt hi plura, ſed illos Defendit numerus. Tanta (inquam) proloquentium uarietate ſententiarum contrarietas adhibetur, ut quod Lauronia meretrix ſuo iure diceret, Iuuenalem non pigeat ſeorſum recenſere: & mirantur ij, ſimul criminãtes Æneam de Helena apud Didonem, quem ipſa poſtremò uidiſſet, una quidẽ ratione memo-

morantem: altera uerò Deiphobum cum Æ-
nea de uxore iracundum dixiſſe, quæ per ſom
num dormiens in nocturni belli principio ita
fieri credidiſſet. Quamobrem etiam atque etiã
admoneo, illos è Virgilio detractos ſeu per do
lum & iniuriam uerſus, ſiue per imperitiam,
ſuo loco reſtituendos.

QVOD HANNIBAL, DVM DI-
xerit ſe primum omnium imperatorem uideri, ſi Ro-
manos ultimò uiciſſet, non ad Scipionis ideo laudem,
ſed propriam tantum intelligi uoluerit. Pars XIIII.

VT initiò propoſui, ſumme Pontifex, ut
huiuſce literariæ politię definitiones of
ferrentur: ſic & rerum genera, & ipſi au
ctores uariabuntur. Hactenus de Maronis prę
ſtantia, quæ ſatis in primo libro fuiſſent, & hu
ius ſecundi uoluminis ingreſſu recitaui. Mul-
taq; de eodem egregiè alijs locis dicenda ſu-
perſunt, quæ fere ſingulos dies à Leonello me
morabantur: ſed mihi ita ordine proſequendũ
inſtitui, ut interea aliorum quoque auctorum
exempla uoluptatis gratia ſuſcipiantur. Memi
ni ſiquidem ijs ędibus Leonelli Ferrariæ, ubi
potiſsimum à genitore ſeparatus, quanquam
in eodem palatio hybernare ſolebat, ſæpenu-
mero uidiſſe Scipionis Africani & Hanniba-
lis imagines in pariete picturatas, mutua uel-
ut admiratione, ut apud Liuium eſt, ſeſe com-
pellantes: Romanum equo comitatum & fa-
mulo, Pænum cum elephante cathedrato, &
Æthiope nigro gubernante, cęterùm ipſos du
ces adſtare pedeſtres. Scimus autem ab eodẽ
hiſto-

historico de ijs eximiam bis factam esse mentionem. Primam, cum fœdera tractaturi cōuenissent, cuius rei faciem ea uisa & significare pictura: secundam uerò, cum apud Antiochū uaria utrque fortuna hospitatus. Igitur cū multi sępenumero de tantis ducibus sermones haberentur, cōtentionis tantum summa semper uisa est, uter militari arte scientior feliciór ue, aut plura memoratu digna confecisset, seu in Hispanijs, siue in Africa: cum in Italia Hannibalem per ætatis occasionem, & rerum successum plura fecisse constaret. Sed hinc alia quæstio fortasse me superueniente cœpta fuerat, quantum tempus ij duces à Cęsarum imperio distarent. Tunc Leonellus: Quid tot quæstiones ingeritis? nouissima hæc quinquagenariū numerum non excedit. siquidem Augustus, qui Cæsarū *præstantior imperare cœpit, adolescens adhuc Tullio uiuente. Tullius aūt puerum se fatetur, cum Marius primam consulatus dignitatē iniret: porrò Marium ijsdem ferè mensibus Iugurtham debellasse. non seniorem constat, qui cum Scipione hoc in Italia militasset. Sed ad primam quæstionem accedamus. Video in eandem uos ferè omnes sententiam uersos de Scipione Hannibali anteponēdo, qui magnanimitate, iustitia, felicitate, pietate etiam atque clementia inter se tantū differunt, quantum districto ense alter maximum populo Romano bellū intulerit, alter clypeo suo retulerit maximè, confeceritq́;, quo parentem suum adolescentulus protexit. Verùm enim quod ipsius Hannibalis indicio probatis, contrariū rei est. uidemus siquidem apud Liuium,

præstantior, pro præstantißimus: nisi pro primus dictum uelis.

uium, Scipione Hannibalem interrogãte, qui præstantiores imperatorũ uiderentur, respon disse: primum Alexandrum sibi uideri, secundum Pyrrhum, Græcorum regem, tertium se ipsum Hannibalem arbitrari. Scipioné idcirco per hanc Hannibalis sententiam præstantiorem intelligendum arbitramini, sed Hanni balem prę pudore quodam apertius edere no luisse, ne adulatione magis, præsente potissimũ Africano, quàm amicè laudasse fateretur. atqui longè Hannibali alia mens fuit. Neque enim, ô socij, domum ambiguam aduertitis, Tyriosq; bilingues. Cæterùm quam nunc uobis sententiam affero, & ab historico eodem intelligendam existimetis. Quippe cum se tertium Hannibal induxerit, omnino Scipionem exclusum uoluit, utique pro immemorando, seu in quarta sede fortè relinquẽdo: odium uidelicet, quod in Romanam semper genté exercuit, & quod nullis Romanorũ armis, nulla ui unquam infringi potuit, uel à se dici cõpellabat, rhetorico sanè artificio, ancipitique sanè circuitione, ut aduersarium penitus duplici ratione uel responsurum, uel taciturum refelleret. Hanc etiam ex Terentio plerunq; illudendi duplicem calliditatem aduertimus, quam ut simpliciter à multis, sic ineptè accipi sentio. Itaque si Scipio deinde siluisset, tunc uti consentientem Hannibalis sentẽtiæ cessurum: sin respondisset, quod apologiæ genus ratus est, Hannibal fore. Illam demum clausulam, uti ui distis, tanquam rete dolosum, aut laqueũ Pœnum illico subiecturum, se sibi omnium præstantioré existimare, si tunc quoq; Romanos,

uti

tati in Italia, uicisset. an non aduertitis utrinq; Scipionē exclusum? Quamobrem nō intentionem fuisse cognoscatis Hannibalis, ut Africanum idcirco potiorem fuisse demōstraret: sed cum postremò superasset, eum fortuna magis, ac fato quodam Scipionis fauente, quàm propria uirtute superasse: quòd si sors eandē sibi sortem reseruasset, tūc sibi omnia simul & fortunę pręmia, & uirtutis honores uindicaturū.

QVOD IRRITVM FVIT, PEtrarcham rhythmis suis edere, Cæsarem ob lætitiam fleuisse, uiso cæsi Pompei capite: Hannibalē uerò præ mœrore risisse apud suos, facta per Leonellum insigni castigatione. Pars XV.

SVb hæc alius cū de ipso Hannibale & Cęsare sermonem tempestiuum inferre irrideret, mira Leonelli grauitate modestiaq; confusus est. Adiecit enim in eo Pœnorum duce exquisitisimam fuisse calliditatis intentionem, & quæ ne minus à naturali usu mirè recederet, ne minus in Cæsare: idque Petrarchæ nobilis poëtæ testimonio probari, qui in suis, sed patrio sermone, cantionibus edidisset. Cæsar postquam proditor Ægyptius, & reliqua in eadem uulgari cantilena de Cæsaris fletu, Hannibalisque risu per contrarium, ut ille multique assentiebant. Quibus Leonellus sedato uultu, constantiq; sententia respondit, se penitus credere Petrarchā, quemadmodū illa carmina uulgari sermone cōposuisset, ita mirabūdę suspēsęq; multitudini placere studuisse, quæ uiri cuiusq; grauissimi iudicio semper dissen-

diſſentire ſolita. nullam enim ſe perſpicere rationem, qua Cæſar, qui altiſsimi fuiſſet ingenij, deſpecto generi capite, eodem abſciſſo, cruento & decolorato, mœrorem intimum ficta lachrymatione ſimularet, uel ut quidam iactitant, cæſi Pompei præ gaudio lachrymaretur. Cæſarem ſæpè ſuorum obitus familiariter defleuiſſe, amicorum etiam funeribus complorantem interfuiſſe, nouiſsimè ſeneſcentem uarijs fortunæ tum externis tum domeſticis caſibus admonitum, conciuis ſocij generi tam miſerabilem fati ſortē dolentius ingemuiſſe credendum: ergo fingerent exclamarentque, ſed incaſſum. Lucanus præcipuè longa ſatis in Cæſarem oratione fruſtratus. Nam quod diceret, quòd ſenatus iura, libertatemq; publicam Cæſar calcaret pedibus, cumq; tot Romanis ciuibus, generoq; bellum & cędes inferret, nō plorasse, nō pœnituiſſe. Sic facere homines arguebat Leonellus, modò ambitione, gloria, cupiditate, iracundia ductos, eoſdem modò cum belli odiorumq; cauſæ deſijſſent: ſe ſcire homines natos, ingenijq; naturalis nihil à ſe alienū: ſolere ita omnes maximos infimoſq; eadem uolente natura, impellēte fortuna, ſublata demum rixarum interceſsione placari, reconciliari, ad miſerationem penitus pietatemq; conuerti, potiſsimum erga defunctorum ſpiritus, qui antea fuiſſent dulci familiaritate uel cognatione deuincti, quorumq; præcipuè cadauera, cæde laceros artus, uti de Pompeio dictum, intuerentur. neque enim inter ſoceros ſolum & generos, uerumetiā inter germanos ſolitas ardentius conflari ſimultates, ſeu per

Libr. 9. extremo: Lachrymas non ſponte cadētes Effudit, gemituſq; expreſſit pectore læto.

contra-

contrarium inter hostes etiam infestissimos: & quo maior ira concreuisset, eo maiorem amoris integrationem commoliri, cum id penitus extinctum appareret, quod incitatam irã tanquam intensum arcum tenuisset, quorũ alteri alterorum sepulchra struerent, & cædes lachrymis expiarent. Ita Euryali Nisiq́; sublata spiculis capita cõmuni spectaculo fuisse, quæ non dolentius mater quàm hostes ipsi despicerent, lachrymarum copia conuicti. Neque hoc innocẽtium iustorumq́; clade uel interitu spectari licere, uerũ in sceleratissimo post defuncta supplicia cum de miseria eius, misericordia simul animo cogitamus. Hæc Leonellus quotidianis insuper exemplis confirmabat, addebatq́; se in Curtio legisse, solitum Philotam illum, tantum ducem, tanti imperatoris filium, quem paulo antè inter cruciatus grauissimos, ob regiæ futuræ cædis criminationem, omnis Alexandrinus exercitus necandum exclamaret: posteaquam enectus foret, humi iacentem & inhumatum, perinde ut alendis feris expositum, omnium commiserationi tristitięq́; fuisse. Meminisse præterea illustrem genitorem suum Nicolaum, tametsi facinoris iusti nõ pœnitentem, aliquando tamẽ primigeniti necem ingemuisse, quem ipse pater occidi mandauisset. ita enim prę se ferre mortalium uices, & humanæ fragilitatis conditionem ludibrio fieri: à qua si fortè quis alienus inueniretur, eum nõ ex hominis utero, sed lapide ferroq́; natum arbitrarentur. Fleuisse itaq; dolentissimè Cæsarẽ concludebat Leonellus, ita ut ipse quoq; recitans grauiter ingemisceret: & qui eum uix la-

chrymis continentem cernerent, effuse lachrymarentur pro se quisque, aut parentum, aut fratrum mortuorum, aut cognatorum & familiarium memor. Addebat præterea, Hannibalis risum non extra humanam uideri consuetudinem, uti sæpè nos aliquorum sententiæ liberius subridentes, etiam in summis laboribus periculisque coniecti, ipsam fortunam uoluntario risu deridemus. Et in hoc quoque genere mitissimus princeps exempla memorabat, addens & illud ex Satyrico prudentissimè, facilem cuiuis ridendi censurã esse cachinni. Mirandum potius, unde ille Cæsari oculorum humor suffecisset potissimè simulanti, ut illi dicerent, lachrymas ei non spontè profusas, cũ Demetrium ultrò deflentem admiraretur.

DE BIBLIOTHECAE, POLITIæq; *literariæ commendatione, nonnulla per* Ioannem *Gualengum seniorem memoratu dignißima: deq; nostræ tempestatis ignauia, ueterum comparatione, qui literarum studia maximè coluerunt.*

Pars XVI.

CVm miram Leonelli grauitatem, ingeniumque pijssimũ omnes certatim laudibus efferrent, tunc Ioannes Gualengus, ex senioribus ciuitatis principibus nõ indoctus, cæterùm genere, opibus, ędificandi peritia nulli secũdus (nam & hortuli, cryptoporticus bibliothecę dictę, zetæq; in urbe & suburbijs, ut apud Plinium, ei non deerant) Mirũ in modum, inquit, ô iuuentus, tuq; in primis

Leo-

Leonelle domine, indies magis hac uestra disputandi solertia demulceor, quam uos literariam politiam appellatis, ac uero quidem uocabulo. nam quid politius, quid argutius hisce humanitatis studijs? Et mihi in suburbanis quotidiana librorum conuersatio est, & in hac urbe bibliotheca, uti uidistis, in agellum tendens uiridissimum: non tanta fortè librorũ copia communita, uti Leonellus noster à politissimo domino habendam instituit (neq; unquam mihi tanta cum græcis & latinis literis fuit cõsuetudo) ueruntamẽ multis, utilibusq; libris instructa. In ijs Ciceronis omnia uolumina, præsertim philosophiæ moralis uno codice, & Terentium habeo etiam correctissimũ, in locis difficilioribus expositionibus Donati circunscriptum, legoq; assiduè. nam quid melius facere possum senex & diues? quanquam non minus familiarium & urbanarum rerum officijs insisto, quàm quondam iuuenis & robustior. Et profectò si mihi quicquã creditis, cum uoluminum meorum ordines considero, euoluoq; (nam cuiuslibet auctoris sui in tegumento nomen apposui) uideor tanquam eorũ qui scripsere, sanctissima quædam sepulchra contueri, ubi meliorem sanè animi partem impositam, q̃ corporis reliquias contemplamur: uel si ea potissima pars in beatorũ sedibus est, hic etiam literarũ beneficio maxima in parte respirat. Et quidem tantorũ talia monumenta ego longè aliorũ tumulis diuturniora esse censeo, quæ sibi marmorea construunt, Quandoquidem data suntipsis quoq; fata sepulchris. Sanè mecum ipse nonnunquã singulos libros

intuens, exoſculansq; compello, imò & præ gaudio lachrymans: O felicia corpora, ô immortales animos: mortui quidem loquimini, tacetisq;, cum uolumus, præclara, egregia, admirãda dicitis. Adde uerò commodum, quòd non tantum, tanquam ſerui uel cętera domus animantia, rem familiarem conſumunt, rapiuntq;, non illis amictu amplius ferè quàm uno, & omni tempore opus ſit. Enimuero libraria ſupellex lautitiaque, ſeu pro more ueſtro politia dicenda ſit, omni auro, gemmis, diuitijs aut precioſior eſt, aut certè delectabilior: quæ ſi cuius hominum ætati commodius placere debeat, in primis ego arbitror eruditæ ſenectuti iucundiſsimam. Solebam nanque iuuenis ad patriciæ iuuentutis morem non minus eruditionis, quàm corporis officijs inſiſtere, unde qualeſcunq; habeo literas, excepi. Sed cum me ex quotidiano addiſcendi labore aliquando ſubriperem (ita enim laborem eum inſcius uelut ingratum opus adiudicabam) quicquid ocij ſupererat, clam parẽtibus meis, iuuenilibus delicijs impartiebar. Contrà nunc æuo maturior, omne quod ex quotidiano negociorum faſtidio temporis extorquere licet, longè gratiori legendi ſtudio conſumo: cuius beneficio nemo ſolus ſe ſolum poteſt exiſtimare, nec loqui tantum, ſed eloqui, erudiri, commoueri. Nam per Deum immortalem, ſi bonorum omnium honeſtiſsimum appellamus, aut doctiſsimum eſſe, aut ſaltem apud multitudinem ſcitum uideri, uti quidam ſunt librorum tantum aſpectu enumerationeque contenti, cum hoc tamen non illaudabile ſit, illud uerò

bea-

beatiſsimum:nónne unica profectò librorum eſt familiaritas,aut certè poſſeſsio,quæ id nobis munus,eamq́; gloriationem prȩſtare queat?Cedant igitur librorum immortalitati & ipſæ equeſtres ſtatuæ aliquando defecturæ,cō cedant ærea ſigna non longiſsimè duratura. nam quem mihi dabitis ex ueterum præſtantiſsimis tumulum regis, aut imperatoris monumentum? Dicet quis,Neq; uerò doctiſsimi hominis,ne puluereas quidem reliquias, magisq́; Pompilij uel Pythagoræ,non locum ubi ſepulti fuiſſent. Attamen ſi ſcriptorum ſcientiſsimè facta pertractes, quæ ab ijs immortali memoriæ mandata ſunt,nihil in terrarum orbe recentius,nihil ore mortalium celebratius intuearis.Hoc enim eſt, quod à Plinio ſanctiſſimo commonemur: Effinge aliquid, excude quod ſit perpetuò tuum. O diuinam de cœlo uocem. Nam reliqua tuarum rerum poſt te alium atq; alium dominum ſortientur, hoc nūquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit. per cuius exhortationem intuemini, non regia palatia,non ſummas apud populum dignitates, tam longæuam in poſteritate celebrationem, quàm ſolus probitatis literarijq; ſtudij præſtātiam uendicare.Hoc enim eſt, quod à Saluſtio frequenter inſtruimur,uirtutem claram, æternamq́; haberi,cætera mortalium fragilia caducaq́;.Hoc nempe eſt, quod ab eodem reſonat, quoniam uita qua fruimur,breuis,rectius eſſe, memoriam noſtri quàm maximè longam efficere,ne ſilentio uitam tranſigamus.Hoc denique eſt,quod à Marone diuinitus: Sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. Quo magis

gis illi detestandi mihi uidentur, nec in genere humano cõputandi, siquidem huiusmodi studia humanitatis sint appellanda, quibus cum opes abundè sufficiant, nulla unius tantum libri cõparandi cura prouocãtur: quibusq; etiã si filij sint erudiendi, ob paternam negligentiã & ipsi minus fiunt uirtutis addiscendæ diligẽtes. Excusant nonnulli mercaturæ solicitudinem, quidam Reip. ministrandæ, pars rei militaris officia sibi impedimento esse. nam suam quisq; culpã ad negocia transferunt: qui si meminerint, cuiusmodi fuerit ueterum consuetudo, apud quos cum maiora familiarium & publicarum rerũ studia gererentur, hæc insuper suarũ artium testimonia non solum disertissimè scribendi præcepta, uerumetiam honestè uiuendi nobis monumenta reliquisse: multo magis eosdem inertissimæ uitæ pœniteret, dicerentq; auctore Salustio, nihil minus naturæ hominum q̃ industriam deesse: quippe qui falso ætatis imbecillitatem, æuiq; breuitatẽ accusantes intelligerent, non in fortunæ dominatione, sed solo ánimi imperio, uel immortalitatis, uel ignominiæ nostræ summam consistere. Talia grauissimè memorantem Leonellus ipse & admirabatur, & extollebat. Cæterũ cum iratiori fortasse uultu pronunciaret, Feltrinus eques illudens: Habés ne plura, inquit, noster senex cũ hoc tuo naso, quæ de librariæ politiæ neglectoribus reprehendas? Imò uerò, Ioannes excepit, & te tuiq; similes cum hoc cerebro tuo paulo minus ab ijs præcauendos existimo, qui cum librum semel commodatũ acceperint, uel reddere nunquã curant, quasi

iure quodam hæreditario propriá ue auctoritate eum sibi uendicantes: uel multo pòst tempore, multis etiam precibus adhibitis, & eum infringendæ familiaritatis periculo uix tandē extortum reddunt. Tali quidem hominū generi libros censerem uel nunquam cōmodandos, aut firmissima pignora pro eis exigenda, cum id etiam cōmodandi beneficium iniuriæ loco duxerint. Quo quidem tutius est cum inferiore hominum genere minus, q̃ cum superbo rem habere: à quibus etsi non iusiurandū, neq; syngraphum exegeris, ultrò tamen ij tempore indicto, ac gratias agentes librum domino restituunt. in qua re penitus aduertendum censeo, ne unquā præ domini sui ignauia librī sic in alienas manus euagentur, quòd interdū fit, ut per obliuionē pòst nescias, unde sis petiturus. Hanc ego bibliothecæ meæ politiā nūc appellare malim, ne libros omittā, neq; tamen mures, araneasq; reformidē, quàm prædatores. Sed de his satis, ad me redeo. Dixi modò in Ciceronis operibus & Terentio me sępè studere: lego insuper Senecæ morales epistolas, in quibus semper distrahor interpretandi uarietate. Quidnam tandē in prima epistola locus ille demonstrat, ubi de tēporis iactura, & humanę uitę cōditione tripliciter disputatur? equidem quo magis eo loco audio sentētias, incertior fio. Sed de Seneca aliàs. Nunc omnino uelim edoceri, quænam illa sit in Comico calliditas multiplex, uti modò Leonelle parū attigisti, cum de Hannibale & Scipione disputares. non enim satis aduerti, an cum irrisoriè in quempiam fortè quid agitur, id nō uni solū,

ſed pluribus dictũ intelligamus: ut paraſitus cum ſolum militẽ irridere uidetur, alios quoq; carpat audiẽtes. unde illud uulgò tritũ: Quod uni dicitur, idem omnibus dictum intelligi.

DE TERENTIANA NON SIMplici, *ſed multiplici ludificatione, ac ſuper eam partem præcipuè, ubi Gnatho inquit cum* Thraſone: *Nunquam ad te accedo, quin abs te abeam doctior: non ſimpliciter uel ironicè, ut dici uidetur, ſed amphibologicè, ac in expreſſam magis* Thraſonis *deriſionem apud circunſtantes accipienda: tum de quibuſdam eiuſdem* Terentij *partibus, annotatione dignis.* Pars XVII.

AT Leonellus: Non hoc, inquit, eſt: ſed cum fortè quidem dicitur, quod dupliciter per cõtrarium ſeu per conuerſam ſimilitudinem intelligi poſsit. una quidem ratione ab eo, in quem dicitur: ſeorſum uerò uel à dicente, uel à circunſtantibus. Nam quid igitur uafrè, callidè, aſtutè dicta nobis innuunt, niſi quidquam magis q̃ ſimpliciter, imò etiam q̃ ironicè intelligamus? Licet idcirco hiſtriones intueri, alios minus induſtrios, quos uulgares & communes dicimus, ſimplicibus tantum iocis inſiſtentes: qui primo ludificationis ingreſſu, ſeu per corporis geſtum cùm proprij, tum beſtiæ, quam ſecũ ducunt, ſiue per ſermonem riſum commouent, celeriter euaneſcentem: alios uerò, qui uno propoſito ioco ſuſpenſum ridentemq; populũ tenentes, alio rurſus quàm expectatur, interpoſito ioco cachinnos cõcitatiores exagitãt. & hoc dupliciter iocari dici-

dicimus:in quo genere nec duplici ſolum, uerumetiam triplici hoc exemplum fuerit. Si cuipiam ante focum ſtanti dixeris, nimia ignis focillatione abſtinendum eſſe, quòd per eius uſum homines indies magis ſenes fiant (& hic primus iocandi locus) ac propterea * officinarios fabros ſqualore ſituq; dies ac noctes deformari ſolitos, & rugas uultu cõtrahere. nũc eſt quod ridiculum ſecundo loco ſtatuitur. Ille autem ob id dictum ab igne receſſerit credulus: hic alter ſuccedat frigens, arridebitur quidem qui diſceſſerit. Tunc uerò ſubiũgat: Quid arridetis? an non uerum arbitramini, moram tẽporis cauſam eſſe ſenectutis? quo magis ante fornacem immoretur, eo plus ferrarium fabrum inſeneſcere? Et hic tertio quartoq; loco iocari dicitur. nam eadem ratione quo plus ante glaciem & fluuium obuerſetur, igni contraria, itidem ſeneſcet magis. Eſt & aliud perſimile triplici ioco exemplum. ut ſi cuipiam penulam habenti paulo ampliorem, breuioremque quàm cupiat alter, hoc modo conſulat: Tu quidem à ſummo margine ambabus eã quam potes manibus protrahe, ego autem ab imo retraham, ſicq; ueſtis producetur. Hoc nẽpe eſt ſermone, & primo loco deludere: quaſi uerò de ueſte pariter, ut ligula ex corio fieri ſoleat. ac fac alios amictũ utrinq; diſtrahere, ut deluſor ſuper alterum ſua ſponte decidat. Iam ſecũdo loco & in geſtu, non in ſermone tantum erit ludificatio: dicatq;, An ſic ideo me fefelliſti, ut humi ſuper te conſternens? & hic in ſermone rurſus, cum ipſe ultrò ceciderit. in quo ludificãdi genere, ut aliàs innui. nam tot apud Plautum

Officinatores appellat Vitruuius: Officinarios nõ legi.

& Terentium, sed sanè plurima in simplici genere exempla comperias: cuiusmodi est, Vulcanum in cornu cõclusum gerere. Id in sermone tãtum est, & ioco simplici. Ideoq; cum Plautus seu iocosior sit, siue fabulosior, Terẽtius tamen astutior, qui risus etiam in cautelarum admirationem permutet, ad maiorẽ scilicet prudentiam, rerumq; discretionem accõmodans. an cum parasitus ad deos mirabundus exclamat: Dij immortales, homini homo quid prestat? stulto intelligens quid interest? ita simpliciter, ut moraliter dictum, intelligas de bonis ac malis tantum, siue de stolidis cum intelligẽtibus comparationem adferri? Non enim parasiti est philosophicè disputare, quo meliorem partem eligant: sed boni prudentisq; serui, ut Parmenonis. Iactat enim Gnatho ille, si diligẽter aduertas, magnam inter astutum scilicet & callidum hominem seu uersipellem assentatorem esse differentiam, cuiusmodi se esse gloriatur, & hominem simplici uita peragẽtem, quẽadmodum uult illum esse mustelinum. in qua *definitione parasitus se multo alteri prestare, & meliorẽ esse contendit, cum re longè sit pessimus. Contrà Terentius sub parasiti intentione. uult tamen sententiam eius philosophicè suscipiendam, quod est duplici ratione argumentari. Ita cum hoc loco non dupliciter acceptus sit, nec illum quoq;, quem nunc de parasito suggeram, uti modò significasti Ioannes, ut nec plerosq; in Terentio dupliciter acceperũt. nam cum apud Thrasonẽ assentetur, Nunquã ad te accedo, quin abs te abeã doctior: per unã quidem uult à milite rationem intelligi. Militem

Definitio, pro comparatione seu contẽtione capi uidetur.

In Eunuc. Act. 4. *Scẽ. ultima: ubi,* Nunq̃ *accedo, sine illis duob. uerbis,* Ad te, *legitur.*

tem scilicet à se parasito probari sapiẽtem, quẽ admodum solẽt discipuli à magistro uenire sapientiores, cum in re tamen non procedat. hęc autem unica omnium in Terentium expositorum sententia. Quòd autem à Donato locus is silẽtio pręteteatur, uelut intellectu facillimus, indicium est simplici modo intelligẽtis. Tum Gualengus intercipiens: Quid igitur (obsecro princeps) aliud est, quàm ut ironicè de milite dictum intelligamus? Cui Leonellus: At longè disertius, callidius, & magis ambiguum apud me sonat: nempe uult parasitus non ironicè de se, sed expresse, in re circumstantibus innuere, se doctiorem semper esse milite, quocunq; pacto seu ad eum accedat, seu ab eo discesserit. Nam per Deum immortalem, quis non eo cõtinuè doctior sit, ad quem itur à doctiore? Sic enim à discipulo magister doctior abscedit, uti modò discipulum à magistro uenire doctiorem arguebatur. & hic secũdus iocandi locus, cum in primo satis sit de milite ironicè dictũ intelligi: cui tertius accedit, non minus egregiè Parasitum dicere, se multo magis doctum fieri (nam Fiam, dixit: non, Sum) cum ab eo recedat. Quasi diceret: Quo magis tecum moror, stultior fio. & sanè moris est arguere, quem Terentius hac in parte, eum fieri stultiorem (quod magis est, quàm esse) qui stultum sequatur, quo fit ut tertio loco militem Gnatho ludificet. Hæsitabant Ioannes & cæteri stupefacti, qui nunquam quicquam tale cogitassent. At Leonellus disputationẽ suã continuare: An ideo pro more uestro uulgariq; consuetudine hunc locum à Terentio uersutissimè positum,

positum, ita duntaxat intelligendum arbitrabamini, ut ironicè pro milite tantum, non in re etiam pro Gnathone caperetur? Non ita parasito uisum, qui Thrasonem pro insipiente penitus, sed ambiguo tamen sermone coràm indicauit. nouerat enim longam eius dormitioné, non ut insomnes Neronis noctes. nam dixit: Stertit noctesq; & dies. ipse auté ultrò gloriosorum irrisor: nam subdidit, His ultrò arrideo. Quàm longè ergo falluntur, qui hoc à Terétio dictũ decerpentes, amico nonnunquam *designant, quem laudare maximè credunt: nónne inani turpitudine uterq; nescius alluditur? Itidem addit Gnatho callidissimus: * O deorũ fidem, quanti est sapere? quod pro se ipso magis accepit, simulans à milite de se dictum intelligi oportere. nam hinc oritur: Homo homini quid præstat? stulto intelligens quid interest? Similiter de eodé erga Thaidé: *Non tam ex ipso dono læta est, quàm abs te datum est. Vult enim parasitus à peritioribus intelligi, Abs te: hoc est, tali homine. quod est in secundo loco iocari: hoc est, tam insipiente, de quo Thais ipsa triumpharet: uirginem scilicet, sine Venerea etiam satisfactione, ne dum collato precio subtractam, cui potestas non foret repetendi. & huic persimile parasiticum: Nemo hunc per peti, qui aliũ parare posset. Hunc, id est, talem, haud dubiè pro misero positum uidetur, & secundo iocandi loco. nã dixerat: Apparet hunc seruum esse domini pauperis miseriq;. Et illud non minus astutè Parmenonis: Qui huic animum assentari induxeris. nã superius est, Postremò, mihimet imperaui, scilicet tali, uel tam uili.

Designãt pro assignant.

Dij uestram fidem, habet Terentius.

Non tam ipso quidem dono quàm abs te datum esse: id uerò seriò triumphat. Verùm & hic & alijs locis nõ tã uerba, quã sententiam citat hic autor.

uili.nam ſi hunc ut iſtum, & huic ut iſti ſuſceperis, ſimpliciter dictum apparebit. Multa quidem ſunt huiuſmodi ſcientiſsimè poſita, quæ Virgilium minimè latuerunt. Ideoq;, * Hunc ego te Euryale aſpicio? Quin illud inſuper coquinarij commilitonis reſponſum duplici ſententia dependet, ut ſciamus hunc Comicum Eunuchum ſuas inter alias comœdias ſubtiliſſimè compoſuiſſe, ſe ſcire quidem illa Thraſonis facinora ſine militum ſanguine fieri non poſſe. nam cum primo ſenſu ſatis ridiculum ſit, ex periculi protenſione: tamen illud ridiculoſius conſiderandum, ſub mendacij ſpecie ueritatē aperuiſſe, Sine ſanguine ſcilicet, quouis cruore non adparente, nulla ab hominibus agitari poſſe.

Aen. 9.

Hunc, id eſt, talem, Chariſius exponit.

EXPLICATIO CERTISSIMA SVPER *principio epiſtolæ primæ Senecæ, ubi dicitur: Vendica te tibi, & tēpus quod adhuc aut auferebatur, aut ſubripiebatur, aut excidebat, collige & ſerua. Ibidēq;: Quædam enim tempora nobis eripiuntur, quædam ſubducuntur, quædam effluunt. Item, dum dicit: Magna pars uitæ elabitur nihil agentibus: maxima, malè agentibus: tota, aliud agētibus. Quæ partes ſolitæ ſunt uſq; in præſentem Leonelli principis expoſitionem, ab omnibus in contrariam dilacerari.* Pars XVIII.

MIra iucundaq; audio prorſus, Ioannes ſubdidit. Fateor ſegnitiem meam atq; ſecordiam, quæ à pueritia, ut Comicus inquit, cum ætate accreuit ſimul. Dum enim Terentium legere cœpi, in hanc uſq; poſtremā ſenectu-

senectutem nunquam eas partes tã rectè, tam dilucidè intelligere potui, quàm abs te modò Leonelle explicatæ sunt. an quædam ingenio magis, hoc est, naturæ bonitate, diuinaq́;, ut aiunt, inspiratione, quàm omniũ doctrina præceptorum intelligi posint, nimirũ hunc à uobis cõtentionum morem politiam literariam appellari. nam quid emẽdatius? quid politius? Sed obsecro Leonelle, non etiam Senecæ epistolas tam acutè discernis? nam opinor æquè tibi familiares non esse, ac eloquentiæ libros. Tunc Leonellus: Opera Senecæ huius, quem moralem appellamus, itemq́; alterius Tragici, pueritiæ meæ erudimenta fuere, unà cum Marone atq; Terentio: quasi pauper magis atq; desolatus in eo philosophiæ genere consolari debuissem, quo minus mortalium infortunijs solicitarer. Hæc omnium Senecæ quæstionum summa est: itaq; iamdiu cognoui. Cæterùm scio quò tendis: nẽpe ex me auditurus, quę de partibus illis principij epistolarũ sentiã, in quibus cognoscendis uehementer modò solicitari dixisti, ob multiplices interpretantium opiniones. Igitur tãquã in morbido ulcere, quod diu latuit, detegenda in primis occasio est, qua multi, licet doctissimorum famã uindicantes, uariè interpretando frustrati sunt: inter quos Franciscus Petrarcha, Collutius, & pleriq; ea tẽpestate præceptores ipsi, & Theologię professores, & magni (ut aiũt) physici, metaphysiciq́;. Qua patefacta expeditione cura consequatur: ne tamen hac in parte longissimus fiam, sic aliorum uerbosas ambages recensendo, ut à se multis uoluminibus prodierunt, omnes duntaxat

taxat errorum causas, uno tanquam manipupulo cõprehensas resecemus. Placet omnibus Senecam, Lucillum de paupertate seu iactura temporis admonere, ad hoc unum omnes cõueniunt: temporis autem perditionem tripliciter autumãt, & hinc errorum origo. nã dum quisque ad malam rerum operationem, quam nequitiam potius seu iniquitaté appellari decet, tripliciter tempus impartit peccatorũ, undique pro opinione sua nobilius genus exqui rentes, harum partium Senecæ definitiones si ne modo implicuerunt. Ita nihil agere, malè agere, ad immensas inuolutasq; uitæ qualitates distraxere. Itidem tempus auferri, subripi, excidere siue eripi, subduci, effluere, non percepta Romani sermonis proprietate uarijs opi nionibus interpretantes. Nec mirum. ut enim fortè pelago nauigantes, sine syderis, regionisque cognitione frustra ad locum properare cõ tendunt, cuius situm quisq; ignorat, omnes ta men ac diuersi se scire profitentur: sic ijs more suo Senecam interpretantibus contigit, dum alius alio magis se peccatorum genera intelligere ratus est, propiusque ad rem accedere, adeò in contrarias partes* dissensere, ut nulla eorum sententia ualidior, nulla certior effecta sit. Hactenus eorum causæ, quibus multorum uolumina referta sunt, ut dicere etiam auderent, Senecam ipsum si interrogare liceat, nihilo subtilius disserturum: quorum in se pro pria confutatio est, ut qui post longam itineris deuiationem defessi, tandem frustra tetendisse cognoscunt. Quamobrem nunc à me, postquam ita uoluistis, sic explicandum uidetur,

Fortè, discessere.

uidetur,ut non ad plura, paucioráue malorum genera redigi posſit tẽporis breuitas ſiue perditio. Placuit noſtris auctoribus, humanæ uitæ conditionem quàm latiſsimè in ſex tempo rum uel ætatis uices explicari,easq́; per annorum modos terminare:infantiam, pueritiam, adoleſcentiam,iuuentam,ſenectutem & ſenium,non decrepitam,ut imperitè dicitur, quãuis rectè decrepitos ob clamorem & loquacitatem uocamus. At Varro quinq;,dẽpto ſenio, numerauit. Idem maiores noſtri, poſtmodum correctiori numero*quadrifariam pro anni tẽpore comprehenderunt, ſenium & infantiam auferentes.* Poſtremò correctius tribus tantum metis inſtiterunt, cum primam uiridem appellarent,ſecundam adultam, tertiam uerò præcipitem.Hinc Cicero, Præcipitata ætate, cũ de ſenectaloqueretur:& Virgilius, Viridisq́; ſenectus,dum non penitus pręcipitata. In qua ſentẽtia,de tribus ſcilicet,Senecam uideo partes epiſtolæ ſuæ definijſſe, pro tribus uitæ generibus,ac triplici uerborum ſerie,triplicẽ tan tum ętatis curſum impartientem,ut qui infan tiam pueritiamq́; una in parte comprehendẽs, quam dixi uiridem adoleſcentiam:& iuuentã in alterã,quæ adulta eſt(ac more græcorũ ſem per indifferenter exponunt, ut idem neotatos iuuenis ſit,uiri,adoleſcentis) ſenectam ac ſeni um in tertia,ac tanquam in præcipitio fundoq́ue collocarit.Et quidem ſi uerè communiter q́ue nobis exiſtimãdum, tripliciter moralium conſuetudo declarat. nam aut puerum,aut iuuenem,aut ſenẽ frequentiſsimè dicimus.quin etiam uulgari prouerbio tritum,niſi quis in ui gesimo

Hæc fuit Pythagoræ diſtributio, & Horatij in Poëtica.

Seruius autem Tullius, Rex Rom. in tres tãtum partes uitam hominis diuiſit, naturã ſecutus,quæ rebus tria tribuit augmentum, ſtatum, & diminutionem.

gesimo sciat, in trigesimo ualeat, in quadragesimo habeat, eum infelicem fore: non quòd hęc popularis definitio superiori ætatis ordini cōparanda, sed satis constat triplicem ętatem hominum computari. Cum igitur & in prima epistola Seneca, & in cætero ferè uolumine de breuitate & fuga temporis, imò de mortalium desidia, apud Lucilium cōqueratur, ut primò infantiam amittimus, deinde pueritiam, subinde iuuentam: & reliqua operæprecium uidetur, ut triplicem uerborum ordinem, qui à Seneca pręmittitur, scilicet tēpus quod auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat: rursusque sequentium, Quędam tempora nobis excipiūtur, quædam subducuntur, quædam effluunt, tribus iam dictis humanæ uitæ partem attribuamus. Et ut quidam specialiter dictum aiūt, uitia tantū hominis accipientes, sic uniuersum prædicatum omni hominum generi cōstabit. Quod uobis facilius cognitu fuerit, si sermonum proprietatem aduertatis. nam propriè aufertur nobis tempus per infantiam & pueritiam. Aufertur enim, quod defendi uel uindicari non potest: quasi per uim auferatur, & quis infantium puerorumq; se ab illorum temporum fuga, iacturaq; defendat. In quo detrimento uidetur fragilitas naturæ magis, quàm mortalium uita criminanda. nam quod summus poëta inquit, Optima quæq; dies miseris mortalibus æui Prima fugit: ad corporis speciem seu formam, ac lætabilem non animi nec uirium retulit conditionem, cum melius præstantiusq; ualeant homines confirmata ætate, quā pueritia uel adolescentia. Ad cuius rei senten-

tiam ille quoque uersus inclinat:

O formose puer, nimium ne crede colori.

Sed ab Ouidio expressius,

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos, Fit minor.

Est enim ita mos poëtarum, ut uiridiorem potissimum extollant adolescentiam. Ideoq; ab Horatio non minus eleganter:

Ode 14. lib. II. Sic legitur: Heu fugaces Posthume, Posthume, Labuntur anni, &c.

*Heu quàm celeres Labuntur anni: nec pietas moram Rugis, & instanti senectæ Afferet, indomitæque morti. Primùm itaq; ordinē expediamus. Aut surripitur tēpus per adolescētiam atq; iuuentā. Subripitur enim, quod clanculū carpitur, quod non difficulter potest recuperari, uel per diligētiam ita prouideri, ut ne surripiatur. Nā in adolescētia quotusquisq; mortalium, modò sanus & liber, & in recēti robustaq; iuuētā fugam temporis recuperare nō prohibetur? Quod nūc Luciliū admonet Seneca, seu adolescentē siue iuuenē, ut se sibi uendicet, per ætatis scilicet opportunitatē: colligat nēpe, reseruetq; quod amittebatur. & bene subiunxit, Adhuc: id est, usq; nūc, uel hactenus: nō ut pleriq; prauè interpretantur per itē uel iterū. Neq; enim hęc epistola ad senes pertinet exhortādos, quin imò cōfutādos, abijciendosq;: uerūm ad iuniorū cœtus, antequā prouectior ætas irrepserit: contra quā in calce dictum epistolę, serā esse in fundo parsimoniam. Quòd si quis hoc loco fortè redarguat, Senecæ dictum sententiæ meæ non conuenire, tempus scilicet quod aut excidebat, & tempora esse quædam effluentia, nō ad Lucilium pertinere, qui senex adhuc non erat; respondemus enim,

non

non minus & hoc arbitrio noſtro, quàm cæte ra conuenire. Propterea quòd Excidebat, dixit, nõ Excidit: alioquin temerariè dictum ex taret, tempus elapſum ut colligatur, quod col ligi non poſsit. Sed cum in lapſu, iacturaque cadendi uerſetur, uult ut mutato conſilio reſu mamus: quemadmodum non abſurdè dicitur, domum eſſe ſuſtentandam, quæ ruebat, nõ quæ adhuc ruiſſet. ergo propoſitum urgea mus. aut excidit per ſenectutem inquam: nam tempus hic pro ætate diſponitur. cadit enim quod maturum eſt, quodque amplius perſtare non poſsit. Vnde à Iuuenali noſtro faceciſsimè:

Et quamuis tota * pulſetur nocte, iacebit.

Palpetur, legitur Satyr. 10.

Quippe quod fini proximũ eſt, aut in ipſo fine conſiſtit, præcipuè temporis uel ætatis, ſtatim elabitur, cadit, præcipitat, id quod amplius re cuperari nõ liceat. nã tunc ſera, id eſt, inutilis & intẽpeſtiua parſimonia in fundo eſt ſenectu tis. Quam ſententiam philoſophus iſte ſimili quoq;, ac ſecunda uerborum inſertatione tripartita corroborat, quo magis ſuccenſendum in tam clara iterataq; parium uerborũ propoſi tione noſtros aberrare potuiſſe. nã eadem ſententia ſequitur, mutato uerborũ ſono. Quædã enim tempora nobis eripiuntur, quod idẽ eſt, ut auferre, quod dixi: & hoc ad primã ætatem pertinet. Quædam ſubducuntur, quod idẽ ſonat, ut ſurripere. nam legitur, Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis: & hoc ad ſecundam, uidelicet iuuentam & adoleſcentiam. Quædam effluunt, quod idem indicat ut cadere:

& hoc ad senectutem pertinebit. Ita iam patefacta triplici uerborum significatione per duplicem sententiam, ut ad triplicem ætatis ordinem accõmodemus, resecanda sunt, quę tripli ci uitæ parte elabuntur. Hoc enim obstabit definitionis ordo, quòd in plerisq; exemplis incipiatur à malè agentibus, cum alibi certè uideatur à nihil agentibus inceptum, quod melius. *Extat quoq; apud Ciceronem in primordio Officiorum, ubi loqui uidetur de definitionibus, præposito prius quodam triplici ordine, à secundo uel tertio rursus inchoãtem, quem & ipse superiorem dicit: non utiq; primus est, sed primo propinquior. Itaq; uel legẽdum, uel intelligendum primùm, magnam partem uitæ elabi nihil agentibus: & hoc ad infantiam pueritiamq; spectabit, ut proposuimus. propriè si quidem infantium puerorumque nihil agere: nam & eorum inania facinora, nænia nominãtur. Neq; enim in plebe crediderim nihil agere, pro malè agendo intelligendum. Et eo loco exponitur, Sine ipso factum est nihil, hoc est, malum: cum græca scriptura Ioannis satis appareat, nõ unum esse factum, id est, unicã rem, non autem nihil. Quamobrem ætas ipsa sicut imperfectior, ita ciuili religiosoq; iure ad quædã alijs obseruanda non tenetur. Maxima pars elabitur malè agentibus, ergo haud se ab ignauia malitiaq; uendicantibus. & hic errorum locus, multiq; præcipitij apud expositores nostros: quod dictum proculdubio malè agere significat, non ut modò de infantibus puerisq; diceremus, in quo quidem malè agere, omne uitiorum malorumque genus ego comprehẽdo, non

Fortaßis ubi ait, Omnis de officio duplex est quæstio: et si difficile est, quid hic uelit, uidere.

do,non ut isti opinantur, hoc aut illud maleficium.Nam & hoc pacto mecum Salustius intelligit,optimè uitia reprehendens, multos esse mortales deditos uentri atque somno,indoctos incultosq́; sicuti peregrinantes uitã transigunt,quibus contra naturam corpus uoluptati,anima oneri fuit,eorum uitam,mortemq́ue iuxtà existimari.Quoniam de utraque siletur, uidetis non hoc aut illud, sed omne uitiosum facinus à seuerissimo auctore reprehendi, diciq́ue perspicuè de iuuenili ætate media,quę potissimum sit admonenda:non pueritia, uel senectute.Itaque demum tota uita aliud agentibus amittitur,& hoc ad senectutem. Nam aliud hic dictum constat à Stoico, perinde ac reliquum,id uidelicet,quod à superioribus ætatis portionibus superest: ac si tertium diceret, nec ineptè, præposita siquidem duorum locorũ definitione,cũ tres prius enumerauerimus: id quod aliud dicitur, tertium reliquumq́; locum obtinet,distantem à prioribus, per quod philosophus istam totam uitam dicet amitti, nempe à senibus quippe,si prius infantiã pueritiamq́; nihil agendo perdideris.In adolescentia uerò & iuuenta malè agenda non te uendicaris,ut Seneca Lucillum adhortatur:restat ut in senectute totum uitæ tẽpus abijcias.In qua sententia præclarè Tullius, ut in Catone suo de Q.Fabio seniore,cuius mores senectus non mutauerat. Nam ut ille maximis semper rebus exercitus eas mutare non poterat, sic uitijs assueti in senectute non mutantur.Nec alter Seneca tragicus huius sententiæ contrarius est,licet eius Agamemnonia senex à bene

faciendo non deterreat, nunquam ſeram eſſe demonſtrans ad bonos mores uitam. Illic enim licentius introductis perſonis à poëta diſputatur, hic ſerius à philoſopho redarguitur. Quòd ſi quempiam igitur in extrema uideris ætate ſe uendicare conantem, illum Stoicus irridet, ei ſeram aſsignans in fundo parſimoniam. Quemadmodum irridere ſolemus, qui ſublatis menſis cœnaturus accedit. ut, Amice ſerò ueniſti. quique inutili intempeſtiuoque tempore ſignatur. Subditque propterea philoſophus iſte facetam de dolio uel urna per tranſitum ſimilitudinem. ut, Si uinum fortè aut oleum, quod in totum annum modeſtè parcendo diſpenſare debueras, ante debitum tempus profuſe conſumpſeris: ſerum tamen & inutile conſilium uideatur, cum in fundo conſiſtis. ibi non minimum modò, ſed etiam peſsimum ita parciſsimè frui, ut ad anni calcem perducere coneris. Auctore quinetiam Heſiodo, ſi quid tanto credimus poëtæ, in libro, quem ἔργα καὶ ἡμέρας, id eſt, Opera & dies appellauit, à quo planè hunc locum uidemus de mala in fundo parſimonia ſumptũ: ut, δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ. Enimuero qui per fundum, agrum intelligendum putant, longè falluntur, non conſequente philoſophi ſententia. nam quid ſibi uult, agri ſeu domus ſeram eſſe parſimoniam, cum ſemper ſit opportuna? Sed de hoc ſermone aliud attentius diſputandum, cum ab iſtis enixiſsimè explicatum eſſe uideam, ut omnem ferè moralis philoſophiæ ſubſtantiam ſe putent in ea dictione compoſuiſſe. Aſſerunt

rũt quidem, totam uitam ijs amitti, qui aliud atque aliud uitæ genus sequuntur. quasi uerò hic sermo Aliud, malitiam ex se ipso significaret, aut modò aliud atque aliud exprimere uideatur. Primùm enim nec hic sermo Aliud malitiam significat, nisi ita orationis con textus, ut omnino per se malum repręsentet. Quale dixeris, Bonũ Tullius meditatur, aliud uerò Catilina: tunc secundus sermo sanè fuerit superiori contrarius. Deinde neque Seneca uitæ uarietatem uel inconstantiam hoc loco demonstrat: qui si ad eam significationem intendisset, modò aliud atque aliud, non utique solum aliud expressisset. Cuius orationis speciem Curtius inter historicos sanè elegantissimus de Dario explicare non dubitat. ut, Ille remotis arbitris diu aliud atque aliud consilium animo uolutabat. Itidem Tullius de doli mali definitione, cum esset aliud simulatum, aliud actum.* Item Phitius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes. Postremò quis peritè dicere ausit, aut sapienter iudicare, totam eius uitam hominis amitti, qui modò aliud, præsertim laudabile uitæ genus imitetur? An reprehendendus est ille Xenophon, tantæ uir ætatis & ingenij, qui militiæ partem ætatis suæ, partem & liberalibus studijs sic impartierit, ut & imperator bonus & philosophus, ac orator egregius, certè ut admirabile lumen meruerit appellari? Sed quid exemplis opus, cum omnium eruditorum, uel certè bonorum hominum idem consilium uideamus: ut cum à iuuentæ labore desierint, in senecta protinus

In Topicis.

Phitius quid sit, nescio: fortè Seruius, aut Aquilius, nã horum in Dolo *malo definiendo mentionem facit* *Tullius.

qualiſcunque,honeſtæ tamen uitæ genus,nec à priſtinis moribus alienæ,ſed illi maximè ęta ti conueniens ęmuletur? An nō debeat quiſq;, ſi poſsit, adoleſcentiam literarum diſciplinis erudire,inde militaribus armis pro patriæ defenſione,pro geſtorum comparanda gloria & laudibus corpus exercere,non etiam externæ iuuētæ partem, ſi libuerit,in terræ mariſúe ho neſta mercatura protinus impartiri? ſenectutis uerò partem te agriculturæ, ut ille Cato ſe nex & plerique,uel ædificandi ſtudio, partem etiam philoſophiæ ſacræúe ſcripturæ, & effin gēdo operi diſtribuere? Quod uitæ genus mul tiplex,ſiquis eſt noſtra tēpeſtate ſeniorū, cui rectè poſsit adſcribi, tu mihi in primis Gualē ge,uideris: qui idē ſedula imitatione perſequa re,cuius uita laudabilis nunquam uacet multarum uirtutum officio. At plantam quis dixerit *ſenex, exemplo non conualeſcere,quæ ſæpè transfertur? Secundò, quæ ſit eiuſdem philoſophi intentio, quidque in alia epiſtola, diuerſaq; materia de inconſtantia præcipitur. Cæterū hic dicendi locus communis eſt.nam ipſæ arbores frugiferæ ſine trāslatione,inſitio ne,circūciſione ac circumfoſsione non conua lent: conualeſcunt & homines,quibus ſemper curæ eſt animum ſummis adiungere rebus. Nam quid ſonat ab eodem, totum mundum nobis eſſe patriā,ſi eiſdem ſemper laribus,aut ſtudijs ſit immorandum? Sed ſunt,qui putant per Aliud,aut incōſtantiā hominū (quorū nec ego ſanè,neq; Seneca fœmineos mores unquā laudauerimus) aut hypocritarum uanitatem intelligendam oportere: dicantq; id peſsimū genus,

Senecæ exemplo.

genus,ac teste Cicerone, qui cum iniquissimè agant:id tamẽ ostentare conantur, ut boni existimentur.Iam satis suprà disputatum, neque hoc loco,nec cæteris duobus malorum genera subintelligenda, alioquin continuè in eodẽ pertinaciæ luto uersabitur. Neq; uerò Ciceronis sententiam, una quidem ratione prolatã, torquere decet in aliam,ubi non conuenit. Ad hoc alij alijs rursus ambagibus interpretãtur, Senecam per hoc Aliud,gentilium ritus,quòd Christianam religionem uel ignorarent uel despicerent, intelligi uoluisse, perinde hac uerò ipse Christiani moris extiterit: cæterùm Neronis metu,qui maximè id hominum genus uarijs supplicijs insequeretur, declarare non ausum,sub Christiana tamen religione (postquã Pauli præceptionibus fuisset admonitus) tacitè uictitantem. Quem errorem auxit uaria credulitas epistolarum,quæ Senecæ ad Paulum, Pauli ad Senecã existimantur. Itidem de Boëtio mentiuntur, quem non Christianum solũ, uerùm & in diuorum numero prædicãt:à quo nullum religionis uerbum extat in suis operibus,* nisi alia à se facta mentiantur,quæ ipsi fecere. Sed prædixi, dum quisque iudicio suo præstantius maleficiorum genus inquirit, nullus huius loci modus inuentus est: atqui uel hæc ratiuncula potissimè eos cohibere potuisset.Si enim aliud agentes totam uitæ partem amittunt, in quibus nulla tamen malè agendi mentio à Seneca designatur, quídnam amittere debent utique malè uiuentes? Certè multo plus. ergo multo minus aliud agentes. nam aliud atque aliud boni agi potest, etiam inter

De Offic. li. 1.

* *Eos libros intelligit, qui de duabus naturis in Christo, quomodo Trinitas est unus Deus: & utrum pater, filius & spiritus sanctus de diuinitate substãtialiter prædicentur, Boëtij nomine circunferuntur.*

mala pleraque:nec ſingulis tantum ætatis portionibus,ſed omnibus ferè diebus. In malè autem ſemper agendo (ſic enim intelligendum eſt de malè agentibus) quid boni putaueris? Quas ob res noſtræ profeſsionis erit,ô Gualēge, ut triplices à Seneca præpoſitas humanæ uitæ rationes ipſius ætatis breuitati,iacturęq; temporis, non uitiorum generibus accommodemus.Lachrymabat præ gaudio iamdudum Ioannes ſenior ut puer, ſimul hac clauſula ingentis in Leonellum amoris & admirationis, eius copiam confeſſus dolere uehementiſsimè,rerumque naturam incuſare, quòd nō datum etiam æquali ætate cum tali principe diutius habitare.

LEONELLI IVDICIVM SVPER *breuiloquio Saluſtij ſcientiſsimè, ibidem de Catone Uticenſe quædam inſignia: præcipuè uerò de oratorio modo ſecundum hiſtoricos, in re militari ab urbana conſuetudine differenti: multaq; de Saluſtiana hiſtoricá ue loquendi modeſtia egregiè diſputata.* Pars XIX.

POſtridie nocturno ſydere, ut æſtum caueremus,equitantes ad caſtellum ſeu regale palatium, omnium in Italia pulcherrimum,acceſsimus: ideoque populari uocabulo Belreguardum appellatum, quod Marchio Nicolaus ſic mira celeritate & maxima columnarum & ſcenarum impenſa confecerat. Veterum Romanorum opus. Illuc ex omnibus libris Leonellus Saluſtiū attulerat,minima forma

ma compactum: quē Carolus Nuuolonus obseruās, inter ipsius principis familiares humanissimus, idemq; styli ueteris studiosus, quàm primùm Leonellus ex meridiano somno leuaretur, legendum obtulit: Ecce, inquiēs, qui Romanæ eloquentiæ palmā in historicis primus obtinuit, quiq; ita breui uel succincta oratione discurrit, ut nihil demi posset * ornatius, nihil addi quod auctoris fuisse censeatur. Nam si in stylo productior fortè quibusdam locis appareat, id aut pręceptorum temeritati delictum, aut librariorum inscitiæ designari consueuit: qui circumscriptas sæpè interpositiones, quas glossulas uocant, texturę scriptoris interserūt, ipsam pariter scripturam & alijs corruptionibus contaminantes: inde iuuentus pro iuuenta, tam in alijs auctoribus, ut in hoc, frequentiaque errata deprehenduntur. Placuit Leonello familiaris præfatio. nam sic fuerat uicissim institutum, ut cum libro simul, quem quis ei legendum obtulisset, oratiunculam ederet ad id opus opportunam. Resque eò iam uel politiæ literariæ, uel licentiæ processerat in scenarum morem, ut histrionum iucundissimus Macotas, quamuis illiteratus, orationes tamen assumeret coram Leonello & è græco nonnunquam sermone recitandas. Itaq; Leonellus inquit: Optimè de Salustio sentis Nuuolone, deosque iratos in illos rogo, quicunq; ueterum libros, se bene agere putantes, noua uerborū significatione peruertunt. Neq; enim solum de iuuentute & iuuenta, ut modò dicebas, adulterati loci in Salustio sunt, uerumetiā alijs in sermonibus eius cernuntur errores,

ornatius, uidetur abundare.

ut in

ut in principio legitur Catonianæ orationis: Longè mihi aliena mens eſt: quia ipſe Cato ſe dementiſsimum uel furioſum oſtentare conetur, quòd mente ſit alienata. In hoc dicentem Leonellum Auguſtinus, ex minorum ordine monachus, theologus non indiſertus, ipſius etiam principis familiaris, qui tunc fortè aderat: Nónne is (inquit) Cato, ſeruus eſt, quē pro furioſo mortis genere Vticenſem appellarūt, qui ſpiritum cum corpore edidit? Cui Leonellus, Ipſe eſt. Sed ne ob id tamē peritus arbitretur, tantum uirum Romanę probitatis decus, ſummæq; continentiæ apud ueteres, præcipuum lumen & exemplum in alienatæ mentis iactantiam incidiſſe: nam nec quenquā id de ſeipſo prædicantem, præter inſanum prorſus audias: neque temporum & rerum conueniunt uices, ut nondum regnante Cæſare, quē agebat contra, de conſciſcenda ſibi morte meditaretur. Ad hoc, non id unquam in Catone furibundum ſapientes arbitrati ſunt, etſi pro legis noſtræ conſuetudine damnandū. Quod ſanè ſeuerißimi propoſitū fuiſſe, omnes * poſthac philoſophi probauere pro illorum temporum conditione: atque ideo glorioſum & ſingulare facinus, ut cum cæteri Catonis ipſius fidi comites idem in ſe molirentur, ſua ipſe oratione deterruerit, quòd ei ſoli, utique perpetuò conſtanti, tanta foret aſsignanda commēdatio. Quamobrem locus ipſe de Catone, Alia dici debet, nō Aliena: ſed Cæſaris orationi ſententia longè contraria. His Auguſtinus acquieuit, cæterùm Leonellus pergere: Quin hoc in auctore, ut in cæteris, errores quidam interueniunt,

poſthac, pro, poſtea, uel deinceps.

niunt, tanquam herbæ nocentes, ob librariorum nempe lectorumq; uarietatem, qui legentes alios interdũ negligentius * euadunt, eosdem non errores esse arbitrantes. Solent autẽ in soluta magis oratione, quàm metrica subterfugere. Quanquã & in metro pariter eiusmodi sæpè concurrant, quæ gemino sensu accipi non possunt, quo facilius elabuntur: ut apud Virgilium, Pius an Pater dicat Æneas, nihil intersit, & sensu & numero. Itemque loci cõmutatione duo sæpè conueniunt: ut, Paribus figit uestigia curis. seu, Paribus curis uestigia figit. Huiusmodi autem partes potius quàm errores sola euphoniæ ratione, sermonumque uel dispositione, uel literarum repetitione dignoscuntur. Incidunt quoque in eodem numero & ferè uocum consonantia, sed non pari sensu. ut iuuentus pro eo quod dicendum iuuenta, uel iuuentas, & uersa uice. & ut Iuuenis an ueniens: ut est illud, Qui se, Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat: quod sanè rectius q̃ si iuuenis dixeris, ut quidam inconsideratè legẽtes. Item seu mortem, an Martem, seu matrem in metro dixeris, conuenit, adeò ut & in sensu quoque nunquam, sed apud imperitos. ut illud est de Lauso extincto, Æneaq; commiserante: Hoc tamẽ infelix miseram solabere matrem. sed à plerisque Mortem legitur, putantibus de misera Lausi nece iactatum, quã scientissimus poëta pro Æneę interfectoris magnitudine uult esse gloriosam, ob idq; matrẽ posse consolari, quæ unicè filium diligeret: quam miseram ideo moraliter appellauit, ob maternam solitudinem atq; mœstitiam. Verũ enim in

euadunt, pro, prætereunt.

Aeneid. 6.

Aeneid. 5.

Aeneid. 5.

in soluta oratione,& quidem Salustiana,quoniam de hoc auctore presens est disputatio, ita nonnunquam errores incidunt, ut neq; metri uinculo,quoniam non poëta est, neq; sermonum,sensusq; ordinatione * alioquin accipere possis, q̈ quod in scriptura conspicias. Quod genus est primo Catilinariæ congressu:Postea uerò quàm in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonij & Atheniēses cepere urbes. Videamus obsecro pedetentim. Primò enim hic sermo Cepere,utrouis modo dissoluitur,quamuis penultimam ubiq; cum accētu designes, seu pro eo quod sit inceperunt, siue ceperunt,à uerbo capio,nisi diphthongi quæq; ratione discreueris.Nam si cum œ scriptū, tunc pro inceperūt: * si cum æ,à uerbo capio ducetur. Sequitur uerò,Atq; nationes subigere: quem quidem sermonem ut infinitiui modi sit oportebit, si cœpere cum œ,non cæpere cum æ legetur.Quòd si cum æ potius, necesse est pariter id subegere cum prima e,non i tertio loco, preteriti tēporis,pluralisq; numeri suscipiēdum. Ad hoc cæteri qui sequuntur in hac oratione sermones,infinitiuo modo positi:ut,Libidinem dominādi causam habere, maximam gloriam in maximo imperio putare: aut ità accipiēdi sunt cum infinitiua penitus significatione, aut frequenti more Salustiano, ut sit habere, pro habebant, putare pro putabant, quemadmodū primos illos sermones cepere,& subigere terminaueris. nam clausula quæ sequitur, Tum demum periculo atque negocijs compertum est,in bello plurimum ingenium posse, utriq; sententiæ pariter accommodabitur. Sed uide aliud

alioquin, pro aliter, uel secus.

Hodie cepi à capio, nemo cum diphthongo scribit.

aliud hoc loco uariabile. Sunt enim qui legāt, Libidinē dominandi causam belli habere ceperunt, ut in alijs uidi libris. Quanquam superfluum appareat respectu primæ expositionis cepere, si pro acceperunt acceperis: rhetorico tamen non abhorret artificio. ut si diceres: Qui socias ciuitates subigere incipiunt, simul dominationem aut tyrannidem exercere incipiunt. hec superfluum uideatur, imò & à Terentio susceptum. ut, Qui cum hunc accusant, Plautum, Ennium accusant. qui dicendi modus in similiter cadendo dicendoque terminatur. Cæterùm ad alia huius auctoris accedamus, quem probè dixisti Carole, breuiloquio in narratione uti. Quòd autē breuius & strictius quàm reliqui historici, ut plerique uolunt, breuioresq; fecerit orationes, ac sanè multo cōtractiores quàm Tullius suas, ita ut nihil sententiarum aut uerborum demi posit: non idem ego consentio, tametsi breuiter eloquatur. potuere siquidem Salustianæ historiæ, hæ scilicet, quæ adhuc habentur, quoniam de inuiso præstare iudicium non possumus, ad contractiorem quendam dicendi modum redigi, præsertimq; ut à Iustino uel reliquis eius generis comprehensum. Nam si à Liuio Romanæ historiæ penitus, quemadmodum Salustius suas scripsit, præcipuè Catilinariam, ita passim describendę fuerant, non triginta Decades (ut arbitror) excepissent. Itaq; quòd subiunxeris, ne in Salustio quidem addi posse, quod auctoris, sed librarij culpa factum arguatur, ad eius styli elegantiam & correctionem pertinet, quę tamen sententiarum ubertate non uacat:

non

non autem ad insignem numerandi breuitatem, cum unum alteri repugnet. nam ubi sententiarum copia est, nō potest narrationis summaria breuitas apparere. Quòd si in numeroso cygnorum agmine instrepentem anserem fortè sentires, non ob id exiguam bonarum auiũ congregationé, sed malè sonantem superfluentemq; dijudices: ita si de Virgilio librum aut uersus abstuleris, sententiarum pariter aut rerum ordo damnabitur, cum sanè potuerit Æneæ descriptio in Italiam uenientis ab auctore suo minore uolumine comprehendi. Quãobrem dum Crispus dixerit, Is demum mihi uiuere atque anima frui uidetur: sunt qui putant ipsum alterutrum (salua scriptoris auctoritate, sententiæque grauitate) subtrahi posse.
Aeneid.1. Quale & illud est in Marone, Quem si fata seruant, si uescitur aura Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris: eadem sanè sensus repetitione, quam græcorum more suscipimus, siquidem illi Tautologiam appellant: qua quidem figura tanquam necessaria iucundaque, ut oratores, sic & poëtæ gaudent. Ergo Salustius non breuissimè, sed inter se floridè, coniunctè, copiose, & Romano more familiarius inter cæteros procedit historicos. nec enim ex Latinis habemus, qui ex utroque politiæ auctoritatisque genere præstet, eodem uidelicet uetustiore & elegantiore. Quo facilius creditũ est ab eodem aliosq; alijs ipsum historicos, in conficiendis præsertim orationibus exempla sumpsisse, ut in scribenda bibliOplethi aliàs attigisse memini. Sed ad breuitatis seriem rursus accedo, Qui nunc Carole. ab omnibus ferè

nostra ætate doctißimus iudicaris, hoc in historico extolli te uidemus. Duplex quippe breuitatis genus, quantum ego percepi, in una orationis clausula sub uno regente uerbo pleraque sunt comprehendenda, quæ alij duobus uel pluribus regentibus uerbis impolitius extendunt. In quo breuitatis genere sunt hic, & omnes ferè ueterum historici. Nam Liuius inquit de Tarquinio Prisco, Hæc eum haud falsa memorantem populus Romanus regnare iussit. Diceret imperitus: Hæc cum ille haud falsa memoraret, populus Romanus eum regnare iußit. Sicq; duo regentia uerba, duoq; pronomina, cum superius singula sufficiant, suffragante participio pro uerbo, ac frequenti more græcorum. Itaq; & Crispus in hoc politiori genere uersatur: ut, Eosq; perturbatos alios alibi resistentes interficit. nõ dixit, Et cum ij, uel qui perturbati essent, alibi alios resisterent, eos interficit, uel ab eo interficiuntur. Et illud: Manlius & Fesulanus in primis pugnantes cadunt (uel simile) ibiq; pugnans confoditur. quę sanè elegantiora quàm si dixeris: Cum Manlius & Fesulanus in primis pugnarent, cadunt: &, Catilina cum pugnaret, confoditur, uel cõfossus est. eoq; in genere breuiter dictum apparet. Animi imperio corporis seruitio magis utimur: non ut ludimagistri explicant, quòd unũ altero magis utamur, scilicet corporis seruitio: sed æquè magis alterutro cum uelimus utimur, quòd imperium ad animum, seruitium ad corpus magis attinet, ideoq; quibus contra naturã corpus uoluptati fuit, anima oneri. Sed illud manifestius, Omnis nostra uis in animo

Lib. 1.

De cõiuratione Catilinaria.

& corpore sita est. Simile & illud Ciceronis in Officijs: Quo plus boni, quàm illinc mali lucre ris. & sanè multa sunt in eo genere uetustissi- ma, dictuq; perbreuia. In hoc etiam Virgilius sæpè quod pulcherrimum est præter historicã rationem: ut, Submersasq; obrue puppes. &, Raptas fugientibus ingerit hastas. complura siquidem negocia, actáue diuersa uno regente uerbo concluduntur. In qua breuitate præstã- tiores nostris sunt Græci, qui totidem ferè tẽ- porum participia habent, nactiq; insuper aori- storum uolubilitatem, & uariam uerborũ con iugationem, ut nullo pacto à nostris eorũ scri- pta ita breuiter multis in locis traduci pos- sint: contrà, nos sæpè breuius transferimus, q̃ ipsi descripserunt. Sed de hoc primo loco sa- tis. Alterum breuitatis genus est, cum non pau cis orationis partibus, uti modò exẽpla mon- strauimus, sed pluribus alijs atq; alijs senten- tiæ naturales & graues ingeruntur, per se ipsæ quidem breuissimæ, sed contextæ: productio rem tamen efficiunt orationem, nec minus iu cundam, atq; breuitatis aspectu, quòd audito- rum animos mulceat lacteo tanquam fonte decurrens, nec tædium usquam pariat narra- tionis. In quo quidẽ artificio Salustius est po- litissimus, ideoq; frequentior, quare exempla afferri non oportet. Totus ferè in hoc genere uersatur: seriatim nanque succedens, & mitis, inde uelut in campo suo fructifero florigeroq; passim uagatur, hinc inde distribuens, inserẽs, colligens, computans ut studiosus agricola, a- lias quidem claudens firmansque sententias, tanquam doctissima Pallas in textura lanifi- cij,

Aeneid.1. *Lib.9.*

eij, aut ſedula apis in cellularum ædificatione, uel aranea in telæ protenſione diſcurrens: alias autem ab eodem nodo rurſus exordiens, atque deducens ad alia filorum capita, quæ ſanè paucioribus uerbis atque ſententijs includi potuiſſent. In hoc genere eſt & Plinius minor quibuſdam electioribus epiſtolis, & libro de Viris illuſtribus, & in primis de Traiani laudibus accipio: niſi quòd hic Romanam penitus, alter tanquam Romanæ linguę ſtudioſus incola, paulo remotioris præ ſe fert gentis conſuetudinem. In eodem & Quintialianus diſertiſsimus in declamationibus. & hoc dicendi genus copioſum eſt, ut de Saluſtio iam dixi, emendatum, pictum, artificioſum ſimul & naturale, ut in fornicibus lapideis, quos natura manu ſua elaborauit: ſic & loricatum, cõtinuum, ſolidum, intextum, & ſucci plenum ſtylum appellabimus. Aduertimus tamen nonnullos ex hiſtoricis quaſdam particulas (ſunt uerò perpaucæ) apud Saluſtium abhorruiſſe, quas rariſsimè imitati ſunt: ut, Verũ enimuero. quanquã à Græcis id accepit tribus ſyllabis, ut nos tribus pariter dictionibus eam adfirmationẽ terminantibus: ut, μἒντώγε, ſeu mentoge. Quinetiam Enimuero tribus exponũt: ut, πϗδήγε, ſeu pudege. & fuere ea tempeſtate qui dicerent ac totiens infinitiuè terminata uerba, ponere pro uerbis tertiã perſonã indicantibus, græcè tamen: nec non à Græcis figurata loquutio deſumpta. ut, Eſt locus in carcere, quod Tullianũ appellatur. nec maſculinis neutra, ſed fœmineo quoque genere iunguntur. Dicerẽt enim ipſi, ἔσω τῆς αὐλῆς ἐστὶ πραιτώριον: ſcilicet, Intra aulã,

quod est prætorium. nec in generibus solum à ueterum præstantissimis, sed casibus etiam sæpè ista ponitur figurata loquutio, ut: Quas credis esse has, non sunt ueræ nuptiæ. Et, Vrbem quam statuo, uestra est: ac in eodem ferè genere: Cui Remulo cognomen erat. Cæterũ uisi sunt eiusmodi sermones quibusdam partim pinguiores, partim peregrini, magis autẽ Comico stylo cõuenientiores, ut in Liuio, Præterquam quòd. Sed nullum corpus tam uenustum est, quod næuo careat: propriè tamen & naturaliter Salustius eloquitur, ut in acerba materia crudelique. Adde uerò pulcherrimũ, cum apud eundem nonnullę partes largius editæ sint: si eas corripueris, iucunditatis gratiã amiserint, ueluti flosculi folium demiseris, & arefactum abieceris. ut, Quem quisque locum sibi pugnando ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Certè hoc ornatius quàm breuius est loquendi genus: nõ quòd correctius uisum, sed minori cum uoluptate eum mortuus uel defunctus tegebat. Ac multa sunt huiusmodi in hoc auctore delectantia, largiori eademque gratiori filo deducta. Quibus quidem rationibus minus admirandũ, Salustianas orationes alijs aliorum historicorũ orationibus, ac multo quàm Tulliano more breuiores apparere. Primùm, quòd in simplici parui operis historia non extentis admodum, uti decet orationibus, in prologis aliquanto largior est, idemque grauissimus: deinde, quia longè alia ratio est historicè scribentis, orationesq; operi suo conserẽtis. atqui nullo proposito opere singulares edat orationes, cuius generis sunt Tullia-

Terent. Andr.

Virgil. Aeneidos 1.

Idem libro 9.

In coniur. Catilinaria.

Tullianæ, oratorumque græcorum, in quibus multa exacti temporis negocia seriosius recensere, fortè circunstantibus incognita: eaq; per uerborum & sententiarum colores, per quos omnes amplificationis & exornationis locos extendere, & exclamationibus sæpè uti licet. Quibus argumentis sermonem ab oratione differre uoluerunt, licet græci uno sæpè Logi uocabulo utrunque genus accipiant. At historico non licet, quod iamdudum in ipso opere quæ facta sunt, quæque insequuntur demonstrant, de quorum ueluti fontibus suæ inundant orationes. En apud Liuium orans Hannibal coram Scipione sic incipit: Si ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quique totiens propè in manibus uictoriam habui. Videtis iam cuiusmodi principium sit, & reliqua eius deliberationis concordant. pendet enim hic sermo totus ex antè factis: quæ quoniam in opere satis monstrata sunt, non oportuit scriptorem aliquod exordium inferre, quo magis attentum ad audiendum maximè circunstantijs, animum faceret. Eodem pacto ac breuiori oratione Scipio, cũ hæc ab altera dependeat: Nõ me fallebat Hannibal, aduentus tui sæpè Carthaginienses, & præsentem induciarum fidem, & spem pacis turbasse: neque id tu sanè dissimulas, qui de superioribus pacis conditionibus omnia subtrahis, præter ea quæ iampridem in nostra potestate sunt. Quid plura? Hæc ita Scipio commemorat, ut de præteritis magis quàm de instantibus, nec interea tamen enarratio sentiatur. Ita neq; Salustio uisum in ea Catilinæ ora-

Decad. 3, lib. 10.

tione, quæ secreto conclaui apud socios habita, omnia eadem de Romanæ nobilitatis impotentia ac dominatione recensere, quæ satis in libri principio monstrata fuerant, usque ad eam partem: In tanta itaq; & tam corrupta ciuitate Catilina existimans id, quod factu facillimum erat. Quandoquidem dicendi uel modestiam, uel ordinationem, à poëtis sæpè optimis seruari dixi, præcipueq; Terentio & Virgilio, ne eadem frustra repeterent, quæ suprà forent declarata: quin à medijs interdum exordiuntur, in ipsam narrationem rerum principia conferentes. Cui quidem dispositioni Tullius non stetit, præcepta dans in conficiendis ad Herennium orationibus, cum aut fessi audiendo, aut alienati fuerint auditorum animi, ubi nonnunquam duabus tantum partibus, interdum tribus aut quatuor, suum opus esse contendit. Sed de historicorum ratione nobis quæstio, quibus non eadẽ orandi licentia: nec opportunitas in exercitu datur, qua in re forẽsi ciuiliq; magnificentia conueniat, sicut nõ eadem uestis habitationisq; uictus utriq; sit generi consuetudo. Hinc est quòd eiusmodi orationes, ut apud Liuium de Fabio Scipioneque contendentibus paulo extensiores quàm cæteræ uisæ: quoniam non tanquam in exercitu, tametsi de militari deliberatione, sed in urbe, curiaq; Romana proferuntur. Sic & largiores aliquantum apud Curtium Philotæ, Amyntę, Hermolaiue purgationes, quæ in iudiciali genere non pro militari more sint dictæ. Reliquum est in historico uel notabile, uel certè mirandum, ipsum historiarum genus, ingressumque

Vide Salustiũ, nam aliter habet.

Decad. 3. li. 9.

umque Satyrico uel Tragœdo aptiſsimè con ueniens. Quòd ſi alias etiam hiſtorias ſcripſe rit, carent, ut dixi, iudicio. Videtis ſiquidem ut totus in reprehendendis enumerandisque mortalium uitijs inſiſtat: quæ crudelitatis genera, quas cædes, incendia, rapinas, inſidias, uel talium ſcelerum flagitia, quæ conſilia perſequatur. nam quæcunque ad Catilinæ Iugur thæque mores pertinent, eadem ad proditores omnes, latrones, parricidas, ſicarios, & quidem factioſos homines ſpectare ſentimus. Ita nullus ferè Cynicorum aut Satyricorum eſt, qui mordacius auaritiam, ſuperbiam, ambitionem, & nobilitatis dominationem perſequatur: quo fit, ut etiam mirabilius ſit, quòd fortè quæri oppoſitũ appareret. Nam ut alius optimum uirorũ de Repub. & patriæ ſalute benemerenté induceret, alius flagitioſorũ ſcelera damnantem, uti poëta modeſtiſsimus: Tum pietate grauem ac meritis ſi fortè uirum quẽ Conſpexere, ſilent. &, Ille regit dictis animos, & pectora mulcet: hic potius in eis deteſtãdis artibus inſtructos appoſuit, utiq; in malè dicẽdi, maleq; agitandi facultate peritiores, de omnibus uitijs apud peſsimum quodq; genus hominum orationem habituros, quorum alterutrum *improbitates, agerentur. Deniq; cũ huius hiſtorici proniorem in malorũ caſtigatione doctrinam ueteres aduertiſſent, nõ niſi ob ſtyli duntaxat politiam adoleſcentibus legendum inſtituerũt. Vt quemadmodum parẽtes liberos iuniores interdum ſolent ad publica rerũ ſupplicia deducere, quo eorũ ſpectaculo territi, in memoriã euitandi flagitij cõponant:

Aeneid. lib. 1.

forte, improbantes.

sic huius auctoris admonitoria lectione instituti, meditentur in quanta prius morum seueritate Romani, legum obseruantia, uirtutum æmulatione degentes, ad tantum breui imperium peruenissent: quanta postmodum scelerum inquinatione tabefacti de rerum culmine cecidissent: hoc est, de ipsa gestorum magnificentia, per quæ non tam tota continuò res ad inopiam cōuerti potuit, quàm imperij ruinam per singulos dies imminentem, euenturamque prospicerent: quorum uti princeps & dux Catilina debita pœnis exempla demonstrasset. Itidem de Iugurthæ conditione dijudicatum. Atqui adolescentium longè aliud consilium est, non quidem ut malè agere doceantur, néue patriæ fiant proditores: sed nullum ferè eius ætatis uideris discipulum, qui non Catilinæ libentius ac Cæsaris, quàm Ciceronis, uel Catonis partibus adhæreat. Cupiunt enim adolescentuli quæ noua, periculosa, temerariaque sunt: grauia fugiunt, honestaque consilia. Ita illorum magis internecionem imitantur, quàm istorum probitates laudibus tollunt. Verùm hæc puerorum inania sint rerum nouitate delectantium, & quæ magis in malum uertant, uti nomina quoque propria uirorum in Salustio pro fabulis habent, risibus, & Ciceronem, Portium, Leccam, Bestiam, & id genus: quando prouectiores effecti, tum demum ab historico optimè consuli iudicioq; consentiant. Hæc sunt quę de Salustio breuibus censeo.

PER

PER EVNDEM LEONELLVM, ET *in eodem historico, Liuioq́; quid sit, Pedibus in sentētiā ire: demum, quo modo præfationis initium accipiendum, Omnes homines, qui sese student præstare cæteris * animalibus: ac de quibusdam in Salustio partibus uariè interpretatis.*

Animantibus legitur apud Salustium.

Pars XX.

ITa præparatis iamdudum uenatorijs canibus auibusq́; ad aucupia, exeuntem è cubiculo Leonellum, ac inter equitandum per contati fuimus. Ego primus: Ac iam tempus, est, ô Carole, ut dixi, principem interrogemus, quid ea pars in Salustio uelit, de qua mecum sę pè disputasti, sententiæ* mirè acquiescens. Tū Leonellus: Quid nam rixæ uobiscum, quid sonet, inquam, in Salustio, Pedibus in sentētiam ire? Constat enim mihi in Catilinaria coniuratione Decium Syllanum permotum oratione Cæsaris de seruandis coniuratis, se in Tyb. Neronis sententiam pedibus iturum. Variè quidem hunc locum interpretantur: Decium nēpe in sententiam pedibus iturum, utiq; etiam gestu motuq́; pedum confirmaturum, quod ego potius crediderim. At contrà uelut scilicet conculcaturum pedibus, siue confutaturum, alij pedibus fortè dictum, quòd de ea re tragicè, idemq́; metricè foret describēdum, cum pedes pro numeris sæpè uel uersibus accipiantur. & id quoq; ambiguum, pro Nerone, an cōtra eum edidisset. hinc sententiam tuam princeps noster expectamus. Tūc Leonellus: Quin etiam apud Liuium hoc modo pedibus in sen

Fortè, meæ

tentiam ire legitur, cum de accepta Cannensi clade cõsuleret Romani his ferè uerbis, ut memini (sed repetẽdum est paulo altius) Fabius maximus censuit equites expeditos & Appia & Latina uia mittendos, qui obuiam euntes percontarẽtur aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos: fortè referant, quæ fortuna cõsulum atq; exercituum sit, & si quid dij mortales miserti, imperium reliquum Romano nomini fecerunt: ubi eæ copiæ sint, quò se Hannibal post prælium contulerit, quid paret, quid agat, acturusq́; sit: hęc exploranda noscendaq́; per impigros iuuenes esse, illud per patres ipsos agendum, ut tumultum ac trepidationem in urbe tollant, matronas publico arceant, contineriq́; intra suum quamq; limen cogant, cõploratus familiarum coerceant, silentium per urbem faciant, nuncios rerum omnium ad prętores deducendos curent, suæ quisq; fortunæ domi auctorẽ expectet: custodes præterea ad portas ponant, qui prohibeant quemq; egredi urbe, cogantq́; homines nullam, nisi urbe ac mœnibus saluis, salutem sperare: ubi conticuerit ritè tumultus, tum in curiam patres reuocãdos, consulendumq́; de urbis custodia esse. Cũ in hanc sententiam pedibus omnes issent, summotaq́; foro per magistratus turba patres diuersi ad sedandos tumultus discessissent, tum demũ literæ à Terentio Cos. allatæ sunt. Hæc Liuius. quæ ideo longiora retuli, ut clarius liqueret, pedibus ire, pro sententia esse, nõ cõtra quã haud dubiè ac apud Salustiũ pro sentẽtia ponitur. nã D. Syllanus permotus est, hoc est, turbatus oratione Cæsaris, aliqui fortè nõ turbatum

Dec. 3. libr. 2. ubi etiam quædam paulo secus quàm hic leguntur.

batum pro cõmoto, ſed uelut admiratum acceperint, ita ut Cæſaris ſententiã tũc mallet, quã antea fortaſſe, ut in re tumultuaria fortaſſe reprobaſſet. Sed turbatum Syllanum ego potius accipio, qui Neronis ſententiam dixit maluiſſe, quæ mox Catonis auctoritate firmata. nã ante habitas orationes ſatis conuenit, alios in Cæſaris, alios in Catonis uoluntate conſtitiſſe. Cæterùm prodita Catonis oratione, nulla certè in eum neque ſententiæ ſuæ fautores diſceſsio uiſa: quod à Plinio nepote eodem pacto accipi cenſeo, dum Apollinari cuidã ſcribit in epiſtolis: Cum diſceſsio fieret, qui ſellis conſulum aſtiterant, in Cornuti ſentẽtiam ſe receperunt. non de pedibus addit, ſed profectò cõſtabat illius Cornuti ſententiã eorum aſſenſu communitã: ergo pedibus, ueluti fauore propitio, dictum. Quod & uulgò prædicari ſolet, cum quid uſitati iuris extat, & protinus expediendum, id pedibus ſuis ambulare, hoc eſt, cõſueto iure procedere. Eodemq; tenore Terentium in Phormione dixiſſe, In ius ambula: quod nihil differt à pedum officio. nec poëtæ ab hoc intellectu diſſentiunt, uti Virgilius: Tua dexter adi pede ſacra ſecundo. Et Iuuenalis: Quid tam dextro pede concutis, ut te Conatus non pœniteat? Aliam & huius loci, quæ nunc mihi minus placet, memini quondam audiſſe ſententiam, qua ſenatorum concilium à forenſi more diſtingueretur. Solere nanque in foro, iudicialique tumultu, non uocibus ſolum, ſed impudentius etiam omni motu corporum, & ſtrepitu & loco mutari, ſi quid fortè exultantius à ſentiendo, uti modò pro

Syllano,

Syllano,acceptumq; Neronianæ ſententiæ fa
ueret,aut iracundius aduerſando agitur: ut in
terdum contrariæ partis libelli,eodem atteſtā
te Plinio,manibus abſtorti ſint,pedibusq; con
triti:quod eſt non pedibus ire, ſed ut græci di
cunt uno ſermone,ἱμπεσαν, id eſt, pedibus ſter-
nere. Quod genus ferè à Curtio monſtra-
tur ſtudio militari, cum Nearchi ſententia,
haſtis ad clypeos incuſsis Macedones obſtre
perent.In curia non idem fieri conſuetum,niſi
perrarò,ut fortè Catilinæ contigit orante Tul
lio,cum è ſenatu non ſermonibus tantum,ue-
rumetiam pedum ſtrepitu eijceretur. Idem de
Syllano pleriq;,& hic fortè Carolus,intelligē-
dum uoluerunt,uelut è ſenatu iracundia perci
tum Neronianæ ſententiæ pedum impetu ob
uiaturum,quod contrarium eſſet hiſtoriæ.Per
contāti rurſus ex Saluſtio præfationis initium
admirabundi fuimus,hunc adeò ſubtiliſsimū,
tum breuitatis amatorē hiſtoricum, apud om
nes homines acquirendæ famæ præcepta me
ditantem,quæ uix credat intra ſolius Italiæ li
mites contineri poſſe:an tot enim innumera-
biles,quas uniuerſi orbis ambitus gentes ha-
bet,ita admonendas Saluſtius cogitaret, ut ui
tam non ſilentio tranſeuntes,uendicandæ ſibi
poſteritatis uias inuenirent.nam cum quiſque
certè beluis ſe corporis habitu præſtare noue-
rit,nullius ab hiſtorico fieri hominis exceptio
nem.Rurſus cum inter mortales quædam eſ-
ſent moribus perinde ac ferarum genera,ſic a-
deò incompto,horrido, barbaro deniq: uiuen
di ritu,ut ipſæ feræ ſolent,quarum etiam ij cru
da carne ueſcuntur: non uideretur cur eis ho-
minibus

minibus (nisi tales fortè non homines, sed bestias esse cõstaret) hæc essent philosophica pręcepta cõferenda: ex nostris autem utiq; humano cultu uitam agentibus, qui sese animantibus cæteris pręstare putant, cum maxima pars sit uilibus intenta ministerijs: nec illi quoque hominum generi, utiq; rudi semper, indocto populariq; studio uictitanti, Salustianas conducere orationes. Quónam igitur pacto, quóue consilio dictum extaret: Omnes homines, qui sese præstare student cæteris animalibus, summa ope niti decet, ne uitam silentio transigant: nisi crederetur aliud decere, aliud opus esse: ut quod fieri nequeat ab hominibus, omnes tamen decere fateamur, si id à cunctis fieri potuisset. Quemadmodum eum quoq; philosophum, qui piscator uel agricola sit, non dedecori reputandum. At Leonellus miti uultu subridens: Quàm bene (inquit) ô iuuenes, nostræ tempestatis mortalium genus indicastis humano utiq; cultu uiuentium, cæterùm sese credentium, non autem studentiũ cæteris præstare animalibus. Videtis nempe factam euestigiò descretionem, quamuis, Omnes homines, dixerit, qui sese præstare student. Enimuero quotusquisq; uulgarium, uel parui animi, uel corporis homuncio se cæteris non præstare putat? id re tamen efficiens, ut ne formicæ quidem sedulitate sit comparandus. nam qui tandem nihil operæprecium facit, quod fama dignum (ut enim uisum historico) uel de quo post obitum homines bene senserint, hunc etiam uiuentem ne à muscæ quidem cadauere differre putes? Quid autem Pythagoras ille, si nunc

nunc adesset? nónne exclamet, Ecquid pecorũ cadauera censeo, ab eiusmodi hominum genere longè præstare, cum ea mensibus aliquot in alimenta sufficiant, ij neque uiui sibijpsis, neq; mortui alijs prosint? Non etiam ille Diogenes exclamet: Hominibus dũtaxat dico, nõ uobis, qui non estis homines? Quamobrem uelim intelligatis, optimi uiri, à Salustio id tantum omne hominum genus cõprehensum, qui sese uirtutis officio cæteris student præstare animalibus: nec animalibus solum brutis, uerumetiã loquentibus. hinc Terentianum est, Homo homini quid præstat. Omnes enim genere (ut logici dicunt) animalia sumus: cæterùm brutis prȩstare tantisper dum uiuimus, exiguum est. At quónam igitur pacto ijdem à Salustio præstare dicuntur? nempe non uirtute aliqua insigni, sed potentia, diuitijs, uiolentia, rerum omnium cupiditate & copia. Quippe cum Salustiana tempestate plurimi in urbe forent (nam ad eos potissimum scribit historicus) ac nobili genere præstantes, qui uoluptati inertiæq; uacarent, iam inclinante Republ. & ipsi inquinatiores effecti: eosdem admonere contendit, ut quemadmodum cæteris præstare molirentur, ueste scilicet, comitatu, ædificijs, supellectile, & epularum pompa, quæ omnia Salustius sicuti pecorum uult uentris esse seruitia: sic sese ad probabilis uitæ genus componant, summa ope nitentes, ne uitam silentio transigant, quin post exitum de eis fama longæuæ posteritatis exuperet. ad quȩ utinam nos quoq; peruenire posimus, ut quæ nunc à nobis uiuendi præcepta exquisitè disputata sunt, eadem om-

nis

nis ætas dignis laudibus æmuletur.

EXPOSITIO PARTICVLAE TErentij, *Spectandæ sint uobis prius, alio pacto per insignem Leonellum edita, quàm solet intelligi: ibidemque de recitandarum scenarum moderatione, partim secundum, partim contra Donati sententiam.*

Pars XXI.

SIc paucis diebus uenatorio studio literarioq; peractis, Ferrariã regressi sumus: ibi tunc Romana curia Egenio quarto adstãte pontifice, ibi Florentinorum legati nobilissimi, nobiscum aliquando hoc in politię genere decertantes. Cæterùm ex nostris Ioannes Gualengus, licet æuo maturior, matutinus tamen accesserat, Leonellum principem ad ficus biferas, ex uireto suo quàm pulcherrimo decerpendas inuitaturus (erãt enim pręcoques) porrò dies festiuissimus, liquidissimusque celeberrimo Ioanni baptistæ dicatus. Itaque uiso repentè sacrificio, mox captandi roris studio, ut eius diei mane summo ritus est, & nouellæ frugis auiditate, principem frequentiores secuti sumus. Verùm enim irroratio ea nõ pro uulgari fuit consuetudine, sed ex aquæ rore, ac ex decoctione, quam in argenteo labro Ioannes ipse sub dio per noctem medias inter herbas omiserat. Eo uase complexo senior, Leonelli sacros uultus, & omnium ora, uestemque conspersit. Depopulata mox fruge in Ioãnis bibliothecam ascendimus, cuius ipse pauimentum & libros albis purpureisque floribus

ribus instrauerat, quos græco tritoq; uocabulo caryophillos appellamus, gratiam & amorem odore miro redolentes. Ipse uerò Gualengus, ut Terentij studiosus, eius librum Leonello ostentans: Dic oro Leonelle, ambagum interpres, huiusce literariæ politiæ inuentor, inceptor & perfector, quid nam tandē rei in hoc Comici exordio suscipiā? Posthac quas faciet de integro comœdias, spectandæ an exigendę sint uobis prius. Audio nāq; nonnullos, & quidem doctissimos, uicissim dissentire, qui partim à Donato expositionem acceperint, de expulsione scilicet comœdiarum, partim abs te alio modo dijudicatum attestarentur. At Leonellus, Quæ nam sententia tua? Ille itidem: Vt compluribus placere cognoui, nisi te prius audierimus: exigendas, hoc est, expellendas: & sępè apud Liuium, iurisq; ciuilis libros, de exactis urbe regibus mentio est. Cui Feltrinus illudens, Rectissimè sentis Ioannes, uti modò biferas admonuisti duriores & immaturas adhuc à mitioribus reijciēdas. nam morem fuisse dicitur, aut bonas spectari comœdias, aut odiosas de scenis expelli. Ad quos Leonellus: Non idem mihi uisum, tametsi hanc nouerim plurimorum esse sententiam. enimuero uti aliàs disputaui, quem dabitis histrionem seu comœdiæ recitatoré de scenaculo prius eiectum quàm fabulam ederet? Nempe hic quæstio est, spectandæ ne prius forent an exigendæ fabulæ. Quomodo enim comœdia suo loco & tempore recitanda, prius expelli potuit quàm spectari à populo, gesticulariq; ab histrionibus? quod non uideri solum significat, uerum etiam probari.

Scenaculum, à scena, pro loco in quo comœdia agere tur: ut à cœna cœnaculū, ab umbra, umbraculum.

probari.nam ſpectandum idem, ut probandũ eſt.Quibus in ſcenam prodire non liceret ſine præconis tibicinumq; uociferatione prius edita, deniq; ſine ædilium conſulto, admittentibus curulibus. In quorum apparatus expeditione præludia quædam, ſeu græcè progymnaſmata, eaq; leuium hiſtrionum & uulgarium mimorũ,interueniebant, qui exiguo quæſtu populum allicerent. & hoc genus expelli ſolitum.Non prçterea duas ſeu plures eodem ſcenaculo comœdias recitari moris fuit: hoc eſt,eodem ferè tempore, ut aliæ alijs pulſæ cõcederent.Quarum ſi quæpiam aliquando eiecta fuiſſet, quem poëtam deinceps eandem inferre auſum exiſtimatis? ſine cuius contumelia & notatione id perpetrari non poſſet. Hic Ioannes intercipiẽs:Fortaſſe id Prius (inquit) non pro tẽporali aduerbio,ſed electiuo,ut pro potius dictũ poëta uoluerit,ô Leonelle, à quo aliàs audiuimus ſic ex Marone compoſitum: ut,Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat,Antè pudor quàm te uiolem. Quod ſi ſic accipiendum,omnis hic ceſſat de anteriori tẽpore diſputatio.Cui Leonellus: Nihilominus eodem ſpectat intentio, ſi potius expellendæ forent an ſpectandæ comœdiæ.Nam ſi potiſſimum fuit quaſdam expelli comœdias,non audiebantur igitur, & neq; ſpectabantur. Quæ res ita populo Romano contumeliæ cederet, ut poëtæ,cui placere ſtuduit Terentius ſuas recitando fabulas.Veruntamen hanc aduerbiorum ſimilitudinem,ut nuper intuliſti de Potius & Prius, placet diligentius inquirere, primumq; fateri eum Virgilij locum pro potius, *Aen.lib.4.*

uel melius, uel rectius, aut magis intelligendū, quòd huius sermonis sensus pro antè accipi nequeat in sequente uersu, Antè pudor quàm te uiolem. Cæterùm poëta græcorum uoce delectatus, sic ideo posuit, cum ipsi ita πρὶν, quemadmodū μᾶλλον pro potius, uel imò uel magis exponant, & πρινὴ pro priusquam: quæ res meum locū aggerat. Et sanè de aduerbijs non maior inter nos & grecos æqualitas, quàm in hac significatione. nam quemadmodum nos primùm uel antè pro potius, prius, imò & magis accipimus, & ipsi uicissim pro pris, priso, proto, proteron & proton æquè pro primùm, secundum Homerū, à quo πρῶτος pariter pro eo, qui primus sit, dictum accipitur. Quanquam in horum descriptione sermonum, si græcè describendum sit, accentus potissimè consideratur, ubi o paruum, magnumúe sit apponendum. Quibus rationibus Terétium arbitramur hoc in loco prius pro antè posuisse, ut frequens apud Latinos est usus. ergo persequendum: neque enim Hecyra, quę aliquando plebeis intercedentibus ludis *offensa est, eiecta fuit uel ex acta, sed imperfecta recitatione substitit. Ad hoc non ipsius Terentij ante Hecyram latinè conditam aliqua propulsa fuit à populo Romano comœdia, ne dum Andria, quæ prima fuerit: nō etiam æmulorum ipsius, qui pariter ex Menandro fabulas ederent, népe apud multitudinem nouitatis & ludorum studiosam omnigenum fabulas acceperūt. Sed alias alijs *magis fauoribus & studijs. nam quæ sæpè pluribus fabulæ minus placerent è proscenio recedentibus, alijs in orchestra præstantibus

Offensa pro læsa, & interrupta siue impedita.

Forte, magnis.

gratiores

gratiores extiterunt. Quemadmodum in publicis concionibus sæpè uidemus plerosque superuenire, alios autem imperfecta concione discedere: sic etiam in comœdiarum actionibus aliquos fuisse concedimus, quibus prologus atq; protasis, ut Donatus annumerat, placerent tantum: alios autem qui epitasin, cæteros qui etiam catastrophen, & usq; ad Plaudite (ut aiunt) expectarent. Inde est à Cicerone de Officijs prudenter appositum, apud scenicos commendandarum fabularum curam fuisse. Quando Antiopam, aut Clytæmnestram (sic enim has uocat Homerus, & unam Æsopi filiam, alteram dolosam, ob mariti * internectionem) & quando Aiacem à quibusque recitari conueniret. eæ autem sunt tragœdiæ. Tanta adeò fuit ab antiquis sua pro cuiusque rei dignitate compositio, quam nos nunc politiam appellamus, ut etiam comperti sint, qui Bucolica suaderent, uerno præsertim tempore, aut si feruenti æstate, inter pascua tamen, & arboreis cicadis obstrepentes, iuxtaque riuos & fontes amœnos palustri & sylua cum dulci susurro perlabentes, adhoc à iuuenibus nescio quo pacto, eisque cantantibus diligentius recitanda. Quamobrem scientius apparet, hanc eis prologi partiunculam pro quotidiano more suscipiendam, magis ut exigendas Comici fabulas, hoc est, postulandas, exoluendasque, non autem sicut expellendas accipiamus. Dicimus pariter rem exigi, quæ frequenter studioseque postulatur: unde Plinius in prima epistola, Frequenter exigis. Et exigi, dum precium pro re persoluitur:

Internectionē, pro interitu usurpauit.

quod eſt à uendentis poteſtate diſſolui, & in alterum tranſigi,compleri,finiri.Proinde recitator in Terentij perſona cum bonas polliceretur ſe daturum comœdias, ad hanc primam Andriam diligenter inſpectandam populum inuitat.Cæterùm huiuſmodi ſpectationem apud Comicos duplicem fuiſſe comprehendo. unam,ad ſpectaculum populi pertinenté,quæ ſecundo loco & tempore fieret,cum datur ſeu agitur publicè fabula:alteram,dum ſpectationem pro examinatione colligimus,quę ſub ludorum artificio,locoq; nō publico exprimeretur.Vtrum igitur nunc recitator ſpectandas indicet publicè comœdias, an priuatim experiūdas,an utrunq; ſimul accipiat,incertius eſt,ad idem tamen officium intendunt:nempe uidetur ex Andriæ totius cognitione pédere, quæ optima foret. nam cōſtat imperfectam antea, & paucis quidem amicis recitaſſe: unde quorundam æmulorum attraxit inuidiam de futuris porrò cogitarent,an ſpectandę prius forét, hoc eſt,concernendæ,uel examinandæ, ſi dignę prius cognitu eſſent, quàm proderentur, quamq; eas ædiles emerent. de quarū emptionibus ſi diligenter aduertitis,potius quàm eiectionibus, ſæpè tractat recitator.nā ſi exactas fabulas pro eo quòd ſit excluſas uel expulſas, ut ſemper Donatus exponit,eius etiam, teſte Valerio,non autem emptas, colligamus non prologorum ſeries rectè conuenire,ſed Terentium apparere ſibijpſi contradicentem, qui populum orat in Hecyra:Sinite exorator ſiem,eodem ut iure uti ſenem liceat, quo ſum uſus adoleſcentior,nouas qui exactas feci.Quo quidem

dem Terentius aperte profitetur (licet isti non uideant) primas etiam uendidisse, excepta fortè hac Andria, quam ante spectationem emere noluissent: non autem eiectas esse, cum adolescentior extaret (ut comicè loquar) Nam quæ ante Andriam Terentij comœdia potuit expelli? Se nunc senem, hoc est, prouectiorem, seu Calliopium ipsum senem fuisse uelimus, parū interest, orare eodé ut iure uti senem liceat, populoq; ita sint fabulæ placituræ, ut anteriores placuissent. Ideoq; in omnibus prologis populum ad æquanimitatem, *potestatemq; statariam exhortatur. Adde quòd in nulla penitus omnium prologorum sermocinatione, de expulsione uel eiectione fit mentio. ut Virgilius, Tarquiniū eiectum Porsenna iubebat Accipere. Sed de hoc tātū exactionis uocabulo, quod sæpè dico, pro expeditione uel solutione duntaxat accipiendum. nam per eandem amphibologiam à Valerio dictum extaret, secūdum Donatum, in parte qua eximia fit eorum mentio, qui spiritus ultrò corporibus suis exegerūt, ut: Quid attinet inerti more gaudere, si magis exigas uitā, quā adprobas? cū tamē eo sermone & tēpore nō de expulsione animæ, imò expetitione sentit, contra mortem formidantes. Ideoq; in solius Hecyræ prologo legitur, Terentianum recitatorem seu Terentium ante tempus, scilicet completę recitationis foras exisse, & hoc intercedente funambulo, muliebriq; clamore, quandoq; & gladiatorio munere, cæterùm plebeis ludis. Quo quidem incommodo, quod ipse uitium appellat, & calamitatem, non poterat agi comœdia: attamen nō

Alludit ad Terentij prologū Heaut. ubi ait, Adeste æquo animo: date potestatem mihi statariā agēdi.

Aen. libr. 8.

eiectum esse uel expulsum, siquidem aliud sit exire uoluntariò, ut cuipiam cedere: aliud, eijci uiolenter. Ad hoc, non moris populo Romano fuit, non magistratuum poëtas exigere, siue eius fabulas: quamuis Plato in sua Republica disputet, Homerum reliquosq; poëtas ex ciuitate bene instituta propellēdos (quod Ouidio soli suaq; culpa contigit) sed ultrò precio precibusq; prouocare, & ad scribēdum persuadere. Sic dum inquit, In ijs, quas primū Cęcili didici nouas, Partim sum earum exactus: nō pro eo mihi sonat quod expulsus, licet hoc loco uideatur: sed ultrò petitus, uel certè quòd eas completè perficiendo recitauit. Vnde est, Perfeci ut spectarentur. Et Ouidius, Iamq; opus exegi. Partim uix steti. quod bene consequitur: nam maxima fortè populi multitudo discesserat, cui eæ fabulæ primo aspectu, hoc est protasi, seu etiā epitasi non placerent, quas in sui persona innuit uix stetisse. Emebantur itaque proculdubio nouæ fabulæ, siue earum ex græcis auctoribus nouæ traductiones: unde tantus ille populi concursus, & asiduo ruptæ lectore columnæ. Græcorū siquidem tragœdiæ ante Terentij comœdias, & quædā Cæcilianæ, Plautinæq; fabulæ recitatæ fuerunt: quarum nonnullæ preciosius susceptæ, quædam etiam inhonoratæ desierant. Quamobrē pollicetur recitator per huius Andriæ præstātiam, se tales posthac comœdias expositurum, ut examinatione non prius editas eas ædiles ultrò exigerent, precioq; persoluerent, poëtæ probitate confisi. nec eum fefellit auctoritas, siquidem inter eas Eunuchum, quæ mox Andriam

Metamorph. extremo.

Iuuenalis.

driam secuta est, maximo uendidisse constet.

QVOD IN ANDRIA TERENTIVS *confusionem uisus est incongruam reliquisse super nuptiarum simulatione minus astutè agitata: ibidem de mira Leonelli emendatione.*

Pars XXII.

IN hæc finientem Leonellum, mirum in modum uultu gestuq; Gualengus exultans dixit: Quantum igitur sententia tua percipio, disertissime mi rex, Andriā perfectiorem, eáq; simul populo gratiorem fuisse dixerim, quòd Terentius ut placeret, maximè eniti debuit. Cui Leonellus, Idem ego consentio poëtam facere debuisse: itaq; non fecisse, magis admiror. nam imperfectior est: unde Eunuchum maioris emptam existimo, uel quòd perfectior apparuerit, uel id fabulæ genus populo placeret magis. In Eunucho certè non talem, neq; in cæteris aduerti peruersionē, siue orationum ambiguitatem. Ad quem Ioãnes: Quam demum imperfectionem, uel peruersionem, siue ambiguitatem in Andria prædicas, non intelligo. Leonellus: Equidem arbitror, nec abs te non solum, sed adhuc nemine eum locum esse deprehensum. nam nulla hactenus in eiusmodi quæstionem disputatio prodijt: & uidetis quod interea secula concesserunt, * in quatuor manus Terentianum opus effluxerit. nam si cuipiam hominum generi pergratum tractatumq; fuisse dixerimus, apud doctissimos sanè familiarius esse debuit: in quibus Cicero ipse se profitetur, hunc sæpè poëtam fa

Videtur, in quot, uel in quorū manus legendum: non quatuor.

miliarem suum appellans: & tamen inter tot legentium sermones atq; iudicia illæsus intactusq́; peruasit. Stabant Ioannes, omnesq́; circum attoniti, seduloq́; orantes, ut è tanta suspẽsione liberaret. Tunc Leonellus: En libero, mi Gualẽge. Primum omnium Simo futuras nuptias simuláns quibusdam imperabat: Vos isthæc intrò auferte. si tunc ea humeris gestarent, an auferrent potius, hoc in loco nihil interest. poterant enim uel serui sui, uel quiuis famulantes ad ianuam fessi cum eis rebus quieuisse, Simonem iamdudũ operiẽtes. Sed quid nam, Ioannes, pro eo sermone, Isthæc, accipis? Ioannes: Esculenta scilicet, ac poculenta etiã (ut Plautinè loquar) Leonellus: Itan' prorsus arbitraris? Gualengus: Quid ni? prorsus omnino. nam quid aliud in simulando nuptiarum apparatu inferri oportuit? nisi fortè tripodas, patinas, ahena intelligi uelimus, aut parietum & sedilium laboratas uestes, quæ tamen à nuptiali artificio non discedunt. Leonellus: Rectè accipis. neque enim alio pacto senex filio seruoque instantes nuptias demonstrare potuisset, præcipueque esculentorum in gestione. nam Sosiæ in consilij calce subiunxit: Hoc tuum nunc est offitium, has bene ut assimules nuptias. Miror tamen, cur Donato tuo hoc in loco potius non assentias, quòd nonnulli assentiuntur. non enim ipse hunc sermonem, Isthæc, seu ad epulationem, siue ad alia nuptiarum opportuna deducit, sed in intellectu relinquit: uti fortè quædam domus instrumenta, quæ Simo iubet reliquis familiaribus in aliam domus partem trãsportari, ut ex trãs-

ferentium

ferentium receſſu ſecretius colloquiũ cum Soſia ſit habiturus. Quod conſilium iudicio meo non ſatis eſt ualidum: quippe qui potius extra domum quàm intrò forẽt illi ducendi, in tam longa præſertim oratione. Sed hoc minimum ad rem: multo præſtat coquum confitentẽ, & aſſeuerantem audire: Nempe ut curentur rectè hæc. per cuius affirmationem uidemus, illa non fuiſſe ut ſolita domus inſtrumenta, ſed ut futura quædam obſonia. nam quamuis Simo ſubijciat, Nihil iſthac opus eſt arte, hoc eſt, coquinaria: ad hãc rem quam paro, ſcilicet nuptiarum ſimulationem: inter coquinam tamẽ procuranda utique afferri oportebat, niſi fortè Donatus ſiue alius intelligat per illum ſermonem, Hæc, quem Soſia reſpondit, non aliqua præter conſuetudinem domus apparanda, uti nos intendimus per Iſthæc: ſed ea duntaxat, quæ in ſenis cœnam parari ſolerent. Si ſic habent rerum principia, orationis concluſio non ſequitur: ut, Dauum perterrefacias, has bene ut aſsimules nuptias. nam quæ Daui poterat inſequi perterrefactio, aut ſimulatio nuptiarũ in cœna tam exigua * conſuetudine? Proinde tamen ita concluſum, ut Soſia bene aſsimulet nuptias, Dauum perterrefaciat, filium obſeruet, ex illatis intra lares eſculentis. Quid ais Gualenge? At ille: Equidem ſic omnino factũ cenſerem. idem & cæteri aſſentiebant. Tum Leonellus: Bene eſt. Teneo iam duplices uel erroris, uel ambiguitatis anſas in Terẽtio, quæ ſtatim à me patefient. Sed prius abs te certior fieri cupio, quónam pacto commodius expeditiusq; illam coquinariam aſsimulationem à

aut uerbum illud Conſuetudine, abundat: aut, Tam exigua conſuetudine, legendũ.

Sosia fieri potuisse concedas: nempe ut illico aues deplumare, animalium uiscera nudare, aut si integra seruari debuerunt (quoniam falsæ nuptiæ fierent) ahena saltem ignemq; ministrare, instrumenta coquinaria detergere, aquam & reliqua facilioris impendij commoliri. Cui Leonellus: Optimè per Deũ inquis. hoc enim est, quod abs te dudum expecto. Videte nunc obsecro, quæ sequuntur, quàm dissona, quàm contraria, uel quàm in medio actu deficiẽtia, deniq; Simonis ostentationi quàm minimè conuenientia. Dum enim hæc à Sosia geruntur, uel potius geri debuissent, Dauũ inducit cum Pamphilo & Charino Simonis fallaciam detegentem, hoc indicio: uidisse se domi nihil ad nuptiarum apparatum pertinere, nihil porrò apud socerum Chremetem apparari, nihil matronarũ turbæ ante ianuam, puerum exiguam pro more senis emisse cœnam. Iam enim hoc de Chremete tolerãtius, quem apud Simonem simulare non oportuit, nec in fraudis consilio habere, uel experientiæ de filio, ne Philumenæ illudi sentiretur. Quòd autẽ in domo Simonis nihil apparari uisum sit, quàm quod esse consueuerat, hoc sanè incongruum. nam quæ igitur simulatio per Simonẽ inducta? per Sosiam demonstrata? quæ Daui facta perterrefactio? unde illa esculenta poculentaq; conuecta, & nuptiarum instrumenta, quę modò asseuerabatis? Si ad Sosiam intra coquinam delata sint, quod certè potius accipiẽdum: nam dixit, Isthæc intrò auferte: quid ita domum uacuam Dauus offendit, cur Pamphilo Charinoque retulit rationem inuenisse se,
qua

qua uxorem sibi nō daret Simo? nam idem dixerat de Chremete. sed cum Simone tantum nobis res est, de quo Dauus ita testatur: Hem, nihil domi obsonij, ipsus tristis, de improuiso, nuptiæ non cohærent. Videtis hanc Daui cautionem, quæ in epitasi uersatur, actui præmisso simulationis, quæ ad protasim spectat, minimè conuenire? Nam quid opus fuit Dauum inferre, nihil apparati apparandíue, nihil penitus inspexisse, quē nouissimè omisimus à Sosia perterrefaciendum esculentorum appositione? Taceo uerò quòd Simonem uiderit tristem, utique senem, seuerum, austerum, cogitabundum, non æquè uultu ac uerbo simulantem: nec omnis homo potest ægritudinem uultu dissimulare. quæ quidem Daui intercessio planè ad propositi destructionē obuenit. & hæc prima dissonantiæ pars. Aggeratur autē ineptia eiusdem Simonis paulo pòst confessione. nam cum eandem Pamphili præsentiam Dauus Simoni aperuisset, senex illico confusus est ita, ut per taciturnitatem, non quam græci aposiopesim dicunt, sed apostomasin, præ pudore, uel timore suspensus, nihil domi apparati apparandíue esse concederet. & hic secundus erroris locus, quem & suprà dixi tanquam duplices ansas continere. Tunc Ioannes: Scio uideoq; contrarium. Sed hic Comici uersatur industria, per Dauum callidum & astutum detegi herilem simulationem. Vide modò Leonelle, ne disputationis tuæ controuersia nimium callida sit. At Leonellus: Nō rectè accipis, mi homo, iam tu quoque, sicut & cæteri, hoc in scopulo hæretis:
nec

nec uos ipsi solum, uerumetiam & ipse Comicus, quantum studio meo coniectari licet: cuius quidem poëtæ maior inter Comicos celebratur astutia, ut uulgari ferè prouerbio fertur, Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte. Neque enim me latet, poëtam uoluisse insigni quadã calliditate, ut in cæteris solet, egregiè senis fallaciam aperire: uerùm per aliã Daui rationem recludi debuerat, non quæ propositam Sosiæ fidem solicitudinemque denegaret, non quæ esculenta uel instrumẽta nuptialia non delata esse contenderet: siquidem iam delata fuerant domum, monstrataque, uel certè ad ianuam apposita. Quòd si fortè dicas, Simonem prius filio dixisse ea die sibi uxorẽ ducendam, quàm nuptialia ad Sosiam deferrentur: Dauumque euestigiò domum accurrentẽ nihil eorum offendisse, & non uisa, Pamphilo Charinoq; illico retulisse: non conuenit actus. In eadem siquidem protasi comprehenditur Sosia prius,* qui à Simone consultum, quàm Dauus domum conuenisset. nec enim seruus eos offendit consultantes: multo etenim minus antè conuenerat, simul cum mutua cõsultatione, illa eadem domum fuisse conuecta. Enimuero Simonẽ prius apud forum Pamphilum cõuenisse concedimus (nam sic oportuit filium præcognoscere) subinde ita domũ accelerasse, ut simulationi faciendæ tempus accõmodaretur. Quod si seorsum acceperis, nulla quidem Simoni neque Sosiæ fingendæ simulationis datur opportunitas, qui seruo filioq; demonstrationis suę neque modum neq; tempus impartierint: quo fit, ut duæ anteriores comœdiæ

Horat. in Poëtica.

forte legendũ, Cũ Simone cõsultans, quàm, &c.

mœdiæ partes irritæ uideantur. Nam quid oportuit Simonem simulationi incumbere tempore præpostero, ita ut seruus filiusque explorari non possent, quos maximè explorandos instituerat: non sat commodè diuisa sunt temporibus. Item Plautus in prima comœdia defecisse uisus, qui Mercurium per Herculem iurantem inducit cum Sosia Amphitryonis seruo, nondum nato Hercule, cuius paulo pòst in Alcmenæ partu natiuitas ponitur, distractus scilicet tẽporis sui consuetudine, qua per Herculem iuraretur: nisi fortè de duobus Herculibus intelligatur, sed ineptè. nempe ueterũ est poëtarum temporum confusione lætari,* cæterùm qua tamen rerum opportunitati conformetur, uti de Didone & Ænea, uel Ænea & Mezentio, quibus figmentis nihil uidetur uerisimilius. Tunc Ioannes: Video, iamq; miror de Terentio: sed quánam ope tantum poëtam emendabis? Vide modò ne nimium callidũ sit consilium tuum, ô Leonelle, ne dum Terentia nos commentatores superare contendis, ipsi quoque poëtę frustra bellum indicas. Cui Leonellus: Non mihi emendandus uel impugnandus est Terentius, quem præceptorem delegi: sed si ad me tanquam eius aduocatum Andriana causa agenda sit, non seruum induxerim esculenta apparandaque non uidisse: sed cum ea deprehendisset, miratum Sosiæ uel tarditatem, uel solitudinem, uel trepidationẽ intempestiuam. nam hoc fuerat, quod antea Simo uisus est extimuisse, commonefaciens bene eas ut assimularet nuptias. Sed à Plauto in Aulularia alij simul coci designantur in futuris

cæterùm qua, pro, sed quatenus rerum opportunitati cõformetur ipsa confusio: uel, sed quæ tamẽ.

ris nuptijs adiutores, mirari præterea eadem illa conuecta. nam hinc parasitantium seruorumq; resultat intentio, non ahenis, non ueribus protinus inferentur, non *pharmaca conficerent, non aues occiderent, aut occisas non *expilarent, non euiscerarent, quarum aliquid intestini pinguioris prægustantes decerperēt, iam aduesperascere, non matronarum turbā, non tibicinem, fidicinémue, non clientum ministrorumque frequentiam interesse, quæ de Chremete dicta fuerant, hæc faciendis eo die nuptijs non conuenire, proinde simulationis se causas opinari. Talia inquam, Dauus Pamphilo Charinoq; referre debuisset, eadem superuenienti hero cōmemorare, tum criminari, mordere, deniq; hominem (ut ipse inquit) urere, iugulare esculentorum quorundam defectionem, sine quibus nuptiæ ritè non procederent, ac temporis inconuenientiam exprobrare: quibus argumentis primo loco, quo ad Daui personā, senis fallacia detegeretur. nam secundo loco est, ut si utiq; Dauus precurrens inanem domum deprehendisset, Simo tamen non multo pòst ea omnia domi comparasset. Qua ratione Simonem esculentorū defectum, quod pudendum est apud Dauū, obmutescendo mussandoq; non confiteri oportuisse, parū dixerim, imò seruum acrius increpuisse, ut inertem & ineptum hominē, qui apparanda nō uiderit, qui res domesticas ac eo die maximè ꝓuidendas nō curarit, ita pugnis calcibusq; precipitem à se domum impulisse. His rationibus nihilominus & serui calliditas in noscenda detegendaq; heri simulatione, & iracundi senis delu-

farcimina legendum.

expilarēt, pro plumis nudarent.

delusio, & poëtæ ars industriaq; permanerét. Nunquã antea Leonelli principis in disputan do subtilitas tantis omniũ exultationibus ela ta est, quòd nòn solum ipsi Donato nobilissimo commentatori, uerumetiam tanta poëtæ antiquitate & auctoritate probatissimo, in literaria palæstra congredi ausus esset.

QVOD SERVIVS, VIRGILII *commentator, in Bucolicis non rectè intellexisse uisus est, Leonelli sententia, principium tertiæ Aeclogæ: Dic mihi Damœta. Item in principio Aeneidis, Troiæ qui primus ab oris: & in quinto multo deformius, Omnibus in morem tonsa coma pressa corona: & in libro primo uberius exponi potuisse, Versa puluis inscribitur hasta: & in sexto, Remumq; tubamq;.* Pars XXIII.

ERgo cum Donatũ quidam expressius, alij alios ueterum commentatores uarijs sermonibus incusarét: tum ego in Nuuolonũ uersus, quo omnium utebar familiarius, Nimirum inquam, hodie hic Seruius turpiter se dabit. & tunc fortè Ioannes senior duos uetustissimos codices ostentabat, Seruiũ & Priscianũ, quibus per omnes primo uisu cõmendatis, quòd antiquissimę & cõmendatæ forét scriptionis. Accepto Seruio Leonellus, Hic est, inquit, qui cum Virgilium plurimis in locis ex quisitissimè demonstret, in quibusdam sic imprudenter & indoctè fluctuat, ut non uideatur oratio eiusdem auctoris sensu procedere. Cæterùm cuperem eum locum inspicere, si sic est, ut ille satyrarum uanus ostentator allegatum

à Ser-

à Seruio carmen afferebat ex ea ad Gallum ſatyra, quæ Iuuenalis eſſe crederetur. nec enim uolumẽ penitus euoluere huius temporis eſt, ſed uti ex pleriſque, nonnulla Virgilij gratia breuiter attingemus. Prima in hac Æcloga tertia, ubi de paſtorum æmulatione tractatur, non ſatis acutè contentionis artificium intellexiſſe uiſus, qui ſimpliciter, ut in uerbis iacet, ſententiam accepit. Omittamus nunc Donatũ impugnare rurſus, quem ſatis ſuprà conuerberauimus, cum ironicè uel dupliciter potius, ut aliàs in Terentio dixi, accipiendum ſit carmen Virgilij, uereq; à Theocrito boues inducũtur, & ad paſcendum traditi ab Ægone. quod expreſsius eſt in re paſtoria, quàm pecus à Virgilio traditum ſolum abſque paſtoria mentione, quanquam id pecus oues eſſe ſignificatur eo protinus uerſu: Infelix ô ſemper ouis pecus. nam parum ad diſputationem pertinet, id uidendum in Damœtæ confeſsione: quare nõ ſuum pecus eſſe confeſſus, cum ſuum fuerit. nam paulo pòſt ſequitur: Ego hanc uitulam, ne fortè recuſes, Depono: cum præter gregem minorem armentum ijſdem paſcuis habere cõſtaret. Aſt aliter patris metu, & nouercæ interdicto prohibitus, pignus idem apponere non auſus eſt, uel quia nõ haberet, uel ſi habuiſſet, ſui iuris non extaret: & tamen cum à Theocrito, Virgilioq́ue ea denegatio non ſuum pecus eſſe, ad maiorem aduerſarij confuſionem poſita ſit. Virgiliani commentatores, quorum hic in primis Seruius, ita in re exiſtimantes, ut in literis eſt, denegationem eam obiter prætereunt: cum multo ſubtilius ex politiæ noſtræ
more

more conueniret,pro auctorum * græci & latini industria, pastoriam altercationẽ acrius intendisse. Videns nanque Damœtas aduersariũ ad se ultrò uenisse, maledicè interrogantẽ, cuium id pecus extaret, Meliboei seu Ægonis, cũ solius Damœtæ pastoris esse cognosceret. nec enim à poëtis pastorum famuli, sed ipsi pecorum domini, ijdemq́ue pastores apponuntur: tamen irrisoria dissimulatione non suum esse respondit, sed Ægonis, quo contemptius illuderet, uelut à caprario, qui pastorum est minimus, alioq; græcorum uocabulo αἰπόλος nominatur, traditum sibi ouium gregem fateretur. uti si quempiam æmulum & riualem conuicio inhonestare uelimus, præsertim coram rei ignaris, decoram chlamydem præ se ferẽtem, interrogetur fortè, an sua chlamys ea sit, & unde mutuò petierit: at ille indignabundus, suęq́ue parti nihilominus confisus, suam esse dissimulet, iactans ut à suo se uicino paupere mutuatum. At perseuerans alter iterum suggerat: O chlamydem infelicem pariter, ac eius dominum, dum ille per horam ab amico uestem accommodatam opinatur, hic tota die uicatim iactabundus gestitat. Itaque quidem Menalcas super ouibus uelut alienis increpabat: Infelix ô semper ouis pecus. Hæc, inquam, illustrium auctorum pulcherrima dicta uellem q̃ diligentissimè à magistris suis explicata, cum alia insuper ex Georgicis & Bucolicis diuersim interpretata prætereã. Sed de Ænea alia raptim uideamus. Ecce tibi in primo uersu Seruius admiranda putat inuenisse, cur scientissimè poëta scripserit Æneam primùm à Troia-

Græci, scilicet Theocriti: & latini, hoc est, Virgilij.

Aeneid. 1.

nis partibus in Italiam descendisse, cum Ante nor, non Æneas primus aduenerit, ad eam scilicet Venetiæ regionem, prius in Italiæ finibus non computatam, quam Romani deinde uniuersam simul Italiam appellarunt. Ita Æneam primùm in Italiam aduectum, alterum intra Venetiam. Vtitur hic homo in re nõ dubia testibus, ut Cicero dicit, non necessarijs. Enimuero non apud Virgilium solum, sed magistros etiam ludi, hic sermo Primus, non ordinem modò, uerùm & dignitatem significat: unde principes à bonis dicuntur auctoribus tam ciuitatum præstantiores ciues, quàm imperantes, quos etiam primores Liuius appellat: quanquam nunc rarius principem pro nobilissimo ciue dicimus, frequentius uerò pro imperante, imperantísue primogenito, id dignitatis nomen apponimus. græcorum non is est usus. Cæterùm de ordinis significatione plurima sunt apud Maronem exempla. En in Georgicis: Primus humum fodito, primus de uecta cremato Sarmenta, & uallos primus sub tecta referto. At de dignitate in quarto meminit: Reginam thalamo cunctantem, ad limina primi Pœnorum expectant. Primi certè hic pro principibus Carthaginensium intelligendi. nec enim plures in eodem ordine primi simul esse potuerunt, in globo præsertim expectantes, non ut in prelio de prima acie dicitur. Item de Euryalo & Niso, quos primorum manus ad portas iuuenumq; senumque comitati sunt: ubi de principibus tantum intelligimus, cum alij alios sequerentur & circumstarent, non omnes primi adessent. Et apud Euandrũ:

Lib. 2.

Vnà

Vnà omnes iuuenum primi, pauperque senatus Thura dabant. Sed quid multis exemplis opus, cum id unum sit præstantissimum? Poëta cum strenuissimos quosdam Græcorũ duces enumerasset, qui de Palladio equo descendissent, loco septimo Machaona intulit, primũ appellans: ergo non primus in exeuntium ordine, sed alius ex eorum principibus fuisse cognoscitur. Quamobrem non dubitandum, à poëta hoc epitheti genus ad honorificentiam tanti uiri spontè compositũ, ut eundem principem demonstret, quem & Homerus magnificat, ex Troiæ regione non ut legatum uenisse, aut mercatorem, uel priuatæ conditionis peregrinum. In quo genere multi sanè ante natum Æneam Italiam appulisse potuerũt, cum per multas prius ætates Latinum nomen extaret, Euandro etiam cõpellante: ut, Hæc duo præterea disiectis oppida muris, Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem, Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen: quæ Æneas miratur, ueterumq; uidet monumenta uirorum. Quibus rationibus multo minus ordinis ratio Æneæ conueniet, qui non ut Troianorum primus, sed princeps Tiberinum litus armatis nauibus intrauerit. Itidem de Antenore dictum in Illyricos sinus. Rursus princeps pro eo qui sit primus in ordine accipitur. ut: Princeps ardentem cõiecit lampada Turnus: non sanè pro eo quòd fuerit Latini exercitus maior dux. Nam eodem quoque modo in Fastis legitur, Qui dederit princeps oscula, uictor erit: cum de osculanda primùm terra apud eos princeps loqueretur. & de hoc loco

Aeneid. 8. *Aeneid. lib. 2.* *Aeneid. 8.* *Aeneid. 9.*

Hic uidendus est locus in Seruij commentario, qui paulo secus nunc habet.

ſatis.* In eodem hic primo uolumine uerſam Troili haſtam exponit, qui per terram uerreret, qua cuſpidis in puluere ueſtigia notarétur ſignarenturque. Verùm enim magnificentius in exquiſitiſsima poëtæ pictura cõſiderari põ tuit. nam per puluerеam inſcriptionem ſatis eſt, quod ad Seruium pertinet, peruentum: at ipſius haſtæ declinationem non minus accipiendum apparet, quam Troilus ut exanguis, & languida manu (ut Virgilianè loquar) uix retineret. Proinde uerſa pro auerſa quoque, ab eo quod eſt uertor, præterquam uerror: ſicque duos actus eximios, nõ unum tantum intelligemus. nam ſatis conſtat alibi à Virgilio poſitum, Et uerſis Arcades armis, pro auerſis. Item planius,* Auerſas tenuere fauces: ut auerſionis actum uel in ipſo agente, uti in re acta, conſpiciatur. Eadem ratione dictum: Et auertẽs roſea ceruice refulſit. Nec longè abeſt huic exemplum perſimile, Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat: per quod notat in Pallade non eius ſolum mentis iracundiam; ſed oculorum etiam auerſionem. Cæterùm in quinto uideamus, in cuius loci expoſitione Seruius maximè corripiendus uidetur. pingit nanque Virgilius Troianorũ pueros nobiliores, cum in campum equites procederent, tonſis coronis preſſas comas habuiſſe, quod in arte carminis à peritis facilè dignoſcitur. Carmen eſt: Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona. nam coma & preſſa correptis a, tonſa uerò & corona productis accipiendum. Hic autem noſter exponit, ſuper tonſis comis coronas preſſas geſtare: hoc eſt, galeas. Et ut errorem errori aggeret,

Aeneid. 11.

Auerſi tenuere facem, legitur Aeneid. 6.

Aeneid. 1.

Nam tonſa corona ablatiui ſunt caſus.

ret, Homerum allegat simili sermone galeam aliquando στέφανον appellare: & quòd de galea omnino poëta significet, per illud Ascanij approbare conatur: ut, Galeam ante pedes proiecit inanẽ. Ita carminis ordine deceptus, dum productas corripit, correptas extendit syllabas: nec meminit à poëta simili modo alibi tõsas coronas appellari, ut, Ipse caput tonsæ folijs euinctus oliuæ. Neque aduertit, pueros etiam galeis armatos desuper fronde coronatos, ut poëta depingit, cuiusmodi frondiũ uel coronarum genus, seu circumflexis ramis intortum, ut græcè est coronarum uelut plicatio: unde plectilis corona, & plectilia serta, seu floribus insertum caput, redimitum dicitur. Proinde galeam cum corona simul, uel coronam delapsam potuit Ascanius ante Iliadum pedes proijcere, uel galeam proiectam iterũ solam coronam imponere. Quod poëta noster in re militari curiosus, & tanquam gnarus pictor fingit, neglectum à Seruio. nam illud de Turno ferè idem. ut, Cristaque tegit galea aurea rubra: cum utraque epitheta commutari queant, non seruato carminis ordine. Idem de Euryalo: Ora puer prima signans intonsa iuuẽta. Et miramur hunc commentatorem de militia ad Gallum satyram additam, Iuuenalis fuisse dicere ausum seu credidisse, cum scansionẽ Virgiliani uersus non aduerterit. Quid autem super, Remumq; tubamque, in funeribus insignibus Miseni tumulo superpositis? Nónne quicquam amplius commentator Virgilianus excogitasse debuit in defuncti laudes, quàm tubæ duntaxat, loricatumq; ornamentũ? quã-

Georg. libr. 3. ubi Ornatus, non euinctus, legitur.

Aeneid. lib. 9. nam Crista rubra, & prima iuuenta, auferendi casu dicitur.

Aeneid. 6.

Georg. 2. uis eo modo dictum appareat: ut, Pateris libamus & auro: pro pateris aureis. Quippe cum à poëta sæpè de inflante Miseno, tubisq; militaribus disseratur, non tamen id uocabuli genus audiuimus, ut remum tubis adijceret, uti uolantibus alarum remigium, quo illæ argutius resonent, eæ uolent intensius. Scimus præterea nobilium tumulorum honoribus uel generis uel factorum insignia suspēdi solita, & quo plura emeriti sunt munia, eo frequentiora sepultis apponi. Ergo & Miseno præter tubam, tubæque remigium, quicquam magis adijciēdum censebimus: quem optimi ducis non tubicinem solum egregium, sed remigem insuper nonnunquam fuisse percipimus, ac laboráti clasi domini sui succurrisse, quam & ipse Aeneid. 5. extremo. Æneas nocturnis rexit in undis. Quamobrem pro utriusq; officij peritia & sedulitate benemerenti uiro, claro remigi Æneæ, tibicinique Miseno duplicē honorē, remū naualē, & militarē tubā fauētibus dijs maiorib. apponamus.

DE A. CORNELIO COSSO, STRE*nuißimo equite Romano, ut ab Vrbe condita legitur in Liuio: item de Catone Portio Prisco, ut est in bello Macedonico: item de Catone Vticense, & C. Cæsare, ut est apud Salustium, de amborum comparatione: & de Hannibale, ex Italia cedente, ut in bello secundo Punico, clarißimis ducibus, nōnulla memoratu digniora.* Pars 24.

TAlia Leonello ioco serioque memoranti, Feltrinus intonās, simul ternos Liuij codices amplexatus, & ipsum altera manu re-

retinens, De T. Liuio, inquit, aliqua uideamus. Cui Leonellus assentiēs: Videamus pauca igitur, & tu ipse libros euolue. Ergo Feltrinus ab Vrbe condita quæritans, quæ de A. Cornelio Cosso in bello Veientino, equite strenuissimo huiusmodi scripta sunt: Erat tum inter equites Tribunus militū A. Cornelius Cossus, eximia pulchritudine corporis, animo, ac uiribus par, memorq; generis: quod amplissimum acceptum, maius auctiusq; * reliquit. Is cum ad impetum * Volumnij, quacunq; se intendisset, trepidantes uideret turmas, insignemq; eum regio habitu uolitantem, tota acie cognouisset: Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani, uiolatorque gentium iuris? Iam ego hanc mactatam uictimam, si modò sancti quicquā in terris esse dij uolunt, legatorum manibus dabo. Igitur calcaribus subditis infesta cuspide in unum fertur hostem. quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit: adsurgentem * illico regem umbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide ad terram affixit. Tum exangui detracta spolia, caputque abscissum, uictor spiculum gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. Cum hæc Feltrinus eques, equitis facta perlegeret, & ipse exultās uultuosa cum gestorum significatione: & omnes tantam Romani uiri uirtutem, audentiam, felicitatemq; simul admirati sunt. Hic è nostris cuidam fortè Feltrinum interroganti, iuxta quem adstabat, an impropriè appareret, hominem sine alijs uolitantem, ut Liuius diceret: oculos intorquēs ipse subiecit simul cubito percutiēs,

reliquit posteris, habet Liu. *Deca.1.lib.4. & Tolumnij, nō Volumnij.*

Ibi, est in Li*uijs impreßis, non* Illico.

Tace tu *omnium. Quē placatiori uultu Leonellus excipiens, dixit poëticum quidem esse sermonem, ut Terentius pariter, Vix me contineo, quin inuolem in capillum: nō impropriè tamen, ut in bellicæ rei ministerio. Inde ex Macedonico bello, hæc de Catone Portio Prisco, memorandissimo imperatore & uiro, ab eodē Feltrino recitata commemini: In hoc uiro tanta uis animi ingeniĳq; fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus uideretur. nulla ars neque priuatæ neque publicę gerendæ rei ei defuit, urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic uersatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis. Idem postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator: idem in pace, si ius consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquētissimus. Sequebantur & alia de hoc Catone egregia, omnibusque eadem in ore sententia erat, hac tempestate eiusmodi uiros non inueniri. Tum Nuuolonus Salustĳ memor: Et hæc habemus, inquit, ex Crispo de Cæsare, Catoneque Secundo non minus quàm ex Liuio facundissimè. Igitur ĳs genus, ætas, eloquentia propè æqualia fuere, magnitudo animi par, itē gloria: sed alia aliĳ. Cæsar beneficĳs ac munificentia magnus habebatur, integritate uitæ Cato: ille mansuetudine & misericordia clarus factus, huic ueritas dignitatem addiderat: Cęsar dando, subleuando, ignoscendo, Cato nihil largiendo

Omnium, hic quid sibi uelit, ignoro: uidetur redūdare, nisi aposiopesim malumus.

Decad. 4. li. 9.

In coniur. Catilinaria.

giendo gloriam adeptus est:in altero miseris profugium erat,in altero malis pernicies : illius facilitas,huius constantia laudabatur. Postremò Cæsar in animum induxerat laborare, uigilare,negotijs amicorum intentus esse, sua negligere,nihil denegare quod bono dignum esset:sibi magnum imperium,exercitum , bellum nouum exoptabat, ubi uirtus enitescere posset:at Catoni studium modestiæ & decoris,sed maximæ seueritatis erat:nō de diuitijs cum diuite,neq; de factiosis cum factioso, sed cum strenuo de uirtute, cum modesto de pudore,cum innocente de abstinentia certabat: esse,quàm uideri bonus malebat : ita quo minus gloriam petebat , illam magis assequebatur .Iis ita recitatis, paucioribus tamen Catonis commēdatio,ut qui seniores extitere:pluribus autem,& quidem iunioribus Cæsarianę laudes placuerunt.Sed inter hęc Leonellus ad uisenda eo die baptistea solennia prouocatus, lectionem ocyus expediri iussit.Quamobrem Feltrinus de bello Punico reuoluens, existimansq; de Hānibale quicquā fortissimū inuenire, quē miris semper laudibus extollebat:in id tamen egregiū, licet minus felix cōcidit,cū Hānibal inuitus Italia decederet. Raro quempiam alium patriam exilij causa relinquētem, mœstiorem abijsse ferunt,quàm Hannibalem hostili terra excedentem.Respexisse sæpè Italiæ litora,& deos hominesque accusantem,se quoque ac suum caput execratum, quòd non cruentum ab Cannensi uictoria militem Romam induxisset. Scipionem ire Carthaginem ausum,qui consul hostem Pœnum in Italia nō uidisset: Dec.3.lib.10.

uidiſſet:ſe centum milibus armatorũ ad Thraſymenum, Cannasq́; cęſis, circa Caſilinum, Cumas & Nolam conſenuiſſe. hæc accuſans querensq́; ex diutina poſſeſsione Italiæ eſt detractus. Iamq́; ex bibliotheca Ioannis deſcendente Leonello, dijs gratias agẽdas omnes ſimul acclamauere: æque crudeliſsimum ducem, Latini nominis inimicum, ut rei militaris peritiſſimum, illata prius multiplici clade tandem euanuiſſe: apparebatq́; cunctis Feltrinum irrideri, qui miranda de Hannibale referre conſueuerat: & ſanè pudebat hominem ad eum hiſtorię locum ueniſſe. At Ioannes eidem arridens: Nimirum Feltrine, hodie mihi quoq; ſpecioſius exultandum eſt, ad quem hodierni nominis feſtiuitas plurimum attinet: & tibi uiciſsim gratulandum in facetiſsimum librum te inciditſe, uti modò de biferis ficubus in me, quarũ acerbiores exigendas admonuiſti, quòd non Hannibali ſolum Italia decedenti, ſed tibi quoque rectiſsimè comparetur: qui cum magnam in biferas ſtragem edidiſſes, demũ uix ab horto recedens, eaſdem ſæpè arbores ultimus ac mœſtus reſpiciebas.

TERTII

TERTII LIBRI DE POLITIA LITERARIA PROLOGVS, IN QVO DE LEONELLI principis ægrotatione monstratur, quæ tamen literariæ politiæ munere non uacauerit.

PARS VIGESIMAQVINTA.



ACTENVS duobus libris satis inclusisse uideor, maxime Pontifex, quæ continua Leonelli principis præsentia superiori tẽpestate, meq; præsente disputata fuissent. Mox cum dies caniculares incederet, feruore tamẽ maiore quã interitu, Ferrariẽsis primũ ciuitas, omnisq; extẽplo Adriatici litoris, tractus cœli inclemẽtia, & terrarũ siccitate laborauit: quippe æstatẽ perpetuam nõ pluisse, prodigij instar, imò frequẽtib. Austris magis inualuisse cõstabat. Tũ multitudo quaque deprehensa uel in urbe, uel suburbijs, quę ipsi habẽt amœnissima, tertiana, ut aiunt, ualetudine uiolẽtius corripi cœpta, ita ut Leonellum quoq; nostrum eius morbi moles inuaderet: nec ideo politiæ literariæ officio uacaturum apparebat, *siquidem melius capitis feruoribus, crebrisq; uillarum & fontium permutationibus nobiscum sæpè disputaret, nisi medici protinus à familiari confabulatione distinuissent, qua difficulter solebat humanissimus

Locus sine dubio corruptus, qui legi sic interim poßit: Quin sit quidem melius, captatis frigoribus crebrisq; uillarũ & fontiũ permutationibus ualuisset, nobiscum, &c.

nissimus ille princeps temperare. Igitur ut in exercitu aliquādo cōtingit, cū debilitato duce alij rerū summa permittitur: sic Leonello placuit, ut Guarinus Veronēsis interea, qui præcepto reius à pueritia fuisset, literariā disputationē exequeretur. Quo iusso eadē literarum frequentia facta, nihilque à pristina consuetudine mutatum magis, quàm quòd iucundissimus Leonelli conspectus abesset: ita ante eius cubilis fores disputando, simul ac excubando de sermonum proprietate quæstionem exorsi sunt.

QVAESTIO FACTA SVPER VOcabulorum proprietatibus seu improprietatibus aduertendis, per Guarinum Veronensem. Pars XXVI.

NAm fortè cōtigit, ut Guarinum quidam superueniens compellaret, an ab ægritudine princeps conualesceret: quem Veronensis irridens, Hoc est, inquit, quod sæpè Leonellum puerum adhuc admonuisse memini, quodq; ego uobis plerunq; dicere solitus, ut sermonum improprietatem caueretis: sed quis illam caueat, ne proprietatem quidē cuiusmodi sit intelligens? neq; enim cæcus, nisi præmonstrante duce uel baculo, fossæ præcipitium aduertit. Quo quidem infelicius uiarum sub oculis indicia continentes aberrauerunt cum omnibus grammaticæ studiosis, etiam sine præceptore facilia cognitu forent, si quemadmodum antiqui scripsere, eum dicendi morem imitarentur: quorum maximè Terentius, Virgilius, Cicero, Salustius, ne impropriè

priè dicerent,tanquam lynceis oculis circumspexerunt.Sed ne te longioribus teneam,Vtinā Leonellus ipse sic ægrotatione penitus absolutus esset,ut ægritudine longè abest: adeò exacta iamdiu pueritia temperantiori ac præsenti magis animo eū institisse cognouimus, ægrotatione tamen triduaria adhuc urgeri uideo.Quid oscitaris? nempe aliud esse censeam ægrotationem,quàm ægritudinem? cum ęgritudo ad mentis perturbationé, seu lāguorem, uel certè animi pasionem,uti cupidum esse,timidum,exultantem, & id genus inconstātiæ: & hoc secundum Tullium in Tusculanis quæstionibus,& qui philosophicè seuerius cēsuerunt:secundum uerò Terentium,qui paulo licentius,ut apud poëtas, non tamē impropriè, gaudium uel læticia ab ęgritudine secluditur, quasi soli rerum externarum designatione perturbanda,ut Pamphilus indicat: Si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. Quo quidem exemplo nihilominus apparet, ægritudinem tam ad anxietatem,curas, solicitudinesúe pertinere(ut nostrum est propositum)quàm gaudium ad honesta mortalium bona. In quibus Pamphilus licet exultans, ac secundum philosophiæ modum æger, liberam concupiti matrimonij possessionem desiderat.Qua ratione ægrotatio ad corporis dolores &debilitatem haud dubiè pertinebit. Sanè idem Terentius asseuerat,diem adimere ægritudinem hominibus:& illud,Nam mihi quidem quotidie magis augescit de filio ægritudo. Cæterùm tamē aliud ex alio interdum oriatur, ideo pulcherrimè à ueteribus usurpatum, ex longa ægritudine ægro-

ne ægrotationem esse contractam: quam frequenter sanè contingere nouimus ex rerũ perturbatione, contraria læticiæ. Neque errauit Salustius ipse, cum pedum mentionem subiecisset: ut, Ex altera parte Antonius æger pedibus. quippe eadem ratio super ægro & ægroto, & probè, ut dolorem simul animi, quòd in bello adesse nequiret, cum pedum infirmitate coniungerent: ad Græcorum ferè morem loquutus, dolorem & pedes comprehendens, quasi podagricum uel Agrippã indicaret. Ita æger animo, licet uiribus robustus & ualidus: ægrotus autem uel ægrotans, corpore debilis & infirmus appellandus, qua minus magnanimus imperator. Apud poëtas de ægrotatione & ægritudine rariora sunt exempla, quòd metrum intrant difficilius: sed à Marone tamen sciẽtissimè cõpositum intelligitur. ut, Curisq; ingẽtibus æger Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem. Quo apparet utrunq; & corpus & animum æquè dolore confici posse temporibus suis. Sic græcè latineq; animi passiones appellamus, quas poëta sapienter omni mortalium generi designat, quòd eis semper infestentur, cæterùm alij alijs uehemẽtius. ut, Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit. In quibus & Dido: ut, Esto, ęgrã nulli quondam flexere mariti. Itaq; cum apes pariter ægras, ueluti corporibus infirmas dixerit, non absurdum est. nam paulo superius monstrauit, Tristi languebunt corpora morbo. Ideoque aptissimè, Continuò est ægris alius color. quippe quæ haustum uelut humani spiritus agentes, ægrotationem non sine ægritudine

Agrippa, quasi Aegrippa: id est, æger pedibus,

Aeneid. 1.

Aen. lib. 4.

Georg. 4.

gritudine uel mœsticia pateretur. Quo pacto fit, ut aliquis ęger simul & ęgrotus esse posit: quod desperantibus ægrotis sæpè contingit, & inania sæpenumero iactantibus, aut mortē uehementius formidantibus: quod & Satyricus agnouit, Iam quartanam sperantibus ægris. Quod autem hunc sermonem ægritudinis ueteres ad solam pasionem asignarint, testes sunt in primis Tusculanæ quæstiones, ubi frequentisimè de hoc genere. * Græci autem cum sæpè à nobis differant, ita νόσον pro ęgrotatione uel ægritudine, seu languore, ac μαλακίαν indifferenter sæpè suscipiūt: quemadmodum κυλλὸν pro infirmo quolibet, & ὑγέια pro sanatione seu ualetudine. Nos autem hac in parte locupletiores, ita ægrum à languente, ut sanum à ualido differre sentimus: nisi circumpositione ita simul adornentur, ut mutuò conualeāt. quale est Iuuenalis, ut: Sit mens sana in corpore sano. nam haud dubiè mentis est sanitas, corporis autem ualetudo: quanquam & hoc nomen ambiguum bonæ aduersæque ualetudini sæpè asignatur. Salus itidem ad utraque animi & corporis commoda componitur, quę græcè σωτηρία. tanta adeò inter nos & illos uocum, sensuumque nonnunquam consonantia est, nec minus in uoce & sensu uarietas, ut multis in locis ubi latini non differunt, græci discrepent: & ubi non permutant ipsi, nos contrà uariemus.

Iuuen. Saty. 4.

Deest uerbum disputatur.

Satyra 10.

QVAE-

QVAESTIO SVPER VOCABVLOrum proprietatibus facta, seu improprietatibus aduertendis, per Guarinum Veronensem. Pars XXVII.

PLacebat omnibus eruditissimi Veronensis explicatio, quam inter Gualengus facetus senex, Absoluisti me, inquit, ô Guarine ægrotatione prorsus, & ægritudine, & salutem ac sanitatem addidisti. At ipse non ijs tantum sermonibus, sed pluribus insuper, & quidem ab eis, qui se disertissimos in suis epistolarũ uoluminibus haberi uoluissent, planè errari demonstrabat: quorum quidem sermonum eandem pariter, tam apud poëtas quàm cæteros scriptores optimos, proprietatem solũ obseruari deceret. Quem cũ omnes studiose precaremur, ut ea nos uocabula commoneret ordinariæ formulæ modo, quoq; pacto in eorũ erroribus caueretur, sic executus est: Dicam equidem, ut potero, fideliter, nec seruato alphabeti ordine, quòd plurima eius generis sunt, quæ per eundem literarum ordinem commodè explicari non possent: uti modò de sanitate & ualetudine cognouistis, sic de astutia & calliditate aliqua, & quodam equite & milite, gemendo, & flendo, iurando, periurando, abiurãdo, & id genus plurimis. Sed enim alia nominũ uocabula, quædã uerborũ, nonnulla aduerbiorum in parte locabuntur, opportuna satis distinctione: quamuis non omnes nunc, ut petitis, sermones, at maxima in parte, & quotidiano usu* magis commemorauero: primumque à nominibus incipiemus, in quorum numero nos pronomina quoq; ac participia comprehẽdemus.

Deesse uidetur contrita.

demus. Differt ſcriptor ab eo maximè, quem ſcriptorem corruptè appellare ſolent, hoc eſt, librario. nam quem uulgò ſcriptorem dicunt, pro eo qui chartá, aut pugillares ſeu libellos, & calamarias pigmentariás ue thecas tractat, in exſcribendis ſcilicet aliorum auctorum operibus, eum nequaquam ſcriptorem appellauerim, ſed librarium, aut ſcribá, tabellariúmue: cuiuſmodi ſcriptores intentos uidemus quotidiano uſu ſiue antiquiſsimi temporis ſint, ſiue nouiſsimi: ne fruſtra puteris alium librarium eſſe, aliũ antiquariũ, ut quidam ineptè diſtinxere. Poteſt aũt fieri, quod modò de ægro & ægroto diximus, ut idem utriuſq; officiũ ſimul exequatur, uelut aliquis fortè ſui ipſius opus exſcribat. Quod ſæpè Plinijs meis Veronenſibus contigiſſe creditur (& mihi ipſi nõ nunquam contingit librarium non habenti) ut inter uenandum aut piſcandum opera ſua ipſi ſuis manibus deſcriberent. Cæterùm ſcriptoris ſermo ad operis dũtaxat inuentionem, librarius autem ad characterum * extractioné pertinet, ſeu in charta, ſeu cæratis tabulis. Quinetiam pariete figuras ſcribi & legi dicitur, ideoq; librarius à libris uel libellis dictus, quorum diuerſa ſemper extat compoſitio. Antiquitus autem ex arborũ codicillis, unde codices, ex paluſtrium herbarum conglutinatione, è quo papyri noſtræ, tametſi linteæ materiæ, adhuc extat appellatio. nec enim exempla deſunt egregia. De librario ſanè Tullius in Familiaribus epiſtolis ita ſentire uidetur, ut pro eo tantum accipiendus ſit, qui opera ſua Tulliana tráſcriberet. In libris quoq; ciuilis iu

Plinius uterq; Veronẽſis: alij Nouocomenſem uolunt.

Fortè, exarationem uel expreßionem legendum, nõ extractionem.

Digest. de Regul. iur. L. 92. Si librarius.

ris est: Si librarius in transcribendis stipulatio nibus errasset, nihil obstare, quo minus fideiussor & reus teneatur. denique pro eo semper, qui alios auctoris libros exscribit, nullum apud scientissimos inuenitur, præter solius librarij uocabulum. Quòd si forte transcriptorem simpliciter dicere uelimus, ne id quoque cōueniet, tametsi transcribat. nam potest quis suo famulo imperare, nō propter id tamen imperator appellandus, quod solis datur auctorum translatoribus, seu traductoribus, ijsq; interpretibus, cum in alium sermonem ab alijs linguæ uolumina transferuntur. De scriptore uerò pro auctore solum, omnia historicorum, poëtarum, oratorum referta sunt scripta: quo magis isti reprehendendi in tam antiquata, tritaq; & ueterum consuetudine & regula, qui semitam propriè scribendi non adhuc uideant. Inquit Horatius, Troiani belli scriptorem maxime Lolli, Dum tu decantas Romæ, Prҿneste relegi. Atq; idem: Scriptor honoratum si fortè reponis Achillem. Contemplamini quanta sit huius sermonis auctoritas præstantiaq;, ut scriptor sit operis auctor. nam qui cҿcus unquam manibus scripserit? uel ponere uel reponere, pro eo quod sit scribere accipiendum: ut etiam Iuuenalis, Nunquam ne reponam? Cuius ideo, & Horatij in primis, utiq; poëtæ, non oratoris uel historici tanquam pro omnibus testimonium adduxi, idemq; certissimum. nam si tantopere à poëtis sermonum ratio seruata, quibus maior licentia quàm in oratione soluta attribuitur, ubi non de scriptore solum, sed de scribēdo cum tanta sit à maioribus obserua

In epistola ad Lollium.

ta diligentia, ut nulli præterquã operis aucto-ri id officium assignetur.* Inde Liuius, Facturus ne sim operęprecium, si à primordio Vrbis res populi Romani perscripsero. Ac prętérquã quòd in alio operis principio dixerit, Licet mihi præfari, quod pleriq; professi sunt rerũ scriptores: ilicò subdidit, Bella maximè omnium memorabilia, quæ unquam gesta sunt, me scripturum. Quod ideo à Salustio prius editum constat: ut, Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha rege Numidarum gessit. atq; alibi, ut: Qui fecere, & qui aliorum facta scripsere. Terentius: Poëta cum primùm animum ad scribendum appulit. Apud Ciceronem, præcipueque in prologis, multa sunt huius uocis exempla, in quibus, ut moris est, ab auctoribus scribendi causæ redduntur.

Imperfecta uidetur oratio, quæ sic perfici posit: Quid reliquis scriptoribus faciẽdũ?

In Andriæ prologo.

O quàm bene igitur quidam è nostris, qui epistolarum suarum uoluminibus se omnia oratoris officia & scire, & facere profitetur, in quadam epistola dixit: Quæris, cur liber ille meus minus limatus sit. id autem cùm scriptoris uitio, tũ incuria mea potest accidisse. Videtis ne obsecro, quã callidissimè sibi ipsi omnia uirtutũ officia designarit? Dum enim mentiri nititur, rẽ ipsam non magis propriè potest aperire, quã sui ipsius culpa, cũ ipsius libri scriptor fuerit, contigisse. Quid quod idem Horatius utriusque nominis exemplo est? ut, Scriptor si peccat, idem librarius usque, Quamuis est monitus, uenia caret. Placet adeò nunc de scriptore, nunc de librario commemorare, quo magis unum ab altero nomẽ & officium discernatur.

In poëtica.

Equidem uulgari ſcio appellatione à pleriſq; eum pariter librariũ intelligi, qui ſit ſeu librorum tabernarius, ſiue cuſtoditor: ſed ineptè. Illud enim primò cerdonarium genus bibliopolarum tantum græco uocabulo ſit appellandum: nam libros uendit ut ſuos. alterum bibliothecarij, qui domini ſuo libros obſeruat: licet uulgari confabulatione uterq; non poſsit commodius quàm librarius explicari. neq; enim à Græcis his in ſermonibus tanta, ut à nobis animaduerſio eſt, quam in alijs habent, fortè nobis non habentibus. nam graphea, pro librario ſæpè deſignant: & pro ſcriptore ſeu factore uel auctore poëtam. quanquã componere ſolent omnes ferè dictiones, & duplicare: quemadmodum calligraphus ab eis pro eo, qui ſit à nobis bonus uel pulcher librarius intelligendus: ſic hiſtoriographus, coſmographus, à nobis eodem modo ſuſcipitur: & quã nos ſcripturam, ac plerũq; picturam dicimus, illi graphen appellarunt. Ciuitas ab urbe differt: quanquam græci polin, politiamq; permiſcent, eandem urbem ciuitatemq;, uel ciuilitatem accipientes. Sic de ciuibus ac conciuibus, ab urbe nominatis, ut ſæpè in Platonicis libris de Republica. Ergo à noſtris elegantius ciuitatem tantum ad populum referẽtibus, unde ciues, & ciuilitas, ſeu ciuitas, ut qui ciuitate donati ſunt: urbem uerò ad mœnia, unde urbani ſuburbaniq; non ſic in uſu pro ipſis hominibus, ut oppidani, uel ciues, aut accolæ. nam & oppidum urbs eſt. Atqui urbanitas ad ciuiles quidem mores pertinet, ad politicam uel politiam, ut grçcè latineq; loquamur, non ad ipſos

ciues

ciues exprimendos: & hæc potissimè duo ciuitatis urbisq; uocabula soluta oratione scribentibus aduertenda: nam apud poetas metri opportunitate aliquando confunduntur. nec enim solutæ orationi licet, quod figuratæ ac poeticæ, nisi cum allegationis fortè gratia fabulam introducimus. Eiusmodi autem sunt in nominibus frequentius: ut Cererem pro pane uel segete, aut messe ponere, cum etiam segetem pro terra à Virgilio dictum appareat. *Georg.1.* ut, Quid faciat lætas segetes: id est, pingues terras. quanquam unum ex altero pendeat, & cōtinens pro contento dicatur appositum, cum ipsæ segetes pingues esse non possint, nisi ex terræ crassitudine. Liberum uel Lyæū, uel Bacchum pro uino: aut locorum nomina, ubi id nascatur, ut Falernum, Massicum, Campanum, & id genus. Quid quòd ijdem poetæ solita figuratione nō contenti, allegoricè rursus permutant? ut, Liber & alma Ceres: quos itidem deos *manes à ueteribus appellatos, pro sole lunaq; Maro composuit. Sed ordinem sequor: Phœbum, uel Apollinem, aut Deliū pro sole, aut soles pro diebus. Idē de Cynthia uel Diana dictum pro luna, Olympum pro cœlo: Neptunum, Nerea, Thetim, deos maris, pro ipso mari: Iunonem & Iouem pro ipso aëre, uel æthere. Neque etiam pro nostris dijs religio nostra patitur illos apponi, quamuis deos plurali numero recipiamus: neque per Pollucem nobis, neque per Castorem iurare licet, tametsi Herculem iocose aliquando, aut hercle præcipuè non sit improprium, impiúmue scriptis suis inserere. Ad hæc, Eridanum pro Pado,

Georg.1.

**manes*, *uidetur redundare.*

Deos, pro diuis accipit, quos etiā sanctos appellāt.

sonipedem uel cornipedem pro equo,& ut amarier pro amari, deûm pro deorum,& id genus: quibus interdum licentius poetę abutuntur,in quibus poeticè positis aduertēdum est, cum coloribus rhetoricis uti uelimus,ubi plerunque denominatione spaciamur, ne extra Ciceronis pręcepta longius euagemur. Potest enim fieri neque ineleganter ea utamur coloratione:sed ita utendum est,ut iocose & spontè,non imprudenter, & ex nostro loquēdi more dictum uideatur,adeò ut nec præceptorum datorum sæpè pœniteat nos: cum recolo etiā in libro meo de Liberis educandis, tellurem pro terra incautius edidisse,cum multo minus liceret Proserpinam, aut Vestam, Opimúe apponere. Nam quòd Tullius dixerit in Philippicis, Ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus: satis liquet non pro terra posuisse, sed pro tempestatis illius religioso tēplo, uel nomine loquutum, qui deam uniuersæ terræ faciem instituissent. Plinius maior aliquando tellurem, sed poeticè ponit. Dicunt & nostri nouelli oratores, sed impropriè.Cæterùm hęc pauca quæ memoraui, ad aliorum uocabulorum exempla sufficiant, quæ sint in oratione soluta præcauenda, quamobrem ad cōfirmationem propositæ orationis redeamus.

Aeneid.lib.1. De urbe & ciuitate Virgilius mirus proprietatum obseruator, Vrbem quā statuo: & hoc ad mœnium ædificationem, quæ tunc maximè fierent.nam licet ad id quoque referri possit, Iura magistratusque legunt, sanctumque senatum: ad ea tamen magis inclinabit,ut,Fastigia suspicit urbis.&, Miratur molem Aeneas,ma-

as, magalia quondam: Miratur portas, strepitumque, & strata uiarum. Instant ardentes Tyrij, pars ducere muros, Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa: Pars optare locum tecto, & concludere sulco. Hîc portus alij effodiunt, hîc alta * theatri Fundamenta locāt alij, immensasque columnas Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris. Quamobrem ut antiquitati placitum, urbem ab uruo parte aratri dictam, quo cum designando murorum orbem fossæque statuerent. sic idem Poëta testatur, Aeneas urbem designat aratro. Quin utrunque uno uersu mirificè collegit: ut, Vrbs antiqua fuit: & hoc ad mœnia. Tyrij tenuere coloni: hoc ad ciues. uel si uultis uno esse in sermone mirè proprietatem obseruatam, ecce: Inuadunt urbem somno uinoque grauatam. nam certum est hostes utraque simul inuasisse, & fractis portarum claustris, cæsisque custodibus. Sed & Liuius pariter hoc exēplo politissimus est, cum ciuitas assiduo opere reficiendæ urbis teneretur. Hic Feltrinus auribus superciliisq; arrectior: Quid autem tibi nunc, ô Guarine, dixerim? nónne hoc ita breuissimè ac tersissimè dictum, ut nusquam in Virgilio tuo tale comperias? Cui Guarinus: Imò & in Marone breuius politiusque est. ut, Dare ciuibus urbem. Colonia autem à colonis dicta, in eam ciuitatem deductis, quam simul custodiendo habitandoque tueantur, * unum pulcherrimè, Modò Tyrij tenuere coloni. & ipsa Dido profitetur, Quos Sidonia uix urbe reuelli. Cæterùm haud dubium sit populos plurali numero complures

Theatris, legitur apud Poetā, Aenei. 1. & immanes, non immensas.

Aen. lib. 5.

Aen. lib. 1.

Sepultam lego apud Maronē, lib. 2.

Aen. lib. 5.

Fortè, Vnde legendum.

Aen. 4.

ciuitates significare, & elegantius poni quàm populum pro diuersis uel multis gentibus. ut,

Aeneid.1. Littoraq; & latos populos, quod propriè ad ciuitatum aspectum de cœlo pertinet. Ergo populus unius ciuitatis, populi multarum, ut in uno licet exercitu, multigeno populo dici

Aeneid.1. queant: proinde ab eodem poëta, Hinc populum latè regem, cum de Romana tantum ciuitate loqueretur. Differt & iuuentus à iuuenta, uel iuuentate, quæ uocabula à nostris turpiter confundũtur. Omitto uerò ludimagistros ac pædagogos, & qui curiali loquuntur consuetudine scribas atque tabularios: sed & qui Tulliani oratores haberi uolunt, hisce sermonibus* deuiantur. Enimuero sæpè dicam, Mementote de his apud uos potissimum me præcipere, quorum proprietatem poëtam oratoremq; pariter obseruare conueniat: ne frustra nunc opinemini alios in soluta oratione sermones, alios metrica oratione componendos. Ita iuuentus pro iuuenum multitudine, iuuenta pro ætate colligitur: placet quibusdam iuuentatem ad deæ naturam accommodari, ita ut iuuentam iuuentatemq; confundi aliquando non sit uitiosum. neque enim de iuuentute & iuuenta intelligi putem, ut de senectute & senecta, quæ idem significant. neq; uerò senectus pro ipsis senibus, uti iuuentus pro iuuenibus accipitur: sed senectus & senium ita ad ætatem semper, ut senes & seniores ad homines seu corpora spectant. quanquam seniũ pro extrema senectute satis accipitur, quã præcipitatã dicimus, uti senio uel æuo maturos, confectos, obsitos appellamus: ueteres autem

delectantur, legendum arbitror.

tem ſicut maiores, priſcos, antiquos dicimus, ratione temporis exacti, licet ad ſeniũ ipſi non perueniſſent: decrepitos uerò à clamore & ſenili moroſitate. Solent enim ſenes nimiũ queruli eſſe. Malè & dicitur fœmina ſenex, tametſi uir ſacer Bernardus dixerit: quod nomen duntaxat maribus accommodandum (non enim commune eſt, ut iuuenis, uel adoleſcens) ſed uetus fœmina dici poteſt: quanquam anus breuius dicatur, à græco ſumptum, quòd mente uel intellectu deficiat. Nam νοῦς mens eſt, & α ſine. Corrumpuntur ſanè ueterum libri pædagogorum librariorumque ſtultitia: ſi quando in Marone, Saluſtio, Liuio, cęterisque diſertiſſimis auctoribus & ſcriptoribus, iuuentutem pro ætate, hoc eſt, iuuenta, ſcriptum inueniũt. ergo cum illud loco ſuo remanſerit, Ante urbẽ pueri, & primæuo flore iuuentus, cum ſit iuuẽtas exprimenda: neque dubium eſt eos ita errare, qui militem & equitem pari ſenſu cõfundunt, ut hoſtem & inimicum, immò qui ſemper militem exprimunt pro eo, qui equus uel equeſtri ordine ſit appellandus. Putant enim à Terentio fortaſſe, Plautoque militem appoſitum pro eo, quem nos equitem dici, uel ex equeſtri ordine contendimus. Falluntur uerò. nam ſi uitam uerbaque illorum diligentius attenderint, omnia ad militiæ gloriationem & iactantiam ſpectare uidebuntur, non equeſtris ordinis dignitatem. ergo miles ab officio laboreque militãdi dicitur: poteſt itidem ignauus miles eſſe certè, qui in armis uel pedes uel eques exercetur. proinde totus exercitus hoc plerunque ſingulari nomine comprehenſus. Aeneid. 7.

At cum eum indicare uolumus, qui equestri sit ordine nobilitatus, eques tantum accipiendus est, uti uos nunc aureis bullis & phaleris insigniti uidemini. Quo patet, equites ab equestri dignitate nominatos: & quidem ab equo dici, quem meritus est equitare. ita enim maiores instituerunt. Apud equites censorium fuit officium, quod est uulgaris sermonis, consuetudo declarat. Eques quoque est dum quis equitat, & ipse eques dictus cum equitat: uti peditem à pede dicimus eadem ferè ratione, adeò ut ipse imperator uel dux, qui deformiter in latinis Capitaneus dicitur, tametsi Græcorum more κεφάλαιον pro eo accipiendum, qui sit auctor, uel caput, uel princeps ad tempus, quandoque pro milite poni debeat, uti Catilina Salustianus exemplo est, qui strenui militis & boni imperatoris officia simul exequebatur, nec minus egregiè. Virgilius dupliciter imperatoriam ac militarem artem in Pallante declarauit, quem uti ductorem equitum Euandrus, hoc est, ducem Arcadum suorum, Æneæ maximo imperatori discipulum asignauit à primis annis erudiendum, sua cernere facta, militiam, & graue Martis opus sub se tolerare magistro. Ac Terentius aptissimè: Noueram imperatoris uirtutem, & inde militum: quo satis apparet, Thrasonem militem indicari, non equitem, qui per ironiam imperator salutetur. Armiger autē ab antiquis, præcipueque à Virgilio, Qui Parrhasio Euandro Armiger antè fuit: nō pro quouis milite uel armato susceptus, sed qui domini sui, magnique herois arma secum gestare sit solitus,

Aeneid.8.

In Eunucho.

Aeneid.11.

ſolitus, ut lanceam, enſem, galeam, clypeum, & id genus: quod inſignis quondam fuit dignitatis, non gregarię conditionis ſeruulorum, uti nunc exiſtimatur: nam aurigę munus olim fuit mediocris munificentiæ. Commilitones, in eodem exercitu ſunt commilitãtes, uti * conciues eiuſdem ciuitatis: conterranei, contribules, & id genus. Sed ijdem ſermonum cõfuſores ſolicitum accipiunt pro ſolerti uel ſedulo, ut populari loquuntur conſuetudine: ſic ab ijſdem ſolicitudo pro ſolertia deſignatur, adeò ut ex noſtris quidam inter ſcientiſsimos habitus, auſus ſit uerſus edere præceptoris, quorum primus, Solicitus, audax, patiens: quibus perſuadere conaretur, lectorem ad bonos mores, ſeu rei familiaris curam ſolicitum eſſe oportere, audacem, patientemq́ue ſe præſtare. tria inuicem maximè contraria, cum ſolicitus ac ſolicitudo ad animi perturbationem, curã, anxietatem trepidationemq́ue pertineant, uti ſuperius de ægritudinis partibus dictum. Sedulus igitur atque ſedulitas, ſolers atque ſolertia ad ſtrenuitatem, promptitudinem, continuationem, perſeuerantiam, & gerendarum confeſtim rerum occaſionem & opportunitatem conuenit potius. Alius quoque ex doctiſsimis habitus, epiſtolarum uolumina congerens, Dabitur, inquit, diligentia & ſolicitudo, ut quàm optimè fiant. At Cicero contrà in ſuis epiſtolis elegantius: Solicitus eram de rebus urbanis, ita tumultuoſæ conciones, ita moleſtæ. & idem: Vehementer te eſſe ſolicitum, & in communibus miſerijs præcipuo quodam dolore angi. cuius oratoris

Conciuis, eius ætatis uocabulum, apud latinos autores nuſquã, quod ſciam, lectum. Ciuis meus, tuus, &c. ſemper dicitur, nõ cõciuis.

Epiſt. famil. lib. 2.

Epiſt. famil. lib. 4.

oratoris sermones, si ut quique locis suis compositi sunt, diligentius aduerterent, ne utique tot improprietatum luto uolutarentur. Itaq; Horatius mordaces solicitudines appellat. Ac perbellè Virgilius, Solicitos Galli dicamus amores: cum eundem furentem & insanũ manifestet. Quid mirum igitur ab Ouidio dictũ: Sit res soliciti plena timoris amor. Sicq; leguntur à pueris ueterum exempla doctissimorũ, quæ postea uiri reddere nesciunt, uulgaribus magis dictis inquinati, per quæ solicitus & solicitudo in promptitudinis & solertiæ partes accipiuntur tunc, cum maximè sese in literarũ cognitione præstare oporteret, ac longissimè pueros anteire. Nec in nomine tantum huius sermonis significationem, sed in uerbo quoq; ualere poëta demonstrat. ut, Quid, ô pulcherrime coniunx Solicitas ægram? ac in rebus etiã sensu carentibus perturbationem tamen intestinam exprimit: ut, Mare solicitum stridet refluentibus undis. Terentius, Qui meam solicitas senectuté: nempe cui quiete potius opus foret. Ita audax, ut positum modò, audaciaq; apud sermonum corruptores eosdem sanè uerius audaces, in partem sanam distrahuntur, quæ ad maleficium magis ac temeritaté pertinerent. nam audaces propriè sunt impudentes, corruptores, facinorosi, præcipites, sicarij, arrogantes, libidinosi, latrones, rebelles, proditores, discoli, cõtumaces, uiolenti, & id genus. de Catilina Salustius: Animus audax, uarius, subdolus. Cicero in Philippicis pulcherrimè, Audacior quàm L. Catilina, furiosior quàm P. Clodius: & idem unus inuentus est, qui id auderet,

Libro 1. carm.

Aecloga ultima.

In epistola Penelopes.

Aeneid. 10.

deret, quod omnium fugiſſet & formidaſſet audacia. Itemque, O incredibilem audaciam, ô impudentiam prædicandam. Quamobrem audens & audentia ad fortes ac magnanimos pertinebit, utcunque à uerbo àudeo utraq; deſcendant, adeò nonnunquam eiſdem uerbis utimur in diuerſa ſignificatione, non nominibus: interdum nominibus eiſdem, nõ uerbis. ueluti, Auſculto te, cũ pro audio dicimus: tibi autem, pro pareo. Itidem, Te conſulo, conſiliũ peto: conſulo tibi, conſilium do, eandem temporibus ſuis ſignificationis uarietatem demõſtrantia. Itaque Virgilius aliquando Pallantẽ audacem appellat, utique Æneæ uenientis imprudentia collapſum. Nam appetere uel impetere, quod non licet, audacis exiſtimatur, tum præſertim, cum ſacrificio dimiſſo, & cõtra ſupplicem uirum cum pacificis ſignis ſubeũtem, rapto telo properaret. Nec audacem Turnũ indicare poëtam admiremur, quem uult bellum impium contra Troianos & ſoceri regis conſilium aſſumpſiſſe. Cur autem Aſcanio, quẽ uult patri ſimilem fore, audaciam quoq; aſsignat? ut, Audacibus annue cœptis. nam dici potuit Audentibus, tum potiſsimè, cum Remulum amarum hoſtem eſſet intercempturus. Quia ſcilicet præter ætatem id graue Martis opus aggrederetur, à quo mox deſijt, ſatis illius morte glorioſus. Ita confidentia in malis eſt, ut impudentia & audacia, præſertim cum aggeratur. ut, O confidentiſsime. quaſi diceret, audaciſsime, uel temerarie. nam confidens nõ ſemper improbus, ſed aliquando conſtãs grauiſq;, cuiuſmodi Terentius Critonẽ dicit confidentem,

Aeneid. 8.

Aeneid. 9.

Aeneid. 9.

tem, ipſius uiciſsim græca nominis ſignificatione futurum iudicem, & litis terminatorē. Contrà Phormionem pari uoce, ſed non ſenſu confidentem, quem improbum, uerſipellē, callidum notari uult, & eum proprio nomini conuenientem. At fiducia, ſicut fidus in bonis: fidentia, non habetur. Continentiam quidam aſſerunt, cum uoluptatibus abſtinetur: abſtinentiam in alienis non occupandis. ſic eorum nomina poſsidentia continens & abſtinens, & eorum uerba. Ad hoc, Vis, ui, uim, non continuè in bonis ſunt, ſed pro multitudine interdum: ut, Odora canum uis. pro multitudine, uel quantitate: ut, magna uel ingens uis pecuniæ, frumenti, ueſtis, armorum, ſupellectilis: adeò ut cum magna uis hominum dicatur, pro multitudine potius, ſicut manus non pro eorum uiribus accipias, at pro uiolentia, iniuriaque: ut, uirgini uel matronæ uim inferre: interdum & pro fortitudine, non tamen quę ſit uirtus appellanda, niſi uirtutem pro potentia ſubijciamus, ſicut uirum à uiribus dicimus. Inde Virgilius, Auxilioque leuare uiros, uimque addere uictis. Et Saluſtius: Sed omnis noſtra uis in animo & corpore ſita eſt. potentia ſcilicet, quæ Græcè δύναμις. Ac Terentius, Nouerā uim militum: tametſi ironicè pro eorū iactandis uiribus, in quibus nullæ forent. Ita Catilinam Saluſtius magna ui animi & corporis eſſe deſcribit, quam in malo homine à natura uult eſſe compoſitam. nam quæ uirtus eius animo fuerit, cuius ingeniū malum prauumq; deteſtatur? At enim uires tam animo quàm corpori ſcienter accommodantur. Quos ſanè ſermo-

Aeneid. 2.

In prœm. Catilin.

Eunucho.

sermones suis locis in oratione quàm diligentissimè, & pro ueterum more locari couenict, non pro confusa uulgi cosuetudine. Copia, rerum abundantia frequentius, aliquado pro facultate, potestate, licentia: ut, Coràm data copia fandi. & hoc in simplici numero, in plurali autem ad militaré spectat multitudinem. Sunt & multi sermones, quos instar tumultuariæ sequar expositionis, in quibus etsi oratoriè periti non aberrant, at certè qui sese peritos haberi contendunt, plerosque falli uideo: quamobrem pro illorum haud dubiè utilitate differendum est. Innocuus & innocuè malè ponitur in agente, si quicquam Virgilianæ credimus eloquentiæ. nec mirum à nonnullis oratoribus prauè susceptum, cum Ouidius etiam ex antiquis errauerit, uel certè à Maronis eloquio dissenserit, innocuos boues appellás circa maioris operis exitum, pro eo quod est, innocentes uel innoxios. Proinde cum in agente nocens & noxius sint, sicut sons & reus, quibus contraria sunt innocens & innoxius: nocuum & innocuum intelligi par est pro eo, cui nocetur, uel non nocetur. Ita de patiente fuerit, non agente. ecce exemplum in decimo Æneidis de nauibus Hethruscorum:

Aeneid. 1.

Metamorph. lib. ultimo.

Omnes innocuæ, sed non puppis tua Tarchon. quam euestigiò fluctibus læsam ostendit, ne propter id ipsam nauem intelligendum relinquitur uiris nocuisse, quos medijs aquis exposuerit, ideoque nocuam sicut nocentem restitisse. Non enim ipsa sibi, nec uiris, sed aqua nocuit. bene igitur reliquæ innocuæ, hoc est illæsæ à naufragio, non

autem

autem pro innocentibus accipiendæ. Intempestiuus & intempestiuè, hæc duo extra temporis opportunitatem intelligenda sunt, scilicet cum non sit aptum tempori. non igitur est solum ante tempus, ut plerique arbitrantur, Boëtij exemplo decepti: qui si canos sibi dixerit intempestiuè contigisse, hoc est, ante communem ætatem incanuisse, non impropriè dixit: unde intempestum mediæ noctis tempus, seu noctem intempestam dixere. ut Virgilius, Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat. non dictum constat sine tempore esse, sed sine certi temporis discrimine, ob tenebras densiores, & altiorem animantium taciturnitatem, quod noctis tempus Græci ἀωρονυχίαν appellant. Aliquis & quidam ita differunt, ut primũ de incerto sit: sicut Virgilius, *Audiat hæc aliquis, uel qui uenit: adhuc incertum est de nomine, sed de quodam tamen uiro. post certum subdidit: nam sequitur, Ecce Palæmon. nunc quidam homo, scilicet Palæmon intelligendus inter eos pastores incidisse, cum prius aliquis uenturus optaretur. Eodem pacto ex Didonis imprecatione cognoscitur, apud eam incertum fuisse quẽ diceret, Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor: cum apud alios de certo Hannibale subintelligatur, & hoc certũ est. *Quinetiam festis quędã exercere diebus, Fas & iura sinunt: cum statim addat, quæ sint illa uulgò notissima. apud Græcos nulla uidetur differentia ex suo uocabulo. Auarus pro parco malè confunditur, cuius est cupiditas ipsa auaritia, à Græcis expressius notata, ad amorem argenti seu pecuniæ, φιλαργυρία. Parcus autem,

De consolat. philos. carm. 1

Aeneid. 3.

Audiat hæc tã tum, nunc legitur in Virgilio.

Aeneid. 4.

Quippe etiã, habẽt edita exemplaria, Georg. lib. 1.

autem, unde parſimonia, laudabilis eſt, idem continens modeſtusq́;, ſicut prodigus illaudatus. Alter & alteruter, de duobus ſemper intelligendum, in quibus dualitatis numerum, ut ſic dixerim, Græci compoſuere. Alius, alia, aliud, de tertio quolibet, ſeu de compluribus: necnon in plurali numero eadem norma ſeruanda, ut alteri uel alteræ homines uel partes, altera litora. Sic alternatim, & alternus ad alterum pertinent, ſed mutuò. Quinetiam in complurium enumeratione, cum de duobus tantũ electiuis eloquimur, rurſus ad alterius mentionem accedere nõ eſt improprium: ut apud Pomponium Melam in Coſmographia, cum de quinque mundi zonis edixerat, ad habitabiles deſcendens, alteram, inquit, antichthonas, alteram nos incolere. Item pro ſecundo ſæpè alterum per enumeratioнẽ exponimus: ut, Primum hoſtem occidi, alterum cepi, tertiũ uerò fugaui. Contrà in demonſtratione perſonarum, tametſi de duabus mentionem afferamus, non de altero tamen dicimus, ſed de alio pronomine: ut hic iſto, uel illo, præſtantior eſt. In rerum inſuper multitudine tam incorporearum quàm corporearum, quæ duobus impartiri debeant, ſimiliter per alius, more Saluſtiano, quàm per alter potius explicabitur. nam de Catonis & Cæſaris ætate, genere, eloquentia, magnitudine animi, gloria dicẽs ſubdidit: Sed alia alij. ſic de Pompeio & Lucullo ſi dicerem, Ædes, uillę, diuerſoria, rei militaris peritia, æqualia illis fuere, & gloria, item literarum ſtudia: ſed alia alij. Acta dici par eſt, non actus, cum de geſtis uel factis indicamus: quo

Geogr. lib. 1.

Valla Eleg. libro 4. cap. 9.

n rectius

rectius poni uidetur de actis, quàm actibus Apostolorum. nam & histrionum actus in scenis, & magno mons improbus actu dicitur: quamuis utrunque ab agendo, alia tamen res est: præterea gesta publicè, maiora: acta priuatim, & minora. ergo annales quasi annuales, gesta sunt, quæ etiam ætate nostra esse potuerunt, ut quæ in annos singulos annotentur. Historia præter nostram ætatem & memoriā: unde historici, antiqua scribentes. nam à uerbo ἱστορῶ, specto, quòd mente spectare liceat, quæ oculis intueri non possumus.*Inde hiscopus genus nauis exploratoriæ, & episcopus explorator. Angiportus & angiportum, pro uico quolibet angusto & paruo, non quòd exitu careat, ut quidam putauere. Alumnus, qui nutrit, nutrijt, & nutritus. Album, ut lac, lana, nix, & albi flores: inter quos tamen candida lilia, uirginumque colla candida, Virgilius appellat: quo quidem apparet, album & candidum solere confundi. nam candidum sicut nitens frequentius habeatur, & quadam luce præfulgens: ut uitrum, aqua, grando, aër liquidus, & id genus. Ager non solum campus, uel aruum ubi seritur, sed omnis tractus alicuius ciuitatis uel prouinciæ, cum eius adiectione significatur: ut, Romanus ager, uel Gallicus. Cæterùm aruum propriè ab arando, serendoque dictum, cum tamen ager dicatur ab agendo. Prædium omnis possessio, ut campi, prati. uineæ, pascuorum, & id genus, unico uocabulo continetur. quanquàm de huius generis sermonibus in iuris libris antiquorum disertius recognoscatur: quid item fundare. &

Aeneid.12.

Gell. lib.5. capite 18.

Ergo, Catascopium, siue catascopus.

Digest. de Signifi. uerb. & Laurent. Valla Elegant. lib.6. cap.41.

fundamenta iacere: quid cœnaculum, an superior locus sit ad cœnandum accommodus, an cœnationem inferiorem magis existimemus: si fœnus solius tantum terræ fructus, an & aliarum rerum, ut pecoris atque domorum, an peculium ea omnia potius amplectatur: quid inter libertum & libertinum. nam & Terentius libertum, & Salustium ex Libertina gente dixerunt: quid inter leges, instituta & institutiones interest: & id genus plurima, quæ nobis exequi nō licet, frequentiori duntaxat nostrorum uoluminum lectione continentur. Barbarus non solum ille habendus, qui Africam incolit, cuius nationem à nobis remotissimā uulgò Barbariam appellant, & quicunque à latina familiaritate dissentiens: uerumetiam aliquando contemptim pro hoste designatur, & quidem pro inani & ciuili more, penitus alieno homine, cuiusmodi Virgilius usurpauit in Tityro, Barbarus has segetes: cum tamen ex Italia gente fuisse constaret. Proinde Romanæ maiestatis intuitu, Barbaras sæpè historici Gallias & Hispanias appellant, quamuis latino sermone nobiscum utentes, & Persas: cæteras mundi remotioris nationes, græcorum cōparatione, qui cum Alexandro militarent, in barbarorum numero recensuit. Vnde barbarismi ineptæ loquutionis denominatio cōperta. Quoniam uerò de barbaro & hoste cœpta mentio, id quoq; non omittendum. Hostes in *perditione peritos esse dicimus, & ipsum duellum plerunq; pro communi bello: ut, Galeatū serò duelli Pœnitet. Hostes igitur ut inimicos publicos dixere, qui nobis, aut quibus nos publicè

forte, prædatione: nam paulo pòst prædones, hostes appellat.

publicè bellum indiximus: cęteri latrones aut prædones appellati ſunt, & hoſtire æquare, unde hoſtes. Inimicum autem pro infeſto quolibet, aduerſarioque, quē interdum ignoramus, perniciem tamen nobis machinantem. Quo

Aeneid. 9. in exemplo eſt Virgilius de Euryalo & Niſo: ut, Caſtra inimica petunt: non propter id ſolum, quòd hoſtilia eſſent, ſed eis exitio futura. Græci hoſtem & inimicum uno ſæpè uocabulo ἐχθρὸς comprehenderunt: πολέμιος etiam habentes, qui ſermo à dimicando & præliorum exercitio procedit. Præterea cũ de Gallijs modò, Hiſpanijsq; diceremus, aduertendum cenſui, antiquati moris eſſe citeriores & ulteriores eas appellari, de Romana ſcilicet auctoritate, non ex eo tantum, quòd cis uel trans montes & alpes conſiſtant (nam ubicunq; ſit citerior uel ulterior, ſemper eſt ea prouincia iam dicta) cum longius aut propius Romano imperio conſtitueris: unde nonnulli falſi ſunt, literis ſuis ulteriorem & citeriorem ſcribentes

ex ſtatu, pro, ex loco. *ex ſtatu ſcribentium. Quippe qui rex eſt ulterioris Hiſpaniæ, quam ipſi barbaro uocabulo Caſtellam dicunt, non prouinciam ſuam citeriorem rectè appellare queat, quòd ante ſe Iberum flumen aduertit: ulteriorem uerò, ubi Cæ

Tarraconenſis prouinciæ, legendum. ſarea Auguſta ſit, eius *terræ Comenſis prouinciæ caput. Quamobrem non fluminum, non alpium interiectione ſola hæ prouinciæ tales cognominationes ſortitę ſunt: ſed Romani imperij dignitate, in cuius memoriam uenerationemq; perpetuã par eſt poſteros eas ſic regiones appellare. Barbam tantum uiris pleriq;, barbas cæteris rebus etiã aſsignarunt: ut, barbato

bato pecori. Sed à magno Plinio, eodemque ſcriptore maximo, hirco pariter barba * deſignatur: non herbæ tantum, cuius barbas & fibras appellat, tametſi idem poëticis interdum utitur uocabulis, in quibus cum de plurali numero magis agatur, tamẽ Horatius dixit, Vtq; lupi barbam. Neq; uerò impropriè Virgilius barbam Atlanteo monti deſignat, quãuis non homini: ut, Glacie riget horrida barba. quippe ut barbatum ſenem indicare domini præſentiam exhibentem, nõ abſurdum poëtæ uideatur. Quinetiam neceſſe ſit, ſeu humanis ſiue ferinis barbis pluralitatem ſuam adhibere: ut ab eodem, Stiriaq; impexis induruit horrida barbis: pluralitatem ſuam adhibet, ſeu de pecore minus, ſeu magis de accolarum barbis intelligamus: ſicq; rigor ad duriciem, non horrorem pertinet. nam de horrore, ſatis eſt horrida barba, ideoq; rigorem iuſtitiæ, tanquam nimiam ſeueritatem & duritiam appellamus, non horrorem. Ceruix colli pars poſterior: ceruices, ſuperbiam, oratoriè, poëticè tamen pro collo. &, Crinẽ ceruicibus afflat, pro crinibus & ceruice compoſitum ab Ouidio legimus. Iugulus anterior colli pars, * morti ſubiectior: unde dicitur iugulatio, collum omne gulam circum ueniens. Carcer, cuſtodia, uincula, cathenæ, uel noxiorum, ſeu captiuorum. nam & in exercitu agmineq; carcer dicitur, quemadmodum apud Curtium Darius cum ſuis militibus de matre, liberis & uxore conqueritur, quæ in illo Alexandri carcere mortua fuiſſet. Carceres autem equorum repagula, uel caueæ dicũtur, è quibus ad curſum effunduntur. Cingulũ, bal

deſignandi uerbo, pro aßignãdi ſæpè abutitur.

Aeneid.4.

Georg.3.

mento, ſine dubio legendum.

theus & zona,hominum:cingula,cingulæ,animalium cæterorum. Comes præſentiam exhibens,ſed minoris ad maiorem.Socius etiam dicitur abſens alterius perſonæ, pari negociatione coniunctus: præterea comis & comes benigni, faciles, ſuaues homines dicuntur. Carbo extinctus,à carendo dictus: impropriè ergo ignei uel igniti carbones, ſed pruna igne non carens,à perurendo dicta. Pruina propriè matutini temporis: prętereą,focus non ſolum pro ipſo igne,ſed omni flammarum nutrimento,quo ignis uel excludi ſolet, uel contineri, ideoque lares foci dicti. Clypei minores,ſcuta maiora:ergo, *Compoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes. Ceſpes, herba quælibet cum propria terra auulſa. Conditio bona malaque non ad mores,ſed res magis exteras, ut fortunæ ſtatusque mortalium: & aliquando pro pactione conuentionéue, & hiſce uerbis adiungendo: Conditionem dedit, uel data conditione obtulit,habuit, poſuit,fecit. Terentius,Conditionem accepit. Comicus,comœdiarum ſcriptor: comœdus,hiſtrio: ſic tragicus, qui tragœdias ſcribit, tragœdus qui eas pronunciat. Callis, uia pecorum inter herbas: ſemita hominum, quaſi ſemi uia uel iter, quam Hiſpana lingua ſentam uocāt: uia publica eſt, uehiculis idonea. Calliditas in malis ſemper, quamuis callere non ſemper: aſtutia in bonis utique.nam ab urbe,quæ græcè ἄστυ, & urbanitate dicitur. Cauillator, peior quàm calumniator:ſic cauillatio, & calumnia. Hic enim falſo accuſat, ille falſis accuſatū dolis inſuper & ambagibus irretit.Idē ueterator,

Impoſitum, legitur Aen. 10.

In Andria.

tor,hoc eſt,inſidiator & fraudator, callidus appellatur. Dapes regum & deorum,epulæ priuatorum:confunditur tamen in metro. ut, Epulæq́; ante ora paratæ Regifico luxu. Dies, ut libet * in quacunq; declinatione, * pro uno die. Sic à Virgilio,optimisq́; ſcriptoribus: non ut quidam præfinito deſcripſere,alio genere in præſenti,alio in futuro, præteritóue tempore diſtinguendum. pro tẽpore ſanè in fœmineo, ut longa uel multa dies:unde diecula, exiguũ tempus. Decus ad laudem, famam, gloriam extenditur:ut,Maro uel Cicero linguæ decus: &, O decus Italiæ uirgo. Decorem propriè à natura poſsidemus:ut,Namq; ipſa decorã Cæſariem nato genitrix,lumenq́; iuuentæ Purpureum,& lætos oculis afflarat honores. Decorum autem,ornamentum domus,& cæterarũ rerum dicitur, quod ubi hominibus aptũ atq; conueniens exiſtimari queat: ut in Priameio palatio, Veterũ decora alta parentum: cuius media corripitur,alterius uerò producit. Donum ita differt à munere,ut inter genus & ſpeciem,ut logici dicunt. nam in genere donum, in ſpecie munus. Munus cum cauſa donationem exiſtimant intelligendam, uti natalitium ſiue nuptiale: & munus, officium eſt.græcè non differunt, utrunque δῶρον appellando. Donaria in templis ſunt,ubi oblata deorum congeruntur. Daniſtæ fœneratores, Dynaſtæ potentes, utraque à Græcis ſumpta uocabula. Dij patrij ſunt ſingulis ciuitatibus præſidentes, ut quondam Minerua Athenis, Iuno Carthagini: ergo & noſtra religio ſua tenet numina, ut hæc Ferra-

Aeneid.6.

in quocũq; genere,non declinatione: &, pro quouis die,non uno.

Aeneid.11.

Aeneid.1.

Aeneid.2.

riensis ciuitas Georgium, Florentia Baptistã, & id genus. Deos item Græcè, cum accentu *in postrema, à nobis timor, metus & religio interpretatur, nec abhorret Statij poëtæ senté tia: ut, Primus in orbe deos fecit timor. Adhoc religiosus, & homo est religionem colens, & locus religiosus dictus, qui colitur. Dius præterea adiectiuum, generosus est: ut, Dia Camilla. ut Virgilius, & sæpè Homerus hoc sermone in heroas utitur, ut dius uel generosus Achilles. Quod haud mirum est hominibus dari, cum ab eodem Hectoris equi, dij similiter appellantur. Cæterùm ut alia ex alijs sententiarum exempla omnia adducam, impossibile est, nec quidem necessarium existimo in literarum ordine, sed pro arbitrio meo uobis sermones enumerare statuo. Ille igitur & ipse, ueluti dius, modò à poëtis & oratoribus non ad honorem solum, quod frequentius est, uerumetiam ad infamiam, tempore & loco disponuntur. In electissimis sæpè Virgilius: ut, Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem. &, Ipse iugis Cynthi graditur. &, Ipse inter primos. item, Pascentes illæ tantum prodire uolando. Eodem modo dicitur, Ille rex potentissimus Persarũ Xerxes. cõtrà, Ille flagitiosissimus Catilina, ille parricida Nero: at Græci huiusmodi pronomina sæpè confundunt. A toga, togati: ut ex Virgilio, Gentemq; togatam. à pallio palliati, à trabea trabeati, à prætexta prætextati: genera uestis sunt apud Romanos ueteres, ꝓ magistratus & ætatis qualitate. Stragula & lodix, uestimenta quæ lecto sternunt̃, à Græco omnia. Cæterũ de uestis nominib', de nauigij, colorum,

*in prima, sine dubio legendũ

Aeneid. 11.

Aeneid. 1.

Aeneid. 4.

Aeneid. 2.

Aeneid. 6.

colorum,armorum,quæ ubiq; in libris ueteribus referuntur,non eſt nobis præſens diſputatio:ad reliqua potius, ut inſtitutum eſt de nominibus uarijs, paſsim procedamus. Quaternio uel quinternio propriæ uetuſtæq́; militares ſunt appellationes, non uoluminum ſeu libellorum,qui melius pro communi uſu quaterni uel quinterni dicuntur. Etenim eiuſdem generis ſunt Decurio Centurioq́;, & in ſacris ſcripturis non impropriè, eo potiſsimum loco dicitur in Actis Apoſtolorum de Herode, qui Petrum in uinculis cuſtodiẽdum quatuor * quinternionibus militũ tradidit. Fuit & Primipilus antiquè Centurio, teſte Liuio ab Vrbe condita ſeptimo: Centurio erat, qui nunc primipilus appellatur. Tertio, quarto, quinto quoq;, & nec quoquo anno dixerũt: neq; quolibet ſexto uel decimo anno, ſeu quolibet quinquennio uel triennio, uel ſingulis quinquennijs ineptiſsimè. Itidẽ in ſeptimo caſu melius, paulo pòſt, multo antè, quâm paulum uel multum: quemadmodum eo plus, eo minus, quo magis, quo minus, potius eloquimur. Priſca, uetuſtioris ſunt ætatis: priſtina, quę uel noſtra eſſe potuere, uel certè patrum noſtrorum tempeſtate. Prodigium, quod in longum tempus porrigit, ſignificationem habet: nam portentũ omne monſtroſum eſt. Sanies uiui, & tabes cadaueris, ſiue tabum in toto ſingulari declinabile. Virgilius utrunq; mirè complexus, cum de mortuis ad uiuos alligatis diceret, Sanie taboq́ue fluentes: &, Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis. Aes alienum, non quod alij nobis, ſed quod nos alijs debemus. nam æs meum uel

Cap. 12.

* Τετραδίοις, *id eſt, Quaternionibus, ſiue quaternis, legitur.*

Aeneid. 8.

um uel noſtrum dixero, quod alij nobis debent: aut tuum uel ſuum, quod ab alijs tibi uel ſibi deberetur. Æra aliena non dicitur, ſicuti nec æraria, uel ærarium, uel theſauri legitur. Inuenitur & euenta, euentorum, euentis. Tullius, Si euenta quærimus ab auibus. Aduertendum præterea nomina, quæ in bundus terminantur, pro participiorum pręſentis temporis ſignificatione conſtruenda, non quæ ſimilitudinem ſignificent, auctorę inſuper Aulo Gellio: ſed præſentiam, uti dico, participiorum in ans uel in ens. eiuſmodi autem in bundus rara ſunt, quoniam ab omnibus uerbis non formantur. frequentiſsima ſunt, moribundus, uagabundus, furibundus. nam in metro conueniunt. Quandoque lætabundus, amabundus, uitabundus: nunquam audibundus, dormibũdus, legibund⁹, ſcribibũdus, & id genus: qđ facile cognitu eſt noſtris aurib. nõ cõuenire. Aliquãdo Saluſtius, Quaſi uitabũdus, dixit: quo exemplo conſtat, quid accipiendum ſit, cum addiderit Quaſi. ergo ut uitans, non uitanti ſimilis. Nec enim dictu conueniet, ut quis uagabundus ſit, niſi qui uagatur: furibundus, niſi qui inſanit, & eiuſmodi. De datiuis uerò ablatiuiſque caſibus in abus, ex fœmineo genere formatis, nullam uideo neceſsitatem, nec ferè rationem, qua oratores noſtros uel poëtas deceat uti, quanq̃ apud iuris ciuilis ſcriptores ſępè reperiant̃. Sed eorũ alia perquiſitio eſt, qua expreſsius hominum & animalium qualitates eloquantur, dicantque ſic libertis & libertabus, quemadmodum libertos & libertas appellare neceſſe ſit. Eiuſdem generis ſunt filiabus,

De Diuinatione.

lib. 11. cap. 15. & Valla Eleg. lib. 1. cap. 9.

L. Valla Eleg. lib. 1. cap. 1.

bus, equabus, mulabus. ergo & asinabus ridiculi poëtæ habent. nam animabus, dominabus, atque deabus (quanquam deabus fortè nonnunquam) mimine legitur. Certè neque Cicero, cuius tot extant opera, non Virgilius cæteriúe ex præstantissimis auctoribus, hisce terminationibus usi sunt, sed per orationis ambitum ad alios casus potius diuertere: ut animis & dominis, non animabus dominabusúe dixere. Quinetiam à nominibus, quę in osus formantur, cum frequentiora sint: ut, animosus, studiosus, inuidiosus, exosus, & multa id genus. A uirtute tamen uirtuosus nõ habetur, quamuis eius contrarium, à uicio uiciosus: sed uirtute præditus. neque industriosus, sed industrius adiectiuũ. Dicitur & inglorius, ut à Virgilio sæpè, non ingloriosus. non glorius reperitur. Exanimus & exanimis in communi genere, penitus mortuus: exanimatus autem, terrefactus, stupefactus, præ timore trepidans. Exequiæ sæpè omnes in defuncto cerimonias comprehendunt: funus & dum procedit, & dum crematur uel sepelitur. nam inde funales & funalia dicuntur. Excubiæ nocturnæ & diurnæ sunt, sicuti custodiæ uel stationes, siquidem diei pars in noctu computatur: uti sunt, qui prius uigilantibus in stationem successere usque lucis partem primam, quod ex Niso Euryaloq; ꝓbatur: ut, Illi statione relicta succedũt. ergo scieter in 4. Æneid. Excubias diuũ æternas: q; nocte dieq; fierét. & sanè uox sermonis indicat nocturnas diurnasq; dici custodias, ꝙ extra cubationẽ cubiliaúe, hoc est, dormitionẽ, uigilet.

Georg. libr. 2. & 4. Aen. 10. & 11.

Aeneid. 9. Succedunt, seruantq; uices, statione relicta.

Potus,

Potus, qui est in usu communi: potio, quæ datur à medicis: confunditur tamē, ut poculum, quod ad omnem utile est potationem. Poma, omnis fructus arborum cutis mollioris, sicut glandes corticis durioris: mala duntaxat intelligēda ea, quæ patrio sermone poma uulgus appellat, ut ex poëta deprehenditur, Malo me Galatea petit lasciua puella: quo puellæ sæpè pro pila utuntur. Item, Aurea mala decē misi, cras altera mittam. nisi etiam præter ea, quæ uulgò cotonea poma nominantur, Persica uicissim accipiamus. nā alio in loco legitur, Cana legam tenera lanugine mala. Pestis, à pestilentia sanè differt, in quibus sermonibus à nostris quātumlibet doctissimis erratur, pari sensu confundentibus: quod non uetustas, non ipse Liuius admittit, tametsi unum ab altero pendere uideatur, apud quem de eius morbi genere frequens memoratio. sed pestilentiam tantum uel cœli inclementiam dixere: pestem autem pro quouis grandi malo inopinato, diutino, importuno, seu intolerabili: quale est captiuitas, seruitus, naufragium, dira tempestas, illuuies, squalor, fames, sitis, ulcus, odor, fœtor, impetus, sæuitiaq; animalis, ignis torrentis, aquæ, ruinæ, terræmotus, & id genus. ergo non expresse seu simpliciter pestis pro pestilentia describenda, nisi per orationis ambitum, ut si nouū pestis genus simpliciter pestis eius morbi cogitationē appellemus. Famę rumorisque, testis est etiam Quintilianus, primum sermonē de re certiori, sicuti in tota ciuitate uel prouincia: alterum de incertiori, ut apud pauciores malignitatis & inuidentiæ causa. Platea, quælibet

Virg. Palæmone.

Virg. Alexi.

quælibet uia lata, non solum ante curiam templum ue: à græco dicta πλατεῖα, ut Platon à latis humeris. Pluuias appellamus lentas & iuges: imbres, repentinos. quale est: Iuppiter & læto descendet plurimus imbri. Lassum & fatigatum tam animo quàm corpori nonnunquã adhibetur, sicut labor ad utrunq; : sed fatigatũ de corpore frequentius. Tædium, animi angor: languor itidem, ad utrunq;. Marinum omne quod in ipso mari gignitur, uel alluitur (nam & scopuli marini, rupes cautesq́; marinę dicuntur) maritimum autem oppidum, litus, insula, & id genus. Transmarinum tamen populum, uel transmarinam gentem dicimus. Operæ sicut operarij sæpè pro hominibus operantibus. Lanistas non ut lanificium exercentes posuere, sed gladiatorum dominos (nã lanij ad macellum spectant) qui paria gladiatorum ad pugnam uenderent, in qua siquis fortè periret, mercedem accipiunt. Latinæ latinarũ, sacrificij ludiq; genus celeberrimi apud antiquos, ad quas omne Latium confluebat. Lacus, unde lacunar. Non est in usu * tabulatum, tectumq́; cameratum, quæ alio, nec difficili nomine testudo nuncupatur. Ludus itidem, qui sermo inusitatus est, pro schola habetur puerorum: unde ludimagistri, hoc est, discipulorum præceptores. Visus, in nobis agens est, *ut agens uisum: & uisa, in eis quæ cernuntur, uel cerni uidentur, ut in somnis. Sic sensus in nobis agens, sensa quæ sentiuntur. sic de tactu, gustu & auditu : nam eadem est norma istorum omnium exteriorum sensuum : adde & olfactum. Vanus sine utilitate sui mentiens, & idẽ

Virg. Melibœo

Tabulatum in singulari non est in frequenti usu: quo tamẽ usus est Cato de Re rust. lib. 3. Idem dico de cameratum. nam con cameratũ potius dicunt.

Lego, At, uisum & uisa in eis.

fatuus

fatuus ac stultus: mendax, callidus ad propriā utilitatem, seu qui mendacium sui commodo dicit. Virgilius de utroque, Nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, uanum etiam mendacē̄que improba finget. Volunt prȩterea nonnulli mendacium spontè dici, sed mentiri* uoluntarium. Venalis & uenale, quod uenditioni expositum est, & dicitur à ueneo : uendibile, quod facile uendi possit. Auctio uerò, emptio & uenditio dici solet, quòd utraque pars augeatur. Fideiussor in promptu est pro debiti solutione, fidem præstans. Vas uadis, præs prȩdis, fidē dans de restituēdo quempiam ad prȩfinitum spacium, & ni reus compareat, pro eo uel capitis periculum, uel pecuniæ multam subiturus. Obses in potestate principis uel ciuitatis substitutus Ministeria nonnunquā pro ipsis ministrantibus, sicut operas pro operantibus, & ministerium pro ipso opere uel operatione. nam est officij popularis, cuius generis ministrarij lingua Hispana, non ministri, dicuntur. Mysterium, diuinus cultus, cuius adiectiuum mysticus : unde, Mystica uannus Iacchi. Supplicia & seruitia à Salustio pro supplicationibus, & seruis apponūtur. Item suppetias Cæsar in suis scripsit Commentarijs pro auxilio : ut, Suis fugientibus suppetias ire contendit. pro ad auxiliū. neq; amplius habetur, quàm in accusandi casu plurali. Itidem inficias, ut ab A. Gellio, Nec inficias eūt: id est, nō mentiuntur. ab ficior sanè: unde inficiator propriè reus dicitur, qui euitandi periculi causa negat se debere, quod actor petit : uel cōmisisse, quod accusator apponit. unde status coniecturalis,

Aeneid. 2. *Gell. lib. 11. capite 11.* *Non uoluntarium, lego.* *Georg. 1.* *In coniuratione Catilinaria* *Lib. 5. de bello ciuili.* *Valla li. 6. capite 9.*

ralis, inficialis appellatur, in quo reus ſemper inficiatur, uel inficias it, quod eſt uerbo negare: nam negatur & opere. Quæſitores alij ſunt quàm quæſtores, à quæſtu, qui ſcilicet exercẽdis quęſtionibus præſunt: ut, Quæſitor Minos urnam mouet. qui nunc uulgò inquiſitores dicuntur. Quadruplator, delator ſeu accuſator criminum publicorum ſub pœna quadrupli, ſiue quòd ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſauerant, quartam partem aſſequebantur. Præuaricator itidem apud iuriſconſultos, qui cauſam aduerſarijs donans, ex parte actoris in partem rei concedit. Peculator, qui furtum de pecunia publica committit. Petulcus, à petendo dictus, luxurioſus eſt & laſciuus. Syluam ueteres appellauerunt ad uſum lignandi communem, quæ propter id etiam cædua diceretur, quoniam ex lucis incidere piaculum fuerat, quos alicui numini uel heroi dicarunt, eundem etiam nonnunquam Syluanũ appellantes: ſed & abundans campus herbis ſylua dicitur, ut, Subit aſpera ſylua, Lappæq́;, tribuliq́;. Saltus, campos paſtorales propriè, in quibus alantur pecora, uenationi & aucupio idoneos, ideoq́; inuios itinerantibus arbitrantur, quorũ ideo cuſtos ſeu paſtor ſaltuarius dictus eſt, nõ à ſaltando. Necatus propriè gladio, & per iniuriã: ſtrangulatus, fune, faſcia, manibus: enectus, ut aliqua tẽpeſtate uel ruina obrutus. Pius, qui etiã caſtus dicitur & pietas nõ ad humanitatẽ cõtinuò ſeu manſuetudinẽ pertinẽt, ut pleriq; putãt, æquè piũ & clementẽ, uel placabilẽ, accipiẽtes: ſed ad diuinã in primis uenerationẽ, maiorũ obſeruantiã, miſerorũ opem, inſe-

Aeneid. 6.

Digeſt. lib. 47. tit. de Præuaricat. & li. 48. ad S. C. Torpil.

Georg. 1.

Saltuarius, in L Si ita. Digeſt. de uſu, &c.

insepultorum humationem, quam idcirco pietatem græci εὐσέβειαν dicunt, uti bonam uitam uel sanctam, seu bonum uel laudabilem uiuēdi morem: cuiusmodi Aeneas in protegenda patria, in efferendis, tutandisq́; genitore, uxore, filio, & penatibus dijs excolendis, pius appellatur. nam & misericordem fuisse Nisus ostendit: ut, Te lapsorum miseret: & Miseni Pallantisq́; funeratio, in defunctum Lausum insignis magnificentia, & pleraq; id genus. Certè Horatius pietatē apud mortales pro maxima uirtute ponenda indicauit: ut, Nec pietas moram Rugis, & instanti senectę Afferet, indomitæq́; morti. Pleriq;, pleraq; & plerunq;, maiorem semper partem intendunt, & totam, secūdum Donatū super eo Terentij loco: Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli, asserentē, alterutrum superfluè positum, cum ambo idē significent: nos tantum maiori parte contenti. ex minori autem, ut nonnulli, alij, quidam & aliqui, aliquando, nonnunquam & interdum. quanquam Plerique à ueteribus, pręcipueque Salustio pro quibusdam positum apparet: ut, In diuisione orbis terrę plerique in parte tertia Africam posuere. & à Plinio minore compluribus exemplis. Repetundarum, & repetūdis dicitur, aut cum princeps uel populus confinis alteri populo uel principi hominem, pecus, pecuniamúe, aut quoduis aliud ex agro detrahit, pro quibus repetundis legati sæpè mitterētur: aut repetundarum lege fuit, quemadmodum populariter sindicari quempiam dicitur, qui cum potestatem uel magistratum haberent in prouincia, præsertim pecuniam aut munera

Aeneid. 5.
Aen. 6. & 10.
Labuntur anni, lib. 2. Carm. Ode. 14.
In Andria.
In Iugurt.

perperam

perperam accepit,ex templis abſtulerit: cuius criminis Demoſthenes Æſchinem reum facere nititur,cum ait: Quòd ſi per malitiam pecuniam ſiue argentum acceperit, & munera, & hoc coarguatur planè ex rebus ipſis adminiſtratis,præcipuum quod eſt, ſi poteſtis ut occidatis:ſin minus,uiuentem cæteris exemplum faciatis.quod erat reũ capitali iudicio, aut aliqua inſigni nota turpificandum.Repetundarũ autem pro repetendarum,tun pro ten ponẽdo:ſic antiqui pronunciabant ex uerbis tertiæ coniugationis, in ſermonibusq́ue pręcipuè ad leges & iudicia pertinentibus: ſic talentûm & numûm potius, quàm talentorum & numorum:& duûm uel trium milium, & ſeptenûm uel octonûm pedum antiqui dixere, ut in numero aut expeditius, aut certè ornatius eloquerentur. Mille autem uel millia equitum,& non mille equites latini protulere,ut cum ſubſtantiuo equitum talentúmue adiectiuum mille colligetur,millia facientes ſubſtantiuũ. Nec duo cẽtũ uel tria centũ,aut duo mille dixerũt: ſed bis mille,bis centũ,ter centũ,ter mille. Ita neque duo millia pedites,ſed peditum numeratur:neque duo centum, ter centum, ſed ducenti,ducentæ,ducenta,trecenti,trecentæ, trecenta,pro ſuis quæque generibus ſubſtantiui adiectiuiq́ue facta demonſtratione:hinc triceni,quadrageni,quinquageni. Virgilius exemplo eſt, Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci.Itidem trecenti iuuenci in ſoluta oratione dici potuit. Et Horatius, Non ſi tricenis, quotquot eunt dies, Amice places illachrymabilem Plutona. Tertiũ conſul,& Tertiò conſul

Georg.1.

Carm.lib.2. ode 14.

ſul differunt. Tertium namque ſignificat duos ante ſe factos conſules: tertiò, quòd tribus uicibus factus ſit conſul. Cæterùm cum in antiquorũ numeros aduenerimus, memini & hãc eis rationem frequenter obſeruatam, quã nos quoque ſeruare operæprecium eſt. excepto nanque numero à primo uigeſimum uſque à minori ſemper incipere, in ſequente denario uſque centeſimum: ſic à centeſimo incipiẽtes, in minori deſinunt. exemplum eſt: Cum quindecim, aut decem, aut octo compleſſet annos in iuuenilibus ſtudijs, imperiũ accepit, in quo ſex & uiginti regnauit annis, uel annos, antiquius: uixit autem centum & ſeptem. quo cõſtat annos ſexaginta tres ſine imperio demũ tranſegiſſe. Huius in fine numeri quoniam copula deeſt, ideo maior præcedit, minor autem ſequitur. Quòd ſi copula uti uoluerimus, à maiori ſemper erit incipiendum, excepto centenario. In omnibus uerò ſuperioribus à primo uſq; uigeſimum, ſeu inſit ſiue deſit copula, ad placitum deſcribitur: ut, decem & ſeptem, ſeu ſeptem & decem, decimus ſeptimus, ſeu ſeptimus decimus. Sed ad alias nominum rationes accedo. Simulatio uel aſsimulatio ex nullo ad aliquid: diſsimulatio cum per contrarium dicitur. Egregiè Saluſtius de Catilina: Cuiuslibet rei ſimulator ac diſsimulator. ſic de eorum uerbis. Vlna, quantum utrinq; poſſunt geminæ manus extendi. Ædis uel ædes, in ſingulari propriè templum. de quo ſermone ſæpè tractãt hiſtorici: ut, ædes ſacra uel dicata, ut Apollinis ædes, & inde ædepol. Ædes in plurali numero, ut noſtræ. Virgilius diuitibus ædes

aſsignat:

afsignat: ut, Magnas domini cũ diuitis ædes. Fores propriè dictæ, quæ foris aperiunt. præterea domi semper (qui genitiuus est casus) cũ sum, es, est, sto, maneo, habito, & id genus construitur, nõ domus: contrà domus alter genitiuus, & in quarta declinatione, ad cætera pertinet domus instrumenta necessariaq; eius: ut pars, uel paries domus, pulchritudo, angustia & id genus: aut per adiectiua distenditur, & oratoriè, cuiusmodi rem domesticã dicimus supellectilem domesticam, quod idem est ut familiarem: ideoq; domus & familia eodem plerunq; sensu reponuntur. Porta omnis aditus & exitus, per quam ab hominibus & iumẽtis importari posit, & exportari. ergo porta murorum, domorum, mœnium atq; castrorũ. Portus non solum est nauium statio, uerumetiam mercaturæ, ac locus publicanorum, & ubi excubiæ fieri solitæ in pręcursores atq; latrones. Qui sermo oratoriæ poëticæq; persæpè conuenit elocutioni transumptus: ut, In portu nauigo, à portu longè nauigo, lõgè absum. hinc opportunus & importunus, importunè & opportunè describitur. Promontorium, mons est in mare prominens, in cuius genere declarando, quoniã in singulari numero metro non cõuenit, Virgilius sermonũ circuitione seu potius pictura utitur. Collis & saltus quælibet accliuitas & decliuitas in syluestribus. Iugum montis arduitas. Sales, facetias & iocos liberales dicimus in singulari etiam, tractum à salibus, ut urbanitatem uel astutiam: sicut, Salem qui in te est. Voluptuosus homo, uoluptatem capiens; uoluptuosa res, uoluptatem præbẽs.

Quòd si fœminam dixeris uoluptuosam, dubitem, an quia ipsa det, an uoluptatem accipiat. Ideoque gloriosum dicimus hominem, cupidum gloriæ, itidem mulierem gloriosam, quia sit transitiuum loquendi genus: at gloriosam uictoriam pro eo, quòd sit plena gloriatione uictoria. Penuria, inopia, egestas, ex græco est, & magis quàm paupertas: inde annonę caritas, à carendo. Doctus, qui tantum rationē didicit: peritus, qui etiàm in ea fecit experientiam, à græco sumptum πεῖρα, quam experientiam interpretâmur. Rursus, indoctus qui tantum doceri sit idoneus: indocilis autem, non uerò indocibilis, ille est, qui uel nequit, uel doceri recusat. Dicerem puerilia me nunc documenta quædam retractare, nisi grandiores natu horum sermonum expositionibus errare sępè cognoscerem. sequar igitur audentius. Facinus, tyrannus, ingenium, ualetudo, forma, amor, dominus, animus, nobilis, bonum cōtrarium ue significant. Itaq; pro orationis & personarum seu rerum dignitate circumspiciendum, quo quæque loco magis imponenda: ut si clarum, illustre, egregium, magnificum facinus dixeris, aliud profectò significet quàm facinus audax, ut Terentius habet, atrum, impium, crudele, dirum, immane: & si prosperam, optatam, felicemque ualetudinem, aut debilē, aduersam, uel aliquid eiusmodi cōponamus. Amor uerò cum sit ad deos culturamque religionis interdum ut pietas, tamen in eodem & multa sunt incommoda, quæ oratione augeri possunt: ut, inimicitiæ, iniuriæ, suspiciones, bellum, temporis, famæ, studiorumque iactura liberа-

πενία, siue ἀπορία.

beralium,propter quæ ſemper ego in diligentia maiore potius quàm in amore beneuolentiæ perſeuerantiam exiſtimaui. Enimuero amores haud dubie ad libidinem tendũt,& mala mens,malus animus dicitur, necnon,Ingenio malo prauoque fuit Catilina: quod de aliqua uirtute dici nõ poteſt,ut mala iuſtitia,mala pietas. Itemque Terentius,Me tuarum miſertum eſt fortunarum: quod dictum conſtat in aduerſitate uicini. Itidem tyrannus à Virgilio pro Ænea in bono:contrà Mezentius autẽ, ut impius & crudelis deſignatur. Facinoroſus,pro maligno & audace ſemper habitus. ac tyrannidem dicimus, ut dominationem ſeu dominatũ: nam dominium & dominia apud antiquos non reperio. Quo magis aduertendum ego dicerem, quàm turpiter hiſce ſermonibus deuiatur.nefarium ſiquidem eſt, dominationis inſigne illi uiro adiungere,quem laude nobilitatis egregia, principandique uirtute extollere uelimus:cũ à maioribus noſtris, qui ſermonum, uitæque mortalium præceptores extiterunt,id nunquam regnantibus uocabuli genus ſit attributum. Tanta adeò apud ueteres in eo uiuendi genere criminatio ſuſpecta, ut domini appellationem, uelut iniuſti hominis atque ſuperbi, Auguſtum abhorruiſſe auctor ſit Suetonius:quanquam uideamus,ſi rei poſſeſſæ,præſertimque priuatæ ſit mentio, nõ ſuperbè dominum appellari: ut cum agri,fundi,ueſtis,domus,equi, libri, dominum quempiam,ſeu dominũ clementem, liberalem, piũ, & id genus adiungitur: uel cum ipſum Deum dominum appellamus, ſicut uniuerſorum do-

In Phorm.

minum. Igitur inuidiosum, si quod publicum esse coueniat, oppresseris: quemadmodum cuiusdam fortè ciuitatis, aut prouinciæ, uel mundi dominum benefeceris: sic nec Domini solũ nũcupationem, sed Regis etiam post exactos Tarquinios, ut superbam suspectamq; antiqui detestati sunt: cum tamen nostra tempestate regium nomen in præclaris honoribus habeatur, & quisque principem suum, itidem regem suum oratoria dignitate (ut ego Leonellũ regem meum) appellare posſit. Quibus rationibus fit, non in malo dominum à Marone nostro compositum, ut quidam malè censuerũt:
Aeneid.1. Romanos rerum dominos. Quod & Horatius
Carm. libro 1. ode 1. in bonum asseuerat: ut, Terrarum dominos euehit ad deos. Quippe cum omnia multis asſignet, non uni domino, ut si diceretur, Romanum rerum dominum: sed inter omnes unum
Aeneid.1. orbem & dominũ. nam dixit, His ego nec metas rerum, nec tempora pono: utique proprio honestoq; iure declarauit, addẽdo præsertim,
Aeneid.3. Gentemque togatam. ergo nec contumeliose: Hîc domus Æneæ totis dominabitur horis. Id inquam causæ mihi uidetur, per quam Augustus domini appellationẽ sit abominatus: nam licet ei nonnunquam totius orbis imperium poëta designet, non dominum tamen indicauit. At ex malo dispositum satis constat,
Aeneid.10. ut ad equum suum Mezentius inquit, Nec dominos dignabere Teucros: utiq; nullum excipiens, sed omnes æquè superbos manifestãs, ut cum omnia unius iniquũ esse uideatur, sic
in regna, est & iniustum unum esse multorũ: uelut per Iar-
Aeneid.4. bam dictum, Ac dominum Æneam * in sceptra rece-

recepit. Inducit enim ambos poëta scientissimus,& inimicos hostiliter Romanis conuiciantes:ideoq; prudenter ad Romanos subiungit, Seruitio premet,ac uictis dominabitur Argis: ut expressius in Græcorum ultionem loqueretur,qui anteaTroianis dominati fuissent.Et quod Ouidius hac in parte uenustissimus in Fastis:ut,Tu domini nomen, cum ad Romulũ diceret: principis ille tenet, cum ad germanicum,quem Romulo uult pietate fuisse præstãtiorem, tanquam exactorum è numero regũ. Apud Græcos ἄρχουσι,est dominantur,uel principantur: & ἀρχὴ, principatus uel dominatio, nam ἀρχὴ principium, indifferenter scribitur. in quibus uocabulis bonũ uel malum statuere,iustum tamen ab iniquo dominum alia ratione discriminantes,uti nos in ualeo, & ualetudine,in quibus nihilominus & spem, & metum mortalium dicunt. Dicitur & incongruè famosus, si laudandum existimamus. Quantum igitur infamiæ dedecorisque illi tribuas, quem famosissimum appellaris, putans uti celeberrimum & clarissimũ indicare: quod certè quidam ex nostrorum doctissimis ad optimi uiri laudem inserere nõ dubitauit.nempe famosus & famosa ad inhonestationẽ pertinent,cuiusmodi leno est, adulter, parricida, mœchus,& publica meretrix,anusq; uenefica: ideo Martialis aptissimè, Subdola famosę moneo fuge retia mœchæ. Quin ipsius famæ uocabulum tam malitiæ, quàm bonitati designatur: ut, Fama malum, quo non aliud uelocius ullum. at famosum, turpe duntaxat,& infame denotat.. Græci sapientius multæ uel

Aeneid.1.

Aeneid.4.

magnæ famæ hominem Polyphemum dixerunt,*quem pueriliter nostri gigantem putauere,alios homines deuorantem.Ineptè quoque nobilis,& nobilitas effertur, nisi nobilitatis rationem expresseris,cum æquè nobilis,ut futilis,ganeo,fur,sicarius esse soleat, ac quiuis in armis præstans,aut aliqua uirtute conspicuus: non tamen egregius, clarus,illustris latro, uel sicarius appellandus: adeò ut nobilitatem quoque sæpè ueteres in deterius attraxerint, quod uocabulum æquè uetusto generi & ciuitatum primoribus restituerunt. Degener est maiorum suorum moribus cōtrarius,qui probi clarique fuere. ergo in malo, nam in bono non habetur.ut uicissim degenerē arguamus, qui parētes suos uirtute superat:sed alia ratione eius præstātia describetur, cuiusmodi apud Liuium de A.Cornelio, qui memor generis, quod amplissimum acceptū, maius auctiusq; reliquit. Oriundus ille est à loco,ubi nati primùm parentes sui: ut ego Verone oriundus sum,tametsi Ferrariensis nunc ciuis appellor. Orsus & orsa,cœpit uel incepit,quæ nonnunquam cum ex componuntur.*nam nec orior, nec alia eius uerbi participia in usu sunt. Indoles, imago quædam futuræ probitatis: de bonis tantum censetur adolescentulis,tametsi tyrannorum postea criminationem nonnulli subierunt,ut in Cæsare,Iugurtha,Sylla,Mario: quanquam Plinius maior indolem frumentis atque seminibus, & pecori pariter assignarit. Indulgentia non uenia est,ut populariter accepere pro culpæ remissione:sed remissio quædam continentiæ, sicut indulgere Veneri,epulis,

At id poëtæ testantur.

Orior,*& oreris, uel oriris, non legi,at oritur, & oriuntur,& oriri:itemq; participia,oriens,ortus, & orituus, inueniet qui uolet, in ueterū libris.*

lis,ocio,ludis : tametsi uenia pro indulgentia contrario quandoq; declaretur, ut Terentius, Da pater ueniam:& Virgilius habet exemplũ, Veniamq́; precari. Sententiam quoq; differre ab opinione certum est: nec minus nefarium pro re graui certaq́; sententia opinionis mentionem interserere,quę uel ad popularem stultitiam pertinet, uel imprudẽtioris hominis iudicationem,præcipuè cum grauissimi pariter, & antiquissimi cuiuspiam testimonium adducitur.nam cum quidã è nostris in materia scribens philosophiæ Platonis & Ciceronis,utiq; summorum exempla produxisset,quorũ Platonem diuinum philosophum,& aliorũ principẽ appellare sit solitus,addidit: Hæ igit̃ duorum illustrium uirorum opiniones. nihil uerò tam absurdè, tam negligenter, indiligenterq́; dici potuit.Quin ipse Tullius in primordio de Natura deorum, de uarijs philosophorum iudicijs mentionem inferens dixit: De qua tam uariæ sunt doctissimorum hominum,tamque discrepantes sententiæ,ut magno argumento esse debeat,causam & principium philosophię esse scientiam.Ad incõstantiam scilicet & iudiciorum infirmitates sunt opiniones referẽdæ, *ut in hoc sermone Terentius,Num uidentur conuenire hæc nuptijs? P. Non opinor Daue. D.Opinor,narras? non rectè accipis, certa res est.Quid dicam in nominibus singularis,& singularitas?quibus ineptissimè comparationes, superlationesq́; subijciunt,uti singulariorẽ, & singularissimũ dominum appellantes:quippe cum eiusmodi sint naturæ sermones, ut nõ auctionẽ diminutionemue suscipiant,propterea

Aeneid. 3.

In Andria.

quòd in homine nō idem fieri posse cernerēt, ut de parte in particulas, uelut in acuendo gladio, qui quo magis exacuitur, acutior fit: ita cū singularis & singularitas ad excellentis cuiuspiam egregijq́; uiri dignitatem referantur, nō minor existit hoc in sermone unius auctoritas amplitudoq́; in præstantissimo uiro demonstrando. Sunt sanè pręclara Maronis exempla,
Aeneid.6. & antiquis excepta testimonijs: ut, Vnus qui
Aeneid.5. nobis cunctando restituit rem. &, Vnum Tritonia Pallas Quem docuit, multaq́; insignem
Aeneid.2. reddidit arte. Item, Cadit & Ripheus, iustissimus unus, Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui. non ut soli uel unici memorantur, sed uelut inter cæteros potiores. Quamobrem cum eiusmodi sermones neq; ex se maius, neque minus quicquam exprimant, quàm quod in eorum singularitate cōtinetur, in eodem errore mihi uersari uidentur, qui literam, & literulam dicunt, quemadmodum epistolam uel epistolatiunculam dicere putarent. an id est sese literas gręcas scire profitentium? cum sit turpe magis nostris nescire latinè. Perlegantur in primis omnes Ciceronis epistolæ, Plinij, Hieronymi, quorum ingentia extant uolumina, si cubi litera uel literula pro epistola describatur. At quidem unas uel unicas, uel singulas literas siue literulas, uel binas ternasúe, si complures dicere uelimus. nam quis hominū est, qui cuipiam unicum duntaxat in tabellis suis gramma scripserit uel depinxerit? Ita cum in comparationum quæstionem inciderimus, id quoque pernotandum est, ad ueterum morem politius secūdo loco comparationem adduci,

duci, quàm superlationē, cum rem intēsius augere uelimus, non ut magistri puerorum arbitrãtur, uice contraria. Ecce Ciceronis exemplũ ad filiũ: *Scias te quidem mihi esse charissimũ, sed multo fore chariorē, si his pręceptis monumentisq; lætabere. Contrà ueteres tum superlatione magis usi sunt pro cōparatione, ubi tamen comparationis mētio nulla uideatur: ut, Cursusq; breuissimus undis: hoc est, ubi sit breuior, uel magis breuis. &, Olli per dumos, qua proxima meta uiarum: id est, propinquior. &, Qua tela uirũm densissima: pro eo, quod est dēsiora. Salustius, Maxima ui pugnatur: hoc est, maiore quā quisquam ualet. ergo cum non sit cōparationis sermo sociatus, tũc ea superlatio pro maximo reputabitur. Nec dubium eũdem Ciceronem, qui totiēs superlationibus utitur, in orationibus præcipuè, ut in Pompeianæ primordio, eas pro cōparationib. intelligi uoluisse auctionē nihilominus significãtibus: quod nisi ita dijudices, uanũ quidem superius ab eodem ad filium extaret argumentũ. Senior autē pro eo, qui sit senex, & tristior, ut tristis, antiqui & Virgilius sæpè posuere: sed iudicio meo popularis ac impropria uidetur comparatio pro superlatione à nostris posita, dum enim augere unum conantur, alterum contrà minuere, utraque paria, & hoc exemplo faciunt: nullam mulierem uel domum in tota ciuitate hac esse pulchriorem. nam cum exponere uoluissent, quod periti dicerent, hanc * omnium in tota ciuitate hac esse pulchriorem, seu pulcherrimam, siue nullam esse tam pulchram ut hæc: nihilominus suo loco relinquitur,

Lib.3.de Offi. extremo, quo loco legitur, Si talibus monumentis præceptisq; lætabere.

Georg.3.

Aeneid.2.

Arma diu senior, &c.

Omnium pulchriorem, ut Plin.li.7. Omniũ triumphorum lauream adepte maiorem.

& alias esse tam pulchras ut hanc, tametsi non pulchriores. Ad quid igitur talis de uenusta muliere uel domo superlatio, seu inepta magis comparatio? quandoquidem alijs non præponitur, sed multarum numero sociatur, uulgaris scilicet & insensata loquutio ab oratoria sermocinatione procul amouenda: quemadmodum & duas pro una sæpè negationes exponunt, quod magis affirmantis est apud doctum, licet indoctum uulgus ex patrio loquendi more pro negatione suscipiat: cuiusmodi est, Non fecit nihil, pro eo quod est, nihil fecit. Cæterùm alia rursus de ueterum comparationibus necessaria cognitu memoriæ subuenere. itidem ergo si dixeris: Paucissimi fuerunt in exercitu Alexandri contra Darium, sed pauciores Philippus habuit contra Athenienses. In superiore siquidem Ciceronis exemplo de filio auctio quæritur per comparationem, hic diminutio, cum eadem orationis expositione. Rursus de ijsdem paucitatis uocabulis, ut pauci, paucæ, pauca, non minus aduertendum, antiquos duabus orationibus exposuisse. Aut enim auctionem intendunt, uti de nullo ad aliquid, in qua significatione crebra extant exempla: ut in Bucolicis, Pauca tamen suberunt priscæ uestigia fraudis. hic nempe augere poëta nititur, non minuere: perinde ac dicere uelit, Aliqua tamen tunc extabunt mala, cum nulla fore deberent. Contrà uerò diminuunt, ut idem: Pauci, quos æquus amauit Iuppiter. nam hoc loco ex tanta gentium multitudine summa paucitas electorum ad superos iudicatur. Et Satyricus, Pauca licet portes argenti uascula:

Virg. Pollione

Aeneid. 6.

la:uult minuere. quasi diceret, Tametsi adsint non admodum multa uasa ad usum,&c. Itidẽ Salustius duobus modis explicuit. Vult enim augere,inducens Catilinam apud socios queritantem de paucorũ,hoc est,quorundam dominatione,& uelut regnantium libidine,ut in eos sociorum iras exaggeret, cum nullis utiq; forent digna permitti iura. Contrà diminuit, ut:Catilina postquam fusas copias,seque cum paucis relictum uidet,nempe ex tanto exercitu,quem paulo antè ductauerat,&c.In oratione pulcherrimè eiusmodi sermones temporibus suis applicuit.Est & illud in soluta oratione frequentius,comparatiuum & positiuũ ornatius epistolis apprimè conueniens ponere, quod Tullius in primis usurpauit: ut,Te literis meis uel nuncijs certiorẽ facio uel efficio: uelim quàm creberrimè me certiorẽ efficias. nam cum facio sæpius,quàm cum reddo construitur. Sic gratum atq; gratissimum, ac rem gratam facere, uel sacram, potestatem, copiã, iacturam, naufragium, potius quàm dare uel pati:sed nos,uti diximus,tumultuaria tantum oratione prosequamur cætera. Patulũ,quod semper patet, ut arbor, platea, campus, nares, aures:patens,quod claudi & recludi solitum. Ergo patens ad dandum duntaxat tempus indicatur,ut oculi,manus,caput,os,ianua.igitur aptissimè qui cecinit, Patulę sub tegmine fagi:absurdè uerò qui scripsit, Patulo ore astantes. Profugus, qui longè ab ædibus suis euagatur:non ut quidam, pro fugitiuo & transfuga posuere. Gaudium & gaudere mentis est humanæ,non id extrinsecus ostendentis: unde

Virgil.in Tityro.

Aen.1.& 5. de Virgilius de Diana, Et tacitam pertentant gaudia mentem. Læticia autem & lætari est, si extrinsecus demonstratur, cum honesta tamē oculorum, uultus, uerborum, & corporeæ opportunitatis ostētatione, qua supergressa exultare propriè dicitur, & exultatio. Hinc læta pecora, læta pascua, lętas segetes, fruges, oratoriè poëticeúe profertur, cum intus naturalem quādam, ac tempestiuam ubertatem aduertimus, quæ intuentium pariter oculos lætiores efficiat. Hæc animans animantis, sicut prægnans prægnantis, cuius originale uerbum nō habetur. Et hæc continens, quæ populari sermone terra firma seu stabilis dicitur, non locus insulanus, in fœmineo genere ab antiquis semper ponuntur. Cicero de animante scripsit: Requirat atq; appetat, ad quas applicet sui generis animātes. Quidā tamē & animātia dixere sed ineptius, cū in *cōmuni genere nō habeāt: neq; prægnans in communi, quamuis ad prægnantia, animalia uel pecora subintellexere.

Animare tamē & animari, si quis inquirat, Ouidiū, Colu mel. & ipsum Ciceronem, usos fuisse comperiet.

In neutro potius dicendum erat.

Orphanus, qui parentibus caret, pręsidioq; paterno: pupillus, qui tamen tutore non caret.

Sepultus quoquo modo funeratus: humatus autem, propriè terra conditus: tumulatus, eminenti loco repositus. Sepulchratus non habetur, tamen quidam suis scriptis inserunt. Idem elegantiam & elegantem ad eloquentiæ cultum duntaxat applicuit, sed de alia quoq; resonat, tersum, nitidum: sic elegans domus, hortus, supellex, elegans uestis, bibliotheca, equorum denique stabulum perpolitum, mundaq; præsepia, omnia quidem elegantia in communi genere numerabuntur. * Pulueratum, genus

Lego puluera tio, ex Seruio in lib. 2. Geor.

nus culturæ, cum glebæ uelut in puluerem cõtritæ uitibus præcipuè supponuntur. Puluereum plerunq;, puluerea nubes in aëre: puluerulentum, ut pauimentum, tectum, & pecus aliquando: ut Virgilius, Atq; agmina cerui Puluerulenta. Exemplar & exemplarium idem: ab utroq; exemplaria dicũtur, proprieq; librorum: exemplum, unde aliquid imitamur laudabile, quod ferè incorporeum est: at corporeum exemplar, unde similem imaginem scripturamúe deducimus. Facies & uultus sæpenumero alternatim ponuntur, nec pro humano tantum aspectu, sed omnigenûm etiam rerum specie, * quarum formam & qualitatem expresſius à logicis dicitur. Ouidius, Venus erat toto naturæ uultus in orbe: cum alibi pro oris intuitu dixerit, Sæpè tacens, uocem uerbaque uultus habet. In quo sensu & facies ab eodem ponitur: ut, Facies non omnibus una, non diuersa tamen. Sed in superiori significatione Salustius: ut, Locorum facies cum uentis simul immutatur. Species ferè idem quod facies, pro cuiusq; rei sua demonstratione, quę & ab intrinsecis sæpè percipitur. Facilis homo exorabilis, clemens ad ignoscendum: inde stylus uel oratio facilis, suauis elegãs, sine uerborum exornatione inuidiosa. Festiuus homo, sermo, canis, auis. Festus item adiectiuum, ut dies festa, uel festus, solet etiam ita confundi, *ut festiuum diem appellemus, in quo festiui hominum ludi ióciq; agitantur. Infestus adiectiuum, inimicus, difficilis, molestus, grauis, infensus, ualde iratus, ad ultionem dispositus. Virgilius: Ipsi Dardanidæ infensi poscunt

Aeneid.8.

Aeneid.4.

Forte, *quæ forma & qualitas, &c.*

Metamorp. 1.

Fortè *legẽdũ, Vt festum diẽ.*

Aeneid.2.

cum

cum ſanguine pœnas. Ferus homo, crudelis, inanis, inſtar feræ, ad importunos & barbaros mores pertinet. Ferox, unde ferocia, non ſemper illaudabilis, uti apparet in fortibus atque magnanimis: nec in beſtijs contemnenda, ut equis, canibus, leonibus, quæ in Catilinæ uultu etiam moriētis uiſa eſt. Dantur ergo huiuſmodi ſermones animatis: nam ferum, uel ferocem enſem, aut lanceam, ut quidam expoſuere, improprium eſt. Fœtus, omnium animantium atque ſatorum generaliter: fœtura, gregis & armenti: pulli quadrupedum, proprieq́; equorum magis, iumentorum & elephantorū, quàm gallinarum, ut populari ſermone prædicatur. Catulos omnium animalium, præterq̃ humani generis, dixere poëtæ. Frondes & folia arborum, florum autem & herbarum folia duntaxat appellamus. Flagrantia, ex ardore uel ardoris ſimilitudine: ut Ouidius, Flagrant quoque lumina nymphæ. Fragrantia autem ex odore. ſic flagro, & fragro, Virgilius de utroque: ut, Flagrantesq́; Dei uultus: &, Fragrātia mella. Aduertendum pariter hiſce uocabulis, furens furioſus, ebrius ebrioſus, timens timidus, non timoroſus, iratus, iracundus, primum dicendum ex cauſa ſuperueniente, alterum ex conſuetudine. hanc differentiam obſeruant docti atque periti homines. *Lucibile & lucidum quod ex ſe, unde luculentum epitheton: & lucubratio à luce, non à luctu, ut nōnulli peruerſe poſuere, orationem luculentam loco funebris intelligētes. quanquam & eius generis oratio poſsit eſſe, quæ luculenta diceretur, uerùm à luce duntaxat, quòd ſplendide & ele-

Flagrantia oculorum Cicero pro Cælio dixit.

Aeneid. 1.

Georg. 4. & Aeneid. 1.

Lucibile, nō legi apud idoneos.

& elegantis sit elocutionis. Itidem ferrumina tio, non à ferro, ut dici uidetur, sed à farragine, quodammodo mutata litera: glutinatio autẽ est, seu iunctura facta ex glutino. Seruorum ap pellatio eo prodijt, quòd imperatores nostri captiuos uendere, ac præterea seruare, non occidere solerent. Sequester, medius: ut Virgili us, Et pace sequestra. quæ media induciarum inter præteritum & sequens belli tempus dici tur. ergo non pro sequaci, quamuis à sequẽdo deductum: quo magis à literatis erratur, cum ab Italis etiam uernaculo sermone id sequestra ri prædicent, quod hypothecę more seu pigno ris, uel depositi causa distinetur, quoad iure ci uili dirimatur. Dicitur & simili ferè sensu à me dio mediastinus, ministri officium exercens. *Aen. lib. 11.* *L. Valla Eleg. lib. 6. cap. 57.*

Ce syllaba pronominibus quibusdam adiungi solet ad maiorem uel demonstrationem, uel sensus uehementiam: ut, hisce, hosce, hasce. nã horunce non conuenit. ergo cum ce, ubi litera s præcedat uel c, sed alia quadam, non diuersa tamen effigie: ut, hiccine, hæc & hoc, & hunccine, & id genus perpauca, & comicè. Nec minus apud nos quàm græcos discernendũ, tui uel tua causa, quemadmodum ipsi per * tui & per te quodammodo dicere uidentur. nam in generãdi casu positum pasiuum exprimit, ut tui causa, te auctorem esse colligamus: tua uerò causa, amore scilicet uel gratia erga te quicquam factum exponentes. Ita cum in hos pro nominum nominumq; generandi casus inciderimus, aduertendum est, quid pasiuè uel actiuè potius accipiendum: ut, clementia principis, charitas Dei, uel prouidentia: prætoris *σεῦ ἕνεκα.*

uel iudicis,uel gubernatoris peritia seu prudẽtia:& id genus multa,quæ nõ trãsitiuè, sed potius autopatheticè posita sunt.Sunt & quædã alia in hoc genere ambigua,ut suspicio uxoris uel mariti,amor Dei uel parentum, cura mea uel mei: quæ uel de meipso, uel mei in alios, seu aliorum in me.Quibus in locis circuitione quadam uti non indecorum est : ut uxoris suspicio erga maritum,religiosorũ amor in Deũ, parentum charitas in filios,seu filiorum in parentes.aliter per orationis ordinem intelligitur : at timorem Dei potius de hominibus ad Deum,quàm Dei ad homines sit accipiendũ. Sed in pronominum genitiuis curiosius discernam,ne passiuũ plerunq; ponatur pro possessiuo,ut mei,tui,sui,nostri & uestri : aliter uerò,ut nostrum,uestrum possessiuè suscipiũtur. nam equus,liber,uestis mei, non rectè conuenit,sed meus uel mea.rursum passiuè nõ bene, Hæc cura mei Guarini:hoc studium, hæc diligentia,quamuis passiuè:sed mei,qui sum Guarinus:adeò substantiua cõsociari recusant. nõ igitur impropriè:O mihi sola mei super Astyanactis imago.nam & possessiuè in tertiaq; persona potest accipi ex genitiuo ab eo quod est meus,non quod ab ego,ac passiuè,si ad ueniẽtem Andromachen filiũ coràm retribuamus, quod ex eo quoq; genitiuo comprobatur: ut, Omnis in Ascanio chari stat cura parentis. Sic passiuè. Terentius:Hoc unum scio,hanc meritam ut memor esses sui. Quondam mis,tis & sis, possessiuè accipiebatur, nunc * aboleuerunt:in alijs uerò pronominum genitiuis, ut huius,istius,illius, non est talis consideratio, quia

Valla Elegan. lib.2.cap.1.

Aeneid.3.

Aeneid.1.

Andria.

Forte obsoleuerunt.

quia demonstratiuè construuntur. ac de huiusmodi genitiuis in pronominibus satis. Sũt & alterius generis qualitatem aut quantitatem significantes: ut Cicero, Non pluris uendo quàm alij fortasse etiam minoris. Itidem de tanti ac quanti, multi uel minimi generandi casibus. sic enim genitiui ponuntur, cum substantiuum abijcitur: nam pluris precij uendo, non conuenit. Ideoq; aliàs in ablatiuo seu septimo casu, cum substantiuum apponitur, ut uendidi multo precio: seu cum solo substantiuo, ut uendidit hic patriam auro. ergo non bene nostri in genitiuo dicentes, equum xx. florenorum uendidi, multo precio: seu cum solo substantiuo in ablatiuo construendum. Quin magis contingit aliquãdo in eadem oratione per interrogationem facta contrario modo responderi; ut, Quãti emisti hanc domum? Multo precio emi. Est & quædam interdum constructionis uolubilitas: ut, Licet mihi esse probum uirũ, & licet mihi esse probo uiro. Quod genus alij dupliciter exposuere, ut in primo actio quædam intelligatur, in secundo passio, quemadmodum aliud esse, quã uideri probũ. Idem præterea genitiui cum interest & refert impersonalibus sæpè solent adiungi, sicut tantum & quantum: nec non cum personalibus oratoriè, ut magnifacio, paruifacio, & id genus. Aduertendum pariter in nominibus certa peccata significantibus, uarios casus attribui eidem uerbo, præsertim coniunctionibus appositis, quæ eosdem casus regere debeant. Ideoq; *peccatoria nomina cum eiusmodi uerbis idẽ ualent in genitiuo & ablatiuo, habẽtib.

Nomen deductione factum à peccato, sicut tectorium, à tecto.

uel non propositionem : quod non itidem in cęteris oportebit. Exemplum à iurisconsultis: Siquis rem sacram de profano furetur, teneaturne sacrilegij an furti, an utroq;? non utriusque dicetur. Et qui rem fortè suam de sacrario sustulerit, furti teneatur, an sacrilegij, an neutro? non autem neutrius. Ergo accusare hunc posis uel furti, uel sacrilegij, uel de utroq;, uel de altero, ut furti sacrilegijue: nō autem uel alterius, ut furti uel sacrilegij. neq; hoc in ijs, quę generale & incertum: ut Cicero, An non intelligis primùm, quos homines, & quales uiros mortuos summi* criminis arguas? ibidemque, Sceleris atq; nefarij parricidij condēnabimus. Ita per hæc quoq; uerba licebit, tanti & quanti cum substantiuis adiunguntur, per genitiuos uti: quantæ pecuniæ, quanti æris dicimus. Tātæ summæ denarij, quantæ uoluisti, non quantum: nam damnum uel damnandum subintelligitur. Liuius, Sed nequaquā tantum pecunię relictum est, quantum summæ damnatus fuerat. Huic præceptioni contraria quæ sequuntur, non diuersæ tamen disciplinæ, scilicet de casibus ab impleo & refercio generatis, quę ablatiuum sine præpositione postulát, si de re imposita fit mētio: ut, Impleui bibliothecā libris, arcam nummis. & tamen additur præpositio per aliud nomen adiunctum rei: ut, Impleui armarium de uel ex omni genere librorum. & hoc Ciceronis exemplo comprobatur de Oratore: Quòd si tantam uim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores cōplecterētur, quęrebat cur de procemijs & de epilogis & de huiusmodi nugis referti essent eorū libri. quo

Pro Rab. perduel. Cicero habet. sceleris: & paulo pòst Nefarij sceleris ac parricidij mortuum condemnabimus.

in loco ſanè non decuiſſet ſine prępoſitionę dicere: non enim libri illi referti erāt epilogis & procœmijs, ſed epilogorū procœmiorumq́; præceptionibus: quemadmodū ſuperiore loco nō eſt implenda bibliotheca omni genere librorum, ſed omnis generis libris. Præterea ab ijſdem uerbis participia, quæ nunc in nominum partitione diſtribuimus, ut impletus & refertus, cum alij genitiuis magis, pleriq; ablatiuis caſibus conſocianda diſputauerūt: at Varrone teſte, in primisq́; Cicerone, & multis ueterum exemplis, cenſemus utrouis modo conſtruenda, ſed cum ablatiuo decētius, ſi propoſito modo eorundem uerborum naturam conſideramus: neq; pædagogicè tamen commiſcēdum, quale diceretur, Plenum ignorantiæ & rusticitate. Pecus & pecora omnium animalium prę ter quàm hominum. nam & fucos quoq; Virgilius appellat ignauum pecus. Raró pecudes à ueteribus ponitur ſeu pro auibus, ut noſtri ſę pè intelligunt, ſeu pro quadrupedibus: ut Virgilius, Pecudes pictęq́; uolucres. Gregem ſatis liquet de minoribus beſtijs intelligi, quas paſtores alunt: ſed & etiam hominibus aſsignatur. Terentius, Vt me in ueſtrum accipiatis gregem. Et ob eandem rationem gregarij milites appellantur: inde egregius homo, clarus, illuſtris. Armenta uerò de maioribus. Cicur, & cicures animalia propè māſuefacta, ex ferino genere oriūda. Altilia, aues præcipuè, uel quòd eas crebrò paſcimus, uel quod ipſæ nos earum carne & fœtibus alunt, ut eſt gallinaceum genus præſertim. Hoſpes, qui recipit, & qui recipitur, ac priuatim. nam hoſpi-

Georg. 4.

Aeneid. 3.

tor in communibus uerbis numeratur, ac propriè maribus conuenit: non ut in communi tātum genere recipiamus, ut aliqui exposuere. Ab Ouidio quidem exemplū pro fœmina habetur opportunum: Hospita Demophoon. Peregrinus autem, qui ad publica pergit hospitia, seu diuersoria melius. Ad hæc prætorius, senatorius, quæstorius, consularis, ædilitius & tribunitius, ad defunctam magis pertinent dignitatem: nam in eo magistratus genere uersans, prætor, senator, consul dicebatur. Sementis, non semen est, sed satio, & declinatur ut nauis. In arium nomina terminata, repositorijs omnia ferè disponuntur, ut armarium in primis, non ab armis nuncupatum. potest enim & librorum repositio esse, uti modò exemplum audijstis, aliusq; domesticæ supellectilis, quæ cubicularię camerę deseruiat. Sed armamētarium ab armis est, & cum multa sint armorum uocabula, sicuti uestis atq; colorum, in quibus nunc explicandis tempus nō datur, inter alia tamen cognoscendum. Telum dicitur omne, quod manibus iaci posit in prælio: ideoq; poëta, Nec * tela, nec ullum Telorū interea cessat genus. Et gladium pro quolibet ense, pugione, uel cultro. Salustius, Gladijs res geritur. Ergo & sacrarium, donarium, uiuarium, & pleraq; id genus, quorum facile est primitiua cognoscere. Cæterùm uiuarium tam animalium terrestrium locus, ubi uiua reseruātur, quàm natantium. Excipiuntur plantariū, quod ex planta est: & seminarium, ex semine, non loco. Carnarium, ipsa caro est ad uescendum. quę nomina de patrio sermone Hispanorum

Saxa, lego Aeneid. 2.

rum eodem adhuc sono referuntur. Strenuus & strenuitas, ad probitaté & fortitudiné pertinent, quæ in re militari potissimè comprobãtur. cuius uocabuli proprietaté præter Curtiũ, qui id Alexandrinis sæpè militibus accommodat. Ouidius mirè percepit, matroná inducés utiq; in leuandis puerperijs strenuissimam, sæpè per fores intrare & exire solitam, in mustelam itidem moraliter transformatam, eãdem exercuisse: hoc est, promptitudinem & mobilitatem. Nec à Salustio præteritur, Catilinã* strenuissimum quenq; in prima acie locasse, non ut fortissimum, sed promptissimum etiam, ac plurimum se sibi in primorum hostium irruptione confidẽtem. Nec non Cicero pulcherrimè in præceptis de pronunciatione: Quid uolumus ostẽdere factum, celeriusculè dicemus, ut sciamus uocem quoq; gestis accommodandum. Huic consimilia sunt alacer masculini, & alacris in communi, & alacritas: nec pro lætitia quidem satis aptè cõponitur, cũ festinationem tamen seu strenuitatem indicet, tanquã alis acer: quamuis ala producatur, hic aũt corripiatur, unde ala equitũ transumpta. Adhoc pernicitas & uelocitas ad corpus magis propriè, præcipueq; pernicitas: licet uocabulorũ quidã nõ cõpositores, sed corruptores ad animũ pernicitaté, ad corpus uelocitaté assignarũt, Virgilio nõ auscultãtes, à quo de Camilla dicit. Et pernicib. ignea plãtis. Sanè oẽs Hispani patrio sermone pernas, p crurib. dicũt. Ardẽs, itidẽ & ardor, ad animũ magis ptinẽt; cui ideo cõtraria sunt segnis atq; segnitia, q sine igne sint: inde cat? quasi caut? à greco pariter ardoré indicãte.

Salustius habet, Optimum quemq; armatum in primã aciem subduxisse.

Aeneid. 11.

Græcum est, καυτός.

Oneratus, qualicunq; pressus põdere: onustus ferè ut honestus uel honestatus, uti spolijs insi gnibus redimitus, tametsi utrũq; à uerbo onero sine aspiratione deriuetur. in quã fermè sen *Aeneid. 3.* tentiam poëta descendit: ut, Textilibusq; onerat donis. Ascanium intellige illis muneribus per Andromachen insignitum. Crudũ & cruditatem non à cruore, uel crudelitate interpretamur: sed truci toruoq; aspectu, quem ut stomachi cruditatem, hoc est indigestionem, abominamur. Et corpulentum rectius dixere quã carnosum. nam personatum ad ludos scenicos ac populares laruas assignamus. Reduces pro *Aeneid. 1.* priè, qui pericula euaserunt, cuiusmodi de cygnis ab aquila sublapsis: Vt reduces illi ludunt stridentibus alis. Iucundus adiectiuum, erga alios, ut de festiuo diximus: lætus uerò sibi. nã potest quis miser esse, alijs tamen ridiculo.

Hydri aquarum, serpentes terrarum: primus sermo à græca consuetudine aquam significans, secundus à latina, ad terram pertinẽs uel arbores. Iustitium non à iustitia intelligendũ, sed iuris statione, quod fieri soleret in publico luctu clausis tabernis. nam tabernæ omnis generis apothecæ sunt cerdonariæ. Puluinaria & lectisternia, idem esse, puto nos ex Liuio didicisse, quæ ipsis potissimum iusticij diebus proderentur: & puluinaria aliquando pro tẽplis habita. Priuilegium, lex pro priuatis facta personis, hoc est, separatim à communibus omnium legibus. Leuis & leuitas, præter uaniloquentiã, & inane põdus, prima porrecta* ad leuigationem pertinent, ut in marmoreis uel eburneis signis, & uasis argẽteis, uti dicitur, ad unguem

Leuigare apud ueteres lego, leuigationem non inuenio.

unguē perpolitis. ergo malè cum n litera scribentes, ut lenem & lenitatem significent, putantesq; nisi cum u, quod uanum & inane sit, describendum. Sic in Virgilio prauè scriptum deprehenditur, ac quotidianæ istorum epistolæ manifestant, de serpente præsertim Anchiseo inter lenia pocula, cum leuia scribi deberet, ac uolente metri ratione. nam lenem hominem esse, eiusque lenitatem, ut placabilitatem uel mansuetudinem, alia res est. Libertas loquendi ponitur, quia liberum par est hominem uera loqui, nihil metuentem. ergo libertas in bonum, qualem Drances à Turno postulabat: Det libertatem fandi. Quòd si Tullius dixerit libertatem esse uiuendi potestatē, ut uolumus, ad hoc tamen intendit, ut honestum uelimus. Licentia autem ad malum porrigitur, seu ad hominem uilioris conditionis, quàm ut in præstantium conspectu colloqui deceat, cui licentia ius suum dicendi permittitur magis quàm libertas. Morosus, moratus, morigerus, seu morigeratus, sic colliguntur, ut morosus nō à mora dicamus, sed difficilibus, contrarijs facilitati moribus, cuiusmodi Cato fuit Vticensis, atque interdum seueri ac duri senes existunt. Cæterùm cum mores aliquando pro disputationis dispositione malitiæ socientur, nihilominus ad bonitatem sępenumero, ac melius apponuntur: moratos autem bonos & honestis moribus institutos. Plautus, Dummodo morata ueniat, dotata est satis. Morigerus & morigerari est, qui alienis moribus siue illius uoluntati obsequiose deseruit: quale Tullius ad Herenniū dixit, Vt tuæ mo-

Aeneid.5.

Aeneid.11.

De Offic. li.1.

In Aulularia.

In procem. lib.1.

rem geramus uoluntati. Gena est uocabulũ, in quo omnes ferè æui nostri scriptores erraue runt: sed inter antiquos solus Martialis Hispanus uno in loco, qui excusari posit, pro mala accipiens, ubi in puerorum scholis sæpè legitur: Reginæ teneris oscula figo genis. rectè, & in loco dixit, propriè significanterque: & hinc causa erroris est apud ludimagistros. nã quia uetustiorum bonorumq; poëtarum genas pro malis apposuit, fortè obstinatius genas ꝑ malis, ut plerunque fit à pædagogis in uocabulorum ambiguitate, appositum cõtenderint. Genæ sunt palpebræ, quibus clauduntur & recluduntur oculorum sinus, & quibus carere pisces Plinius maior asseuerat, eos describens, non insectas habere genas: cum certè omnes mandibulas habeant, nonnulli etiam serratis dentibus non carentes: unde Ennius de dormiente, Imprimit genam genæ. Extat & in antiquis Campanorum epigrammatis, adolescẽtem egregium oculorũ aciem perdidisse, quòd amica genas *genæ frequentius intinxisset olei summa pinguedine, quæ propriè amurca dicitur: sic enim in fundo quælibet olei fex appellatur. adeò frequentissimè succurrunt admonenda ea, ut sciamus undique improprietatem deprehendi, ni diligentius aduertamus. Verùm quia paulo antè epigrammatis dixi, nõ epigrammatibus, in sexto casu, aduertatis ita concessum esse latinis oratoribus aliquando, quæ tamen paucæ sunt, ex græcis tertias trãsferre flexiones: sic poëmatis, enthymematis, erotematis. Sed quorsum distrahor? nec adhuc de genæ uocabulo significationem perfecerã. nam

Apud Sex. Põpeium.

Genæ quid hic faciat, nescio.

nam & Quintilianus exemplo est in tertio declamationum: Perpetua illi nocte clausę genę. Quorum quidem auctorum testimonijs illos ego magis cæcos existimauerim, qui maiorũ anteposita exempla non uiderint: nec Virgilius sanè, qui omnium proprietatum est obseruantissimus, ab hac ratione dissentit, Effusæq; genis lachrymæ: moraliter dixit, uti ex oculorum genis, non per malas effusæ. & alibi, Nec lachrymis caruere genæ. Licet imperiti ludimagistri pro malis à poëta dictum edoceant, & hinc errorũ in adolescentibus radix & causa, quòd se postmodum excusent, tales à poëta percepisse significationes. Sed excepto Alethe seniore in Nisum & Euryalum, ut mos est senum præ gaudio, ac puerorum ex mœrore, laxius flere, non oportuit cæteros præstantissimos heroas ora sua lachrymis consperfisse: quod ne mulieribus quidem, nisi parcè conceditur: ut, Sinum lachrymis impleuit abortis. nam id quoque ineptius est, cum præter malas, mamillarum locum, & gremium, indicant Didonem lachrymis impleuisse: cum à poëta per sinus indicium nihil præter oculorum orbes irrigari uoluerit, ut mos est adultæ uirginis, non infantulæ, inquiens: Nodoque sinus collecta fluentes. Ac multo diuersius in Bucolicis, Et sinum lactis. Quamobrem genæ quasi geminæ, quod ex claudendo reserandoque sæpius aduertitur: malæ uerò, quòd in mali, hoc est pomi formam inflatæ rotundentur. Maxilla à masticando, pars oris interior, uti mandibula cum ipsis dentium ordinibus. Quid dixerim de uocabulo criminis? nónne

Aeneid.6.

Aeneid.5.

Aeneid.4. ubi obortis, nõ abortis legitur, quod quidam probant.

Aeneid.1.

In Meliboeo.

&

& ridiculum cum pro culpa posuerunt, uti peccatum existimantes? cum sit criminatio, ac maligna sæpenumero, à cuius notatione ne Deus quidem excipitur, & uerè. nam, Nemo sine crimine uiuit: hoc est, aliorum de se criminatione, non ut falso interpretãtur, nullum sine peccato uiuere. Sic igitur passim effusis temeritatis & ignorantiæ carceribus, partim sermonũ significationis alienæ longeque contrariæ pro suis ipsorum accipi solent, partim inaudita maioribus nostris uocabula supponuntur: ut, spiritualitas, maioritas, minoritas, identitas & superioritas, cum inferioritate naturalitas, cum ingeniositate: ac diminutiua quædam turpia, muliebria, ut ingeniolum, studiolum, modulus. nam quid de Petrarcha dixerim, & Bocatio, Collutio Pierioque, tempestatis illius scriptoribus? in omnibus epistolis, quę adhuc extant, ut arbitror, cernere nonnunquam licuit, scaramuciam pro dimicatione aut prælio, badaluchum pro tumultu, roncinum pro equo, capitaneum pro duce, & id genus plurima. ad hoc principissa, à nostris dicitur ducissa, comitissa: haud sanè oratoria, neque poëtæ toleranda, tametsi palatina uocabula, ad plebeiamq; magis necessitatem quàm doctorum latinitatem accommodata, ut dubitem an satis rectè dicatur, iurista, legista, psalmista, euãgelista (equidem ipse non ponerem, licet dynasta ac danista) sed alia græcorum ratione proferantur, cum pro omnibus ijs aptiores subijci possent per sermonum ambitũ declarationes: ut, psalmorum & euangeliorum scriptor, diuinus uates, iurium uel legum, seu iuris ciuilis peritus;

consul-

consultor uel consultus, aut interpres, & id genus. Quin ipse Cicero cum in sermones aliquando duriores excidere necesse sit, à quibus abhorruit antiquorum auctoritas, uerecundas quasdam infert excusationes: ut, Sic aiunt, sic uocant, ut uulgò fertur: præsertimque in ea epistola, Amo uerecundiam. exempla sunt hoc loco necessaria cognitu, ac nonnulla, ut de binis alio modo græcè quàm latinè interpretatis. sed de his aliàs. Neque Ciceronis sententię in contrariam partem distorquendæ sunt, docentis nos in rhetorica uocabulis usitatis eloqui. non enim hoc genere pręceptionis adhortatur, ut plebeis palatinisq; sermonibus utamur (hæc enim noua semper apud multitudinem fiunt) sed pro consuetis ueterum sermonum intellige. nam quæ alia fuerit apud Tullium & Tulliana tempestate uocabulorũ consuetudo, quàm quæ à Romanorum priscis haberetur? Enimuero qui nullum penitus grammaticæ munus accepere de patria loquendi consuetudine, quædam magis propriè dicũt, quàm qui hac ætate doctissimi. Quod nulla potiori de causa fieri considero, quàm antiquata inter omnes iamdiu Italicos proprietate ex tanta multitudine hominũ, itidem multi populares uocabula quædam sicuti reliquias seruauere. Certè à plerisq; populis in lingua uernacula Bergomum literatius, quàm Pergomũ dicitur, Genua correctius quàm Ianua, Comũ disertius quàm Cumæ, uel Cumũ. nam de Cumis in Campania aliud. A Mediolanensibus autem, & quidem grammaticæ non peritis, uidemus prouinciam eorum Liguriam appellari,

Famil. lib. 9.

lari, seu Lombardiam à popularibus, ex Longobardorum (ut arbitror) gente barbara, quæ eam regionem inuasit: cum Liguria sit ager Genuensis, Genuaque eius prouinciæ maritimæ caput, si quid Plinio maiori, Liuioq; credimus, & Maroni præcipuè, uanum Ligurem appellanti: quod minimè iactasset, si Mantua intra Liguriæ fines haberetur. Quòd si ciuitatum prouinciarumque appellationes, aut posteritatis consuetudine, aut principantium arbitrio interdum uariantur, non tamen usqueadeò permutari solent, ut alternatim nomina mutata dixeris. nam quando Neapolim dicere liceat, quæ Roma sit uel Florentia, Romam uerò Neapolim? Sed cum prius Parthenope diceretur, de nomine uirgineæ probitatis, pòst etiam nouæ ciuitatis græcum nomen assumpsit. Idem de Byzantio & Constantinopoli dictum licet: idem de Numantia, quondam Sagunto: quæ apud Hispanos nunc eorum lingua barbara, Zamora, moreque ueterum nominatis. Ita cum Insubres agrum suum impropriè Liguriam appellent, quomodo demum Liguriam ipsam uocent? an permutato uocabulo Insubria nulla erit? Scilicet. utique illud populari iudicio stultissimum, purpuram credant ex albo, non rubro esse colore, ex illo potissimum testili genere nobilissimo, quod isti cerdones, Venetijs pręcipuè Florentiæque purpuram appellant. ob idque pictores adhuc cum Seruatorem pingunt, ut irrideretur, albo indumento circundatum fingunt, quòd purpureo amictu in speciem Iudæorum regis fuisse constaret. Ignorant uerò

Aeneid.11.

purpu-

purpurea toga reges uti solitos, eorumq; consultores & principes purpuratos & judices: de quibus Iuuenalis, Purpura uendit causidicum: ac græci sermonis significationem nescientes, per quam πορφύρειν ipsam purpuram colorem ue rubræ rosæ simillimum, ac lapidem porphyriten uti sanguineum uel hæmatiten accepimus: quem colorem ex cruore conchylium, & ostrea tinctura, punico seu artificio phœniceo sæpè confici relatum est ab Homero. φοίνικι μιήνῃ dicitur in comparatione sanguinis Menelai. Aggerant itaque errorem errori, Liguriam dicentes à leguminibus dictã, non syllabarum ordinem aut sensum aduertentes, cum à liguriendo, nõ à leguminibus dicta: & multo sit Insubria leguminum feracior, quàm ipsa Liguria. perparcè siquidem ea uiuit regio: & hic cum tenuitate, si græcam definitionem ab eo, quod est λιγυρεῖν, interpretamur: quemadmodum Comicus de meretricibus, Quæ cum amatore suo quum cœnant, liguriunt. Ita cum Mediolanensium dux Philippus Ligurum dominus appelletur, non improprie dicitur, quandoquidem & illorum populis imperitet: at cæteram eius ditionem, agrumque Mediolanensem Liguriam appellare, est impropriè loquentium. quamobrem ueterũ auctoritati deinceps ita pareamus, ut nũc partim peruerse sermones eorũ exponere, partim & nouos subijcere uideamur. Iliad. 4.

DE PROPRIETATE VEL IM *proprietate uerborum intelligenda.* Pars XXVIII.

NVnc de uerborum proprietatibus disse rẽdum, in quorum significatione in primis mihi ambiguum uidetur de amando scilicet, & diligendo, utrum sit uehementius. afferuntur nanq; alia ab alijs ueterum exẽpla, Ciceronisq́ue præcipuè, maiorem uim in amando disputantibus, cuius ista duo sunt potissimum: Sic igitur facies, & me aut amabis: aut, quo contentus sum, diliges. alterum: Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Contrà Terentij Virgilijq́; exẽpla uidentur quàm maximam amoris uim in diligendo demonstrare. nam de Lucifero legitur, Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes: ut cum alios amare non negetur, hunc tamen enixius ardere fateatur. & sanè poëtarum consuetudo est, ut cum de maximè amando demonstrare nituntur, omissa de amando ratione ueluti minoris efficaciæ sermone, ad diligendum potius, ardendumq́ue conuertẽre, ubi maior sensus appareat: ergo, Formosum pastor Corydon ardebat Alexim. At Terẽtius, Si te in germani fratris dilexi loco: satis enixè *diligentiam suam, ac magis quàm amorem fuisse manifestat. quam sententiam & illud eiusdem confirmat exemplum: Eam filiæ dilexit loco. Accedit præterea eodem auctore Comico, in amore multa incommoda sentiri, quę paulo

Ad Brutum. *Epist. famil. li. 9. Dolabellæ.* *Aeneid. 8.* *Virg. in Alex.* *Andr. Act. 1. Scen. 5.* *Diligentiã dicere maluit, q̃ dilectionẽ. nã & diligentia à*

paulo antè retulimus: inimicitias, ſuſpiciões, iniurias, bellum, quæ in diligentia minimè cõueniunt: cuius nominis ſignificatio nullam recipit ſedulè agendi intermiſsionem ſeu negligentiam. In amando ſiquidem remiſsionẽ ſæpè fieri uidemus, ut inter abſentes plerunque, uel pauliſper ſuccenſentes, aut inter parentes & filios, ſiue germanos, uulgari quadam, ut fit, ſolitæ coniunctionis ſecuritate: à qua ſuſpicione, cæterisq;, ut modò dictum, amoris defectionibus ideo illa ſe mulier expurgare conatur in epiſtolis Ouidij, Dic mihi, quid feci, *niſi te ſapiẽter amaui? Hiſce rationibus profectò maiorem uim habere diligentiam quàm amorẽ cenſebimus. unde ſępè dici contigit facere uel fieri diligenter, & quàm diligentiſsimè, cũ nihil ſuprà ualeamus. nam tum ea in quempiam ſumma eſt diligentia, cum nihil à rogato denegatur, quod ne amicitię quidem perfectiſsimę Tullius aſsignare potuit. Quamobrem cum apud Ciceronem magis ſit amare quàm diligere, quũ & alibi dixerit, * L. Clodius ualde nos diligit: apud nos certè ualębit, maiorem eſſe diligentiam quàm amorem, ut cum illi nos uerbi uictoriã aſsignemus, & ille uiciſsim nobis uictoriã nominis relinquat. In græcis non minus eadem eſt uocis & ſenſus differẽtia. habent enim uerba ἀγαπῶ & φιλέω, diligentiam & amorem indicantia. Cæterùm cum in ea modò Terentiana exempla uenerimus, notandũ eſt, eiuſmodi conſtructionem ſic eloquentius proferri, quàm ſi diceretur, Si te in germanum fratrem dilexi: &, Eam in filiam dilexit: ut nõnulli ſuo more dixerunt, Et accepit eam diſcipulus

diligendo eſt, quòd quæ diligimus, ſedulò curamus: utrũque tamen nouum.

Phyllis Demoph. ubi, Niſi non, legitur.

Ad Brut. Epiſtola 1. ubi legitur ſic, Clodius Trib. ple. deſignatus, ualde me diligit: uel, ut ἐμφατικώτερον dicam, ualde me amat.

pulus in matrem. Quamobrem, Habeo te loco fratris, uel pro fratre, loco patris, seu pro patre, sic de alijs: non, in patrem aut filium. Auscultare te, audire est: tibi autē, parere dicitur: ut, Consulo te, & tibi. Abiurare, est pernegare: ut, Abiuratæq; rapinæ. Periurare autem, quo uerbo utitur Plautus, unde periuria, ad promissa falsa pertinent, & fœderum inobseruationem: nam hoc præcedere uidetur, superius uerò post factum accidere. Adiurare & coniurare ab honestate non disiungetur. nam & coniuratio, conspiratio de oppugnando tyranno esse poſsit, non iniuria: seorsum autem in malo. ergo ad utrunq;: coniuratio tamen frequētius ad malum, conspiratio ad bonum apponūtur. Iurare ad confirmanda magis conuenit quàm neganda: ut, Iuro tibi me hoc facturum: non fecisse uerò, seu non facturum, non utiq; ueterū usu reperitur. Admouere, propius apponere: ut, Castra uel scalas admouit. Amouere cum a solo compositum, mouere uel remouere est. Sic aduerto, mentem & animum ad aliquid intendo: auerto, auoco. unde auersus contrario positus, ut digito digitus. auersus, ut amotus, & contrario aspectu, hoc est, diuerso. nam diuersus & auersus idem sonat. Itidem poëta iratæ Palladi designat, & sic ad animum pariter auerto: ut, Auersa deæ mens. &, Diua solo fixos oculos auersa tenebat. qui locus tam menti, quàm ori supponitur, quanquam & oculos auersos intelligi queat, quod ualde auersantis est, præsentem ante ora non intueri. Animaduertere & animaduersio ad tormenta & quæstiōes nō minus pertinet, ac ornatiſsimè, q̄ ad animi

Virg. Aenei. 8. *Bacchid.* *Aeneid. 2. & 1.*

animi intentionẽ. Attingere. eſt, quod uix tan-
git.ergo nõ idẽ ut tãgere uel cõtingere, uti qui
dã ſcripſit: At noſtrũ opus Angliæ & Hiſpaniȩ
fines attigit: cũ multũ prodijſſe ſe eo ſermone
oſtendiſſe conaret̃. iam ſæpè dixi, & iterũ repe
tens admonebo, nõ licere oratori quidẽ: inter-
dũ metri neceſsitate poëtæ cõfundũt, ut apud
Iuuenalẽ, Qui nunq̃ attigerãt maiora cadaue-
ra corui: pro, nõ tetigerãt, ſeu cõtigerãt. At nõ
confundũt Virgilius atq; Terẽtius: ut, Primaq́; *Aeneid.1.*
libato ſummotenus attigit ore. &, Atq; ſi illã
digito attigerit uno. Auguro & auguror, non
idẽ exprimũt, ſicut pleraq; o & or terminata
uerba apud ueteres eiuſdem tantũ ſignificatio
nis: ſed auguro ſecundũ Pliniũ, cũ prȩſagio mẽ
tis futura colligimus. Virgilius, Et ſi quid ueri *Aeneid.7.*
mẽs augurat, opto. nõ enim pro auguratur in-
telligendũ, ut reuertit, pro reuertitur. Auguror
uerò, cum futura ueris captamus auſpicijs: &
auſpiciũ, quamuis ab auſpicando ex auium ra-
tione poteſtatem ſignificat: ut, Paribusq; rega *Aeneid.4.*
mus auſpicijs. inde ductu auſpicioq́;, ſæpè me-
moratum. Fore & eſſe inter ſe tantum diffe-
runt, quantum præſens à futuro tempore. hoc
uidelicet præcipuum eſt, ubi noſtræ tempeſta
tis non pauci, & pro doctiſsimis habiti er-
rant. Cernere tantum eſt eorum ſcripta uel e-
piſtolas palatino ſtrepitu rauceſcentes. Quip-
pe cum à me ſæpè commoniti fuiſſent, ut fo-
re ſemper in futuro locaretur, eiſque Virgi-
lij, Ciceronis, Saluſtij, Terentij, omnium-
que illúſtrium oratorum exempla fruſtra de-
monſtrarem, in ſiniſtram partem retorquen-
tibus, in eam tandem excidere uoraginem, ut

cum altero futuro futurum aggerarent. Exemplum eorum eſt: Quicquid in buccam uenerit, dicendum fore. O quàm commodè in buccam fore concidit. Eant igitur, & ſine riuali ſeq; & ſua ſoli ament, qui ſcriptis ſuis etiam uel ad principes, uel maiores natu, ſeſe in plurali forma deſcribunt: alios uerò ſingulariter appellátes, pro Ciceroniana quidem magnificentia, quem nulla magis æqualitate quàm hac ſcribendi ſuperexcellentia uidentur ęmulari. Atqui peritiores nõ, Dicendum legendúmue fore, coniungunt, ſed dicendum eſſe, quòd omnino futurum ſignificat oratio. Nam aut dicẽdum fore principaliter poſitum, aut dicturum eſſe proferendum eſt. Vel ſi paſsiuè uoluerimus, Dicendum eſſe, non autem fore: quemadmodum dicitur ſæpè, Ero præſens, uel ſum futurus: non autem, Ero futurus, utroque modo futurum demonſtrando, non futurum futuro ineptè impropriéq; commiſcendo. ergo Fore ſola ſui uoce futurum exprimit, ſicut futurum eſſe: tametſi forem, fores, foret, ac id genus, in ſingulari numero pro eſſem, eſſes, eſſet apponatur, adeò ut Saluſtius præter fore à ſe poſitum in futuro, prædicta quoque uerba more græco ad futuri temporis indicationem accõmodet. & ſanè quod in græcorum eſt erotematis pro εὐκτικὸν μέλλον, quo ipſi ſermone optatiuum futurumq; ſignificant: ut, ἐσοίμην, ἔσοιο, ἔσοιτο, nulla ratione latinè magis quàm pro forem, fores, foret, interpretari licebit. Proinde ab eodem Orat. 3. in Catilinam dictum de Lentulo, ſe tertiũ eſſe, cui fatum foret urbis potiri, eloquentius ſanè ei uiſum quàm Eſſet. Sed ecce exempla, quę

de

de Fore dare sum solitus. Tullius ad Trebatiũ in epistolis: Scripsit ad me Cæsar perhumaniter, non se tibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certè fore. excipiunt isti ita dictum à Cicerone, nobis uel fore uel esse in eadem ratione poneretur, idem tamen significare. O quàm probè responsum, nunquid Apollo uel Themis ita respondebant? Sed audiant Virgilium: Nanq; fore illustrem fama* factisque canebant Ipsam, sed magnum populo *prætendere bellum: nimirum hæc oratio ad futura penitus inclinat. Et in argumentis Andriæ, Grauidaq; facta dat fidem sibi fore uxorem hanc: quippe quæ adhuc uxor Pamphili dici non potest. Et quod modò dixi in nominum seu comparationum proprietatibus: Scias te quidem mihi esse charissimum, sed multo fore chariorem, si his præceptis monumentisq; lætabere: pro uerbo futuri temporis constabit exemplum. Sunt & Salustij, Valerij, Liuij, omniumq; ueterum exempla ita certissima perquirentibus, ut ne fortasse græcè dixerint, utrouis tempore componendum, tanq̃ esset aoristus, nusquam nisi per futuri temporis significationem fore scriptum ostendent, quo quidem impudentius est apud doctos errorem deprehendere. Quin ijdem pariter, qui ita se scire græca profitetur, εἶναι pro esse in præsenti, in futuro autem longè aliter, ἔσεσθαι uel γενήσεσθαι, & μέλλον haud dubiè pro fore uel futurum esse, uel γενέσθαι pro fuisse cõpererint. Quid de oro & exoro dicendum? Ingens est ignorãtium oratorũ barathrum, qui exorare ita accipiunt, ut ualde uel frequenter orare, sicut exor

Aeneid. lib. 7.
Fatis, & portẽdere legitur.

no,ab orno,& alia uerba,quæ cum præpositione componimus:adeoq; ineptè, ut nunquã sibi ipsis contradicendo propositum sententiæ suæ peruertant, quippe cum orare sit precari: exorare autem, cum impetratur postulatum. An non ridiculè dixerint, Sæpè literis meis te exoraui,sed facere noluisti.Ergo scienter à Vir-
Aeneid.3. gilio,qui Helenum uatem pacem deorũ exorantem inducit,hoc est,impetrantem,cum prædixisset, Cæsis primùm de more iuuencis: in quorum mactatione deprecationem quoq; factam intelligi par est. ita quidem oramus aliquando, non tamen exorantes: sicuti suademus,sed persuadere non possumus (quod est græcè πείθειν & ἀναπείθειν) & audimus, uerùm
Phorm. non exaudientes.Itidem àTerentio,cùm aliàs sæpè egregiè,tum illud præstãtius: Non omittis me Æschine.at ille: Non,nisi te exorem. & illud,Nequeo te exorare,ut maneas hic triduum.nam si pro precando,quid enim obstabat, quin ilicò precaretur? sed cum pro impetrando id nequibat Phædria,quod à lenone consequi proposuerat. Extare, existere, æstimare, existimare: prima duo habent extiti.primum autem extare,remanere est,superesse,uel quasi extrà stare,& eminere inter alios, uel alia: uti dux procerus inter milites, aut stans inter sedentes,siue quis splendidè armatus inter inermes,& hoc uisu:per cognitionem etiam,ut doctissimus quispiam inter rudes, & eiusmodi multa.Porrò existere,cum ui manere,& motu plerunque:æstimare,cum precio censere, existimare,est ut iudicare. Expleri, tantummodo plenum esse:satiari uerò, supra modũ. Exhibere

hibere malè ponitur pro re qualibet, ut sumptum exhibere, librum, pecuniam: cum uel solam duntaxat, seu magis propriè personæ exhibitionem significet, hoc est, præsentiam. Cōfunditur in metro nonnunquam, quod tamē eo loco seruat Ouidius, Palladaque exhibuit, uenerantur numina nymphæ: cōtra Arachnen, cum se prius anum simulasset. Contrà uerò, pleraque seu composita, seu simplicia sint, nullam habent sensus differentiam, etsi habere uideantur: ut eligere, deligere, & legere idem ualent. Virgilius, * Quasque legat de classe biremès. Et alibi, Ex numero deligit omni: &, Lecti nauibus ibant, nihil prorsus differunt. Quibus & hæc nonnulli coniunxere, refero, reporto, repræsento, renouo, uel innouo, reposco, remoueo, nihil magis quàm primitiua demonstrantia. Augent & quædam omnino, præcipuè cum hoc orationis ordine: ut nō solum, uerumetiam: Non solum legi, uerumetiam perlegi. quod est totum legere, uel bis térue legere. Ideoq; Virgilius: Quin protinus omnes Perlegerent oculis. Sic perfeci, perscripsi, pertuli, peroraui, persecutus sum. Curtius de Dario apud suos: Bis me fugientē persecuti estis. nam insequor ad insidias & uiolentiam pertinet. Seneca Tragicus: Leue est miserias ferre, perferre est graue. Quinetiā uerba cōposita, quæ isti negationē significantia crediderūt, auctionē sæpè demonstrāt: ut, Inseruio, deseruio, inscribo, & multa huius generis. auget enim officiū, non diminuit. Itidē uarijs sensibus mutabilia sunt, migro, emigro, commigro, remigro. transmigro. Porrò migrare non

Metamorph. lib. 6.

**Aenei. 8. legitur, Geminas legit, de classe biremes. Aen. 7. ubi legitur, Equos numero pater eligit omni. In quinto uerò sic, Quatuor ex omni delectæ classe carinæ. Et in primo, Cunctis nam lecti nauibus ibant. Et lib. 6. Quin protinus omnia, Perlegerent oculis. alij legunt Omnē, & perlegerent: non Omnes.*

minus, quàm de uita dicitur excedere, ſicut ad aliam uitam tranſire: emigrare, loco deſerto, unde receditur: commigrare, uel cum alijs ſimul exulare & abire, uel bis térue ad uaria loca contendere: remigrare, ad eundem locũ reuerti: tranſmigrare, quàm longiſsimè ad alienas gentes, præcipueq́; tranſmarinas accedere. ſed in metro confunduntur, primaque præcipuè. Mutant & aſſurgo, conſurgo, reſurgo. Affert quoque contrarios ſenſus præpoſitio, per quam negationem penitus, non auctionẽ intelligamus. Virgilius, Reſerat ſtridentia limina conſul. Eiuſdem eſt ſenſus claudo & recludo. Idem, Veteres tellure recluſit Theſauros. Tego, retego. Idem, Cæcumq́ue domus ſcelus omne retexit. Figo, refigo. Idem, Fixit leges precio, atque refixit. Signo, reſigno. nam reſignare, ſignum & obſtaculum eſt tollere: ut de Mercurio, Dat ſomnos, adimitq́ue, & lumina morte reſignat. Sic ergo literas reſignamus, cum eas aperimus. & reſignare, reſtituere. Horatius, Tibi cuncta reſigno. ſubſignare uerò rectius in ſyngraphis annotatur. Tendo, retendo, ut in arcu propriè. Ouidius, Arcusq́ue retentos in metam. ideoq́ue alibi, Si nunquam ceſſas tendere, mollis erit. Texo, retexo, quod eſt ut conſtructum intextumq́ue reſoluere. Iiſdem & hæc ferè conſimilia conſequuntur, ut proſpicio, inſpicio, deſpicio, conſpicio, ſimulo, diſsimulo, & id genus pleraq;: quorum propriam ſignificationem ſi ſcire contendimus, non aliunde perfectius q̃ ex præſtãtiũ auctorũ ſedula lectione cõſequemur, ut q̃ diligentiſsimè quoq; loco repoſita ſunt, & ipſi

Aeneid.7. *Aeneid.1.* *Aeneid.1.* *Aeneid.6.* *Aeneid.4.* *Lib.1.Epiſt.7.* *Phædra Hippolyt.*

pariter effingamus. Scio plerosq; nostrorum, qui de uocabulorum naturis suo intellectu libellos ediderunt, in literarum ordinem distinguentes, aliorum quædam egregia præcepta suis inseruisse: ut quidam præcipuè nouus homo Genuensis doctrinam tradidit, quid inter familiaritatem & amicitiam, inter agnatos & cognatos differret: quæ cum malè ipsi à ueteribus, ubi posita sunt, intellexerint, sibi præceptore magis opus esse censerem, quàm sese alijs magistros exhibere. Sed ad seriem nostrã regrediamur. Nauare, studiose implere, ideoq; sæpè construi solet cum opera, labore, studio, cura, uigilantia, industria, diligentia: tractum à solerti nautarum ministerio. Consulere, præterquam dare uel accipere consilium, aptissimè ponitur pro cuipiam opportunè rei prouidere, & in hoc sensu optimi sæpè utuntur scriptores. Consultare, aut sæpè consulere est, aut certè inter duos secretoq; cõsulere: hinc consultor uicissim appellatur interdũ qui cõsulit, & qui cõsulit̃. Consultus homo, grauitatẽ uirilẽ, dignitatem, auctoritatemq; demonstrat. Compellare propriè est coràm & cominus alloqui, & amicè præcipuè, ac inter duos dũtaxat: quo quidem sermone & sensu Virgilius libenter utitur. ut, Compellare uirum, & dextræ coniungere dextram. &, Dictis ultrò compellat amicis. Quandoque etiam reprehendendo, ut Gyas rectorem suum compellauit. Sed utcunque tamen est ut cominus appellare, græca etiam uoce demonstrante: nam ipsi προσφωνεῖν dicunt, quod est antè uel coràm appellare. Precor & imprecor pro eodem sunt, sed imprecari uehementius,

Aeneid. 8.
Aeneid. 2.
Aeneid. 5.

Aeneid.4. uehemĕtius,quasi adiurare:ut,Littora littorib. cōtraria fluctib. undas Imprecor. Et deprecari frequĕtius pro alicuius personæ beneficio, ali quando pro recusare, tergiuersariúe:ut,* Mor tem neq; deprecor,adsum.Regunt plerunq; ac cusandi casum,nonnunquam dādi:ut, precor uel imprecor tibi mortem.Incusat minor ma-iorem:accusare parem uel minorem.Quinetiā ineptè confunduntur expugnare, oppugnare, propugnare, quæ ueterum crebris significatio nibus distinctè reperiuntur. nam expugnare idem est ut debellare: unde expugnatio debel latioq; ad arces propriè, uel mœnia uel præsi-dia,cum ui capiuntur pertinet.quod etiam Ho meri græca uoce comprobatur:ut, ἴλιον ἐξαλαπάξαι πόλιν:id est,Ilij urbem expugnare siue debel-lare. Quamobrem Terentius non impropriè Thrasonem illudens inquit, Primùm ædes ex pugnabo:quas adhuc non oppugnauerat.Pro pugnatio autem repugnatioq; ad defensores pertinet. Quæ ideo uerba per figuram pariter hominibus attribuuntur, cum quempiam orā do exhortandoúe, aut fortè comminando su-perare tentamus, & in sententiam nostram ad ducere persuasionibus. Promereri semper in bonis habetur:nam bene agere est. Virgilius: Nunquam regina negabo Promeritam. at me reri & meritus in malis nonnunquā,quemad-modum,Meriti sunt supplicium. Item mereo pro mereor antiquè,sicut reuerto, ac pro mili-tare,cuiusmodi Lucanus, * Ære merent mo-dico. nam à mereor, mereris nos habemus: nec poëticè tantum, uerumetiam oratoriè di-xere.Sanè Valerius,Decreuerunt,inquit,ut ex ijs,

Aeneid.12. *Equidem me-rui,nec depre-cor.illud uerò unde sumptū sit,nescio.*

Eunucho.

Aeneid.4.

Libro 10. ubi paruo,nō mo-dico legitur.

ijs,qui equo meruerant, peditum numero militarent.quod cum à mœrore seu mœsticia descendit, cum æ scribendum quidam uoluere, ut sit à macerando. Morari passiuum & transitiuum est.Terentius,Nihil moror. Quid ulterius moror? Et morari, alium in mora trahere seu distinere.Gemere,non flere est,ut confundunt,sed suspiria ducere, si ad animata: ad insensata uerò ut strepere est, quod datur arboribus sæpè & ripis, cum à uento fluctibusque feruntur:ut Virgilius, Gemitumq; dedere cauernæ:ex hastæ scilicet incussione,non armatorũ questu.Quòd si flere sit,muliebriter foret à Lucano de Pompeio descriptum, quem gementem erga uxorem,inducit: & licet paulo superius madidas genas eius ostenderit, quas pro oculorum tantum orbibus intellexisse puto,non tamen ululasse uel plorasse, sed suspiria duxisse tantum arbitramur. Cæterùm quid ambigui Cordubensis exempla perquirimus? Ecce Virgilij de utroque sermo, & in uno uersu planissimè: Lachrymansque gemensque. nam ab Euandro uehementer lachrymante, ac suspiria cum singultibus effundente,filium defletum esse par est.Quòd si ad complorationem utrunque referas, cum maiori quidem uerbositate fuerit, minorique sententia. Dare pœnas,& accipere, maiores nostri alia ratione distinxerunt, quam à nostris sæpè præceptum est. Dantur enim pœnæ à noxio,non à puniente: sumuntur à puniente, seu ulciscente, non autem à noxio: siquidem pœna non pro ipso supplicio sit, sed supplicij sumptione per alium, tametsi uocabu-

Varro de lingua Latina.

Aeneid.2.

Aeneid.11.

uocabulum hoc à pœnitentia ducatur. Ergo
Aeneid.4. Dido cum se consolatur, Vlta uirum, pœnas inimico à fratre recepi: non mihi persuadet se supplicia à germano sumpsisse, sed de fratre meritam punitionem accepisse: hoc est, uindicasse. nam dixit, Vlta uirum. Eadem ratione
Aeneid.4. in Æneam minitatur, Dabis improbe pœnas: hoc est, de te sumam ultionem. Cicero in Philippicis de suis inimicis superatis, Mihi pœnarum illi plus quàm optarem, dederũt. Ac illud clarissimum quidem exemplum est de Sino-
Aeneid.2. ne, Iamdudum sumite pœnas: cum ipsi Troiani non in sese supplicia, sed in hostem forent
Aeneid.11. illaturi. Item hoc pulcherrimum, Tros, Italusúe mihi pariter det sanguine pœnas: nempe Diana pro ultione Camillæ minitatur. nam quas ipsa potuerat à mortali homine in se diuam mortis pœnas accipere? Quibus rationibus apparet secundum poëtam, apud inferos non eas pœnas pati, sed pœnarum supplici-
Aeneid.6. cia: ut, Omnia pœnarum percurrere nomina possem: scilicet quæ ab inferorum ultoribus de noxijs accipiuntur, dantur autem à damnatis. Dare tibi literas dicimus, ut alteri perferas: dare ad te, hoc est, ad quem perferantur: ideoque utroque sensu interdum poni contingit. ut, Tabellario literas dedi ad filium meum Hieronymũ. Dicimus &, Me dolet tuæ miseriæ, passiuè: & mihi dolet miseria tua, transitiuè. Dicere diem, est accusare: ut, Diem tibi dico, uel dicam. dicere tamen est defendere. Dono te corona, libertate, equo, politius dicitur, & oratoriè, quàm dono tibi coronam; quod sæpè Liuius & historici usurpant:

pant:ut,Eum ſagulo aureoq; annulo donauit. nam quod Virgilius dixit, Donat habere uiro decus,& tutamen in armis:poëticū eſt,& græcè tranſcriptum,pro eo quod eſt, donat habendum loricam, quæ ſit decus & tutamen. hinc Terentius,Pamphilum tuum adductum & inuentum curabo:cum hic nominatiuus ſit pro infinitiuo,illic infinitiuū pro nominatiuo poſitum. Vacare ſi cum dandi caſu,eſt deſeruire. Ouidius in Epiſtolis, Vt tibi Colchorum memini,regina uacaui.Si cum ſexto,carere eſt:ut, *Burſa uacans auro.Aliquādo ponitur abſolutè,more imperſonalis uerbi , ſicuti uacat, pro eo quod tempus eſt.Virgilius, Et uacet annales noſtrorum audire laborum. Accedere non uenire propriè,ſed propinquare:ut,Accede ad ignem hunc.& accedere,ſuperuenire: ut , His commodis acceſsit & alia felicitas . Vel in malum,ut ſæpenumero contingit : His malis uel miſerijs acceſsit & alia calamitas.Dicitur aūt, Acceſsit mihi,& ad me:ad hāc rem,& huic rei. Oratorem adſciſcere ad ſe,uocare eſt: nec impudenter aut temerè,ſed ſcitè,cautè, conſultò uocatum petere.Conſciſcere , de ſeipſo magis ordinatur,& ſibijpſi cōſcio ultrò:ut , Qui mortem ſibi conſciuerit. Pollicemur ſponte noſtra,promittimus rogati . Profitemur ultrò, ſed neceſsitate coacti fatemur,uel confitemur. Profiteri quoq; eſt aliquam ſententiam,uel artem,aut uitæ genus,quod ſæpè ex corporis habitu recognoſcimus . Proſcribere,cum ad uenale proponitur.nam ideo nobiles quondam tyrannicè proſcripti dicebantur,quòd eorum bona uenderentur. Deſcendere perpolitè dicitur,

Aeneid.5.

Andria.

Burſa,nouum: ſed à Græco βύρσα, *id eſt, corium.*

Aeneid.1.

citur,ut in campum,prælium,disputationem, certamen, ubi de periculo & discrimine sit agendum. Timemus nobisipsis,saluti nostrę,dignitati,honori,amicis, domui, nostris fortunis: timemus inimicos, iniurias, suspiciones, & id genus multa. Sancire, sanctus,sanctio;nã sanctitas nouum est. Apud gẽtiles sancire fuit aliquid sub sanguine hostiæ consecrare: sic enim sanctum appellabatur,eoque cum ritu leges sancitæ dicuntur. Vtimur quotidianis necessarijsq; rebus, unde usus ipse hominum rerumq; magister. Fruimur his potissimũ,quę ad uictum sunt necessaria:unde frumenta meritò,frugesq; dicuntur,tametsi unum corripitur,alterum producitur. Fruimur itidem re potita,ut dignitate,fortuna,uxore,liberis:in quo significatu fungor adscribitur. Ideoq; defungi & defunctus,uel defuncto magistratu, & defuncti dicũtur,qui aliquod insigne munus uel laboris,uel ocij compleuerunt, propter quod defuncti uita pariter nuncupátur:ergo defungor,est finio. A fruor autem participium fretus,itidem ut confisus significat. Lactare,lac præbere:lactere,lac sugere. Sic lactantem nutricem,& lactentem puerum discernimus. Lacteum pro albo uel candido, poëticum est, sicut & niueum plerunque in eodem sensu accipitur. nam & lacteas mamillas, & frõdeam syluam,aut montes niueos oratoriè dici uix permittitur. Consolor & solamen (nam consolamen non usurpatur) ad orationem pertinet consolatoriam. Solatia conferuntur ex rebus intensum dolorem mitigantibus magis, quàm solis uerbis,ut est alteram rem pro re amissa

missa substituere: præcipueq; in funeribus, ut inimicũ interemisse, qui tuũ amicũ occiderit: ut quippiam simile quod rependat, & ut captiuo sumptum, opẽ, auxiliũ exponere. Proinde Æneam Euandro solatia misisse, poëta describit magnificẽtissimũ geniti funus, & qui ad inferias necarentur. In eadẽ significatione est de liberali in Lausum funere: ut, Miserã solabere matrem. Terentius de Chremete ad Menedemum, quoniam uerbis agebatur, Certè aut cõsolando, dixit, te iuuero: quo patet oblectamẽtum plus esse quàm solatiũ. Conari & conatus eam exprimit significationẽ, cum quid facere tentamus seu commolimur, quod perfici nequeat, alioquin niti uel conniti, ad & in dicendum ẽst: ut, Dexter in aduersum nitẽs, de Hercule contra Cacum dixit: &, obnixè frumenta humeris, de formicis, quæ cum grana uix conuectent ad cauernas, tamen important: unde enixa uel connixa, quæ cũ labore pariẽs, tamẽ peperit. idẽ ergo perpolitè Virgilius, Et in medijs conatibus ægri* Deficimus: nam ut meminerit is non à Virgilio, nec Cicerone, ac præstãtissimis ueterũ, quos sæpè quatuor esse proposuimus, conamẽ dicitur, licet Ouidius de Cadmo in serpẽtem: Et magnum magno conamine misit. Consterno & consternor tertiæ cõiugationis, in actione & passione ad corpus & res stratas sternendas'ue componitur. Consternor consternaris passiuæ significationis est, uelut exanimatum, stupefactum, terrefactum úe fieri, ad animum quàm corpus pertinet magis. cuius actiuum uerbum consterno in aliam significationem auertitur: cuiusmodi Virgi-

Aeneid. 11.

Aeneid. 10.

Mortem, non matrẽ legitur.

Aeneid. 8.

Aeneid. 4.

Vbi etiam obnixæ legitur.

Nõ deficimus, sed succidimus habet.

Aeneid. 11.

Metamor. 3.

Aeneid.2. Virgilius, Ignarosq; loci pasſim, & formidine captos Sternimus. ita ſegetem, fruges, herbas, tectum, eſt ſternere: cuius præteritũ, ſupinũq; conſtraui, conſtratum compoſitè: ſimpliciter uerò ſterno, ſolo æquata: ut, Strata iacent paſſim. Calumniari & cauillari eandem habent cum ſua diuerſitate ſignificationẽ, ut ſuprà de cauillatione calumniaq; commemorauimus.

Commodare, de quauis re dici, oſtẽdit Cic. Verr.6. Commodaſti tritici modios 60. & pro Cælio, Cur tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares?

* Cõmodare propriè mutuo dare, quod idem ſemper domino reddendum ſuo: ut librum, equum, indumentum, domum, famulum. Mutuare autem & mutuari, ſeu fœnerare & fœnerari, de ijs aptè dicitur, quę eadẽ ferè nunquam redduntur, præſertim continuo uſu abſumi ſolita. In quo genere & pecunia numerari poteſt, tametſi aliquando eadem redditur. Cæterùm in o deſinentia, de dando: in or autem deponentis uoce, de accipiendo, ut ſit mutuans uel fœnerans, qui mutuum dat: & qui fœneratur uel mutuatur, accipiens. In uerbo caueo, cauendum eſt ineptè negationem ſuperaddi. ut, Caue ne id facias: cum ſatis ſit, Caue id facias, ex uerbi natura negationem per ſe ſignificantis. Terentius, Caue falſam gratiam ſtudeas inire: &

In Mœri. Virgilius, Occurſare capro, cornu ferit ille caueto. Arbitror tritum omnibus documẽtum, præcipuè qui Tullianas nouerunt epiſtolas: repetam tamẽ, cum multos ipſarum, ut ſe iactant, familiares, & hoc loco & alijs ineptè labi uideamus, de agendo ſcilicet, & habẽdo, referẽdoq; gratias. Gratia igitur tũc haberi dicetur, cum neque oratione, neque opere adhuc collato beneficio ſatisfaciamus. nam propriè habetur, & quaſi alieni iuris eſt, quod nequaquam

nequaquam redditur. Cæterùm animo tamen memori gratiam retinemus, aliquando uel ſermone, uel pari aut præſtantiori fortè retributione* magnifaciendam. Agimus autẽ eas uerbis, unde actio & oratio. Gratiam uerò referimus, quod optimum eſt: & gratificari idem ualet, cum digna merita retribuuntur. unde Terentius, Quid uenire in mentem nunc poſsit mihi, quî referam ſacrilego illi gratiam? Sed hic in ſingulari numero: utrunque uerò Virgilius una ſententia comprehendit: ut, Quas dicere grates, Quasúe referre parem: & hoc ex re uel opere. Regratiari uerò, ſiue regratulari, uel gratiari, à doctis non habetur: neq; recommendare ſeu recommittere, ut iſti tanti adeò epiſtolarum compoſitores ſcriptis ſuis interſerunt, quas ornatiſsimè ſcriptas haberi uolunt: at Cicero certè in ſuis ornatior eſt, qui etiam atque etiam commendare dicit, uel committere, nõ recommittere. Gratulator uerò, atq; congratulor, & gratificor, potiora ſunt uerba, epiſtolari ſtylo apprimè conuenientia. Gratulamur autem alijs & nobiſipſis, cum gaudemus ob felicitatem magiſtratuum, affinitatem initam, & eiuſmodi. nec minus grator inuenitur in eadẽ ſignificatione, & ab eo poëta, uti modò de Grates dictum eſt exemplum: & in quinto, Gratatur reduces. Gratulamur & dijs immortalibus, quod non eſt ſecum gaudere, ſed eis gratias agere. Gerere, geſsi, & omnia eius uerbi deriuata rerum adminiſtrationem rectius ſignificant. Portare & ferre ad alia commodius exprimuntur. Memoro & commemoro idem intendunt, ut refero uel dico. ſic Virgilius: Mu-

Forte melius, Manifeſtandã.

Aeneid. 11.

Aeneid. 1.

Odyß.lib.1. la mihi causas memora.& Homerus, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα. Quanquam illud Virgilij præstantissimum, Et meministis enim diuæ, & memorare potestis, exemplũ manifestissimũ; quod alia ratione quàm pro referendo nõ procedit. Quàm malè ergo quidam ludimagistri: ut, Memora mihi lectionis, pro eo quod est, fac me lectionis memorem. nam apud peritos memoro transitiuum est, quamuis memor autopatheticum, uti recordor aut reminiscor. itidem recolere in autopatheticis habetur. ergo incõmodè, Recolo tibi lectionem: sed, Ego recolo lectionem, uel legisse. Nancisci & nactus, acquirere & inuenire est, ac suũ non iniuria facere, quod sui iuris prius nõ extiterat. Interdum ad malitiam flectitur; sed cum temporis tamẽ aptitudine: ut cum quis nactus opportunitatem, id est, occasionẽ alterius inuadendi, & per insidias furtum committendi, ita locum tempusq; requirit huius uerbi significatio. De ire & iri, quæ cum supinis actiuę, pasiuæq; uocis construũtur, Terentius exemplo est: ut, Hodie uxorem filio datum iri. & hoc in præsenti passiuo positũ: in actiuo autem & pręsenti similiter, si datum ire diceretur, plerisq; placet ad futuri temporis significationem asignari. Sed non minus aduertendum in duplicis constructione sententiæ, ubi solo duntaxat principali uerbo fungimur, non nostram, sed personæ auctoritatem anteponẽdam: ut istum canem uel equum quàm illos magis currentem dixerimus, non currentes: rursus istos canes uel equos, quàm illum currẽtes magis exponetur, non currentem. Hoc autem in participio, in

Aeneid.9.

uerbis

uerbis itidem est ordinandum: uos ipsi exempla colligite. Intercedere & intercessio in boni maliúe significationem attrahitur: in malũ frequentius apud historicos, cum uirorum nomina, magistratuumúe simul interponuntur: ut, Cato orationi Cæsaris intercessit de Catilinæ coniuratis: hoc est, obuiam iuit, & se opposuit. Itidem, Tribuni plebis edicto consulum intercesserunt. Ita commodè intercessio impedimentum fuerit. In bonum cõtrà, si bonis affectibus alligatur: ut, Intercessit mihi tecũ affinitas, fœdus, societas: uel tibi cum illo, illi tecum. quod ferè ualet ut interuenit: nam quod Terentius dixit, Si nulla ęgritudo huic gaudio intercesserit, tam pro interuenerit, quàm pro obuiam iuerit, facilè potest intelligi. Intercedere quoq; pro aliquo dicitur, ut Cicer. Philip. 2. Tãtũ enim pro te intercessisse dicebat: id est, spopondisse. Et alibi, Intercessisse pro eis magnã pecuniã: pro eo quod est, impetrasse. Interimere intrãsitiuum est, ut cum alterum occidimus: & cum autopatheticon est, accusandi tamen casum regit. nã nõ perfectè diceretur, Cato interemit, pro eo quod est, obijt: sed, Cato seipsum interemit. Quod autem omnibus ferè uerbis dãdi casus possit accommodari, ut plerunq; ornatus gratia ponitur, magis tamẽ poëticum est quã oratoriũ, ut metri necessitate factũ uideat̃. nã & pronomina superfluè pariter intexũtur: ut, Multũ ille & terris iactatus, & alto. Igit̃ & tibi scribo, ardeo, aro, quẽadmodũ tibi seruio, nõ incõgruè dicet̃: cui⁹ casus significatio est, ut ad tuã uolũtatẽ aut utilitatẽ factũ cẽseat̃: quã sẽtẽtiã illi pręcipuè Virgiliani uersus

Andria.

Aeneid. 1.

affirmant, Tibi lilia plenis Ecce ferunt nymphæ calathis, tibi candida Nais Pallentes uiolas, & summa papauera carpens: & quæ uerba sequuntur. Fingit & pingit ad eundem intelliduntur effectum. * Prouocare & lacessere in bonum & malum accipi solet. de malo frequẽtibus patet exemplis: ut, probro uel iniuria lacessitus: in bonis, ut, Tuis me literis amantissimis lacessisti: hoc est, prouocasti. Interuertere, de medio quicquam per fraudem & calliditatem tollere. Inuertere, quod exterius erat, interius uoluere, & contrà: ut chirothecam, pellẽ, uestem. Inuergere, uel cum dextra manu in dextram pariter fundere, uel cum sinistra in sinistram uicissim partem, quod est manum exterius intorquere. Horum igitur uerborũ improprietates & proprietates atq; naturas, quo suo quæq; loco deceat accommodare, ut pulcherrimum sit oratoris officium, sic contrà turpissimum, si incongruè, idq; frequenter committatur. Fiendus, adiectiuum ponitur, & gerundia fiendi, do, dum, pro eo quod sit faciendus uel faciendũ. nã à fio nihil tale apud maiores nostros inuenit̃, queadmodũ nec à facio, facior: quod uerbum participia gerũdiaq; à facio mutuatur. Græci horum in uerborum actione passioneque extensionis habent opportunitatem, siquidem præter ποιοῦμαι παθητικόν, eiusque participia futuri, à gignendo seu à generando naturam pariter attraxere. Quod si quis interrogaret, quare non eadem lege fieret fiendus, prout uel faciendus exponitur: respondendum, in nullo penitus antiquorum, qui nobis præcepta scribendi tradiderunt, eiusmodi

In Alexi.

Ita tamen, ut illud ad statuas & signa, hoc ad tabulas pictas referas: hinc fictor, & pictor. Vnde illud Virgilij in sexto, Effingere in auro. & Bucol. Sanguineis frontẽ moris, & tempora pingit.

eiusmodi sermones componi: quiq; omnia, ut in grammaticali forma, uariationibus memorant exprimenda, non consueuerũt. nam quis ueterum posuit amaminor? quamuis amarier, seu metri uarietate, ut Virgilius posuisset: & accingier, ac potestur, & fuat, & infit, seu ipsius antiquitatis ueneratione. aut quis legunto dicit, uel docēto: quamuis ab eodem poëta, Nullus amor populis, nec fœdera sunto. Sed & ipse Virgilius & Cicero: ut, Pietatem adhibento, aduenas deos ne colunto. ac nonnulla similia. Tum quicunq; antiquorũ sermones ex legibus proferunt, non impropriè loquuntur, si de legum more suo loco referantur. Nec non Virgilius in sacrorum sermonibus porriciam, uel porricit, inuergit, suscipit: &, Cum faciam uitula: &, Lætis operatus in herbis, apponit. Lachrymo & reuerto, & punior pro punio, ac animaduerto pro punio uicissim, ad hæc metior uel remetior in passiua significatione: quorum nonnulli ueterum sunt exemplo, & Virgilius Pelagoq; remenso dixit: quibus rationibus satis apparet, eandem in uerborum prolatione, ut in nominibus suprà mõstratum, moderationem continendam oportere, quam maiores nostri scriptis suis planissimè distinxerunt. Hæc quidem de uerbis sunt, intensius quæ admonenda commemini: reliqua deinceps in aduerbiorum parte locabuntur.

Aeneid. 4.

De Leg. 2.

Aen. 5. & 6.

In Palæmone.

Georg. 1.

Aeneid. 2.

DE PROPRIETATE VEL IMPROprietate *aduerbiorum consideranda.*

Pars XXIX.

AC primùm de pertinentibus ad loca disputandum quidem, in quibus frequenter & præcipuè ab ijs, qui in quotidianis Tullij lectionibus insenuerunt, & tanta est inter populares uulgariter loquendi consuetudo, ut doctorum etiam aures penetrauerit. Quòd si in quopiam seu Ciceronis, seu cuiusuis priscorũ libro de horum significatione sit positum, in Epistolis certè familiaribus sic creberrima exempla uideatis, ut mediocris ingenij lector non falli debuisset. Ineptissimè igitur huiusmodi aduerbia confunduntur: ut si in loco quo sumus, istic diceretur, pro hic: uel in eo loco, ad quem scribitur, seu literas mittũtur, illic, pro istic describatur. quorum error ex imperitia puerilium magistrorũ incurrit, nec emendatur deinceps, nisi cum epistolę Ciceronis pertractentur. Verùm huic rationi non cõtraria sunt aliquando ueterum exempla: ut Virgilius, Hîc illius arma, Hîc currus fuit. uel, Hîc portus alij effodiunt, hîc alta theatri Fundamẽta locant. melius certè quàm istic uel illic, quãuis de remota à se Carthagine loqueretur: nã tũ potissimè aduerbio præsenti uti licet, quasi in eo loco præsentes uidemus, licet absentes, scilicet de quo loco publicam & singularẽ intendimus elocutionem, uti nunc Virgilius de Carthagine præcepit, & de Italiæ regno per deos penates altissimè loquẽs: Hîc domus Æneę cunctis dominabitur oris. Atqui Ouidius magis errasse uisus in epistolis de Ponto, nisi librarij fortè culpa commissum: qui in exilio morans, ad Rufinum Romę fortè degẽtẽ scribit, Quid melius Româ, Scythico quid frigore peius?

Aeneid. 1.

Aeneid. 3.

peius? Huc tamē ex illa barbarus urbe fugit. Ista melius dicēdū arbitror. Itaq; cū epiſtola ſcribētis indicet, hic, huc, hinc, hac, cū omni ſua uariatione ad locum proximū referre oportebit. nam nō aduerbialiter ſolum poſita, uerumetiā pronominatiuè cōſtabunt. Porrò, hic pro tūc, alia res eſt. ut, Hîc grauis Entellū dictis caſtigat Aceſtes: quaſi pro hoc loco orationis dictū appareat. Iſtic aūt, iſtuc, iſtinc, iſtac, ad locū, ubi is ſit, ad qué ſcribitur: illic uerò, illuc, illinc, illac, & illò uel illorſum, nullo pacto ad locum uerſus qué ſcribimus (in quo ſæpius errari uideo) ſed ad locū inter hos duos tertiū: ac tá de rebus alijs, quā hominib. ratio ſeruanda. Hanc localiū rationē non ita Græci cōſeruant. nam præter hoc aduerbium ἔνθα ponētes ad locum, ſicut nos, Quò uadis? dicimus, ὅπου pro quò: ubi confuſe ſcribunt, ideoq; ὅπου δ᾽ ἄν pro quocunq; uel ubicunq;. Nec inter hoc & iſtud, illic & iſtic ſæpè differūt. Sed de noſtris exemplis demus ordinatius, nec pudebit horum ſermonum copia ſatiari, quo facilius unius epiſtolæ introductione multarum ſimul imago comprehendatur. Ego qui Ferrarię ſum, ad filium meum ſcribens Hieronymum, qui Florentiæ ſit, de rebus ad Romanam urbem pertinentibus, ſic dicam: Salutamus te fili, rogamusq; ego & omnes uiciſsim hi neceſſarij noſtri. nam ideo cum haſpiratione Hi hoc loco profertur, quòd eadem ratio ſeruanda ſit erga omnes homines, de quibus apud nos * infectio eſt: ſine aſpiratione autem ab eo, quod eſt is, ea, id: uel iſte, cū de alteris perſonis loquimur apud eum, uel eo loco morantibus, ad quem ſcribimus: ſic ille ter

Aeneid. 5.

Fortè mentio.

tiam personam indicat, cuius refertur rei modus: ut à græcis sæpenumero, sic à nostris metro aliquando confunditur. Sequor auté: Quorum cura studioq; hæc tua, nostraq; domestica *quorumq; plurima pars amœnitatis captandæ desiderio iampridem in suburbia concesserunt, ut de ijs quæ hic geruntur, siue qui huc uel hac ex Illyrij prouincia Venetiaúe conueniũt, aut trãsitant, nihil solicitus sis. en adhuc pro hoc Ferrariæ loco sua aduerbia cõtinetis. Persequor aũt: Tu uerò fili, potius quæ istic aguntur, quiq; isti homines sint, ex quorum géte & iste* & tabellarius, aut istuc sæpè conueniant, crebrò consideres, neúe istinc literas ad regem Alphonsum miseris. nam istac solét omnium gentium homines commeare. & hæc ad Florentiam, remq; Florentinam pertinent. Postremò suggeram: Quòd si fortè Romanam curiam adire cõsideras, paululũ quidé laboris superest. Sed illac sępè cõmeãtes latrones aduerte, peregrinãtiũ facie latétes. *Illiccũ uelis cõtę de: illic multo maiora cognosces. Sed postquã illinc abscesseris in Græciã transfretaturus, de omnib. quę Romę contigerint memoratu digna, nos certiores efficias. uale. Eodé ordine par ést genitori suo filium respondere. nam istic & istuc ad meum locum trãsferret, de suo autem hic & huc, ut diximus: non ut improuise quidam mihi rescripsit, ad quem cum istic & istuc de suo loco admonuissem, hic autem de meo, identidem respondens pro meo hic, pro suo uerò istic apponebat, quasi locorum propria essent nomina. Nec minor in aduerbijs habenda consideratio, comparationem significantibus,

Administrantur, aut aliquid tale deesse uidetur.

Et uidetur redundare.

Illuc.

bus,in quibus non rarò peccatur : cuiusmodi sunt,ut,uti,sicut,sicuti,uelut,ueluti, fermè,tanquam,quemadmodum,in modũ,perinde,propè,ferè,quasi,instar,propemodum. nam ut prima uel anteriora quæq; certitudinem, similitudinem,seu(ut aiunt) æquiualentiam significantia:altera quæq; posteriora ad incertam similitudinem, ac uelut inæqualitatem magis accõmodãtur.Perinde cũ Ac ut plurimũ sociari solet,quãdoq; etiã cũ Si:ut, Te amo perinde ac filiũ meũ,uel perinde ac si meus filius esses: quod tamen factu difficile est, ut eadẽ diligentia ac pari amore diligat ut filius,etsi filius non sit,ideoq;Perinde ac apponitur.Accedit quoq; ijsdẽ aduerbijs, nisi diligentius aduertitur,in latini sensus compositione,non in græco, ferè communia esse,ambiguam apud nos relinqui significationem.Quod genus est,si quempiam dixeris sic bene philosophantem, ut uel sicut Aristotelem:aut orantem, uti uel sicuti Ciceronem:cum in re nequaquam sit,& uerius diceretur Quasi, ferè, perinde,ac:aut cum generandi casu & instar,uel in modum:aggeraturque magis ineptia,cum inter dissimilia genere,uel materia, formáue compararetur : ut si clamantem uel latrantem fortè quempiam diceres,sicuti canes: & fortem uel ferum, tanquam leonem.Idemq; sequitur error per contrarium, si quod in re sit dubium, inferatur: ut si de pugnante Neoptolemo exponas ipsum egregiè dimicantẽ, perinde uel quasi Achillis filium,pro eo qui sit Achillis filius. Eiusmodi inquam,in nõnullis ex græco traductionibus ambiguitates reperiuntur, & malè. Vt

aduerbium, si cum sequente uerbo subiunctiui modi nonnunquam subtrahatur, eleganter est: quale Terentianum, Sine te exorem, politius sanè quàm, Sine te ut exorem. Instar autem & inuicem purè dicendum est, non ad instar, ad inuicem. Bene ergo Virgilius: Argolici clypei,* & Phœbeæ lampadis instar. Inuicem, mutuò & uicissim significat. Quòd si quis interroget: Quamobrem in sacris scripturis legitur, Dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem? excusabo potius Hieronymum id nunquam posuisse, quàm alios interpretes accusem non rectè fecisse, si posuerunt: aut arguam librariorum temeritate commissum, quod & mihi factum est. nam quod euestigiò sequitur, Et respicientes uiderunt lapidem reuolutum: ne is quoque oratori bono sermo placebit. án ne satis constat eas mulieres ad tumulum accedentes, lapidem ante se, non post terga prospexisse? Neque placebit id uerbum, Quia eo tempore & loco. at in sacris sępè legitur per quod, uel qualiter, aut quomodo: cuiusmodi est in Euāgelij Lucæ traductione, de Ioannis natiuitate, Et audierunt uicini ac cognati eius, quia Dominus magnificauit misericordiam suā. Quod satis apparet id uerbum Quia, in causæ responsione melius apponendum: ut, Quamobrem hoc facis? Quia prodest. Itidem de secus & erga aduerbijs disputandum. Dicitur enim ab eisdem, fœminam secus pedes Domini stetisse, pro eo quod est iuxta. neque enim à ueteribus, præcipueque à Virgilio ponitur, nisi pro aliter. Erga quoque ad ipsas solet referri personas, ut erga te uel

aut, habet Aeneid.3.

Marci ultimo.

Cap.1.

me,

me, non ad cætera personarum instrumēta uel officia, sicut Martham. Igitur mulierem solicitam fuisse circa plurima, quàm erga, uerisimilius est: & procubuisse melius quàm stetisse iuxta pedes, cum stare sit erectum pedibus esse. Sed arbitramur illius ætatis & generis scriptores in sacræ religionis expressione orationis *politiam nihili fecisse. De hoc uerbo Quidē, considerandum, si cum negatione societur, tertio loco semper interponendum: ut, Non senatus, ne populi quidem pars approbauit. Quòd si à quibusdam ætatis nostrę scriptoribus in secundo positum deprehenditur, hoc est, statim post negationem, nescio an à gręcis sumptum morem excusent, qui per styli tenorem, quidem aut enim, & similia diuersim sæpè à nostro more disponunt, aut in scribendo maiorem ordinem non aduertant. nam à nullo ueterū Quidem post Ne statim apponitur (nam de maiori parte significat) in nominibus autem, ut Pleriq; ferè commune deprehenditur, hoc est, pro multis, & nonnullis aliquando distingui: & nescio an plerunq; pariter in communi accipiatur. apud Salustiū sanè, Pliniumque minorē legisse uideor huiusmodi sermones minorem numerum interdum significare. In cæteris uerò aduerbijs huius ferè temporis raritatē intelligimus, ut nonnunquā, aliquando, interdū. Sæpè uerò pro nonnunquā accipitur. Virgilius, Sæpè etiam incautis pastoribus excidit ignis: cū de oliuetis dixerit. Ac ueluti magno in populo cū sæpè coorta est Seditio: quod utrunq; sanè non potest nisi rarò contingere. *Multotiens & aliquotiens non legisse memi-

Politiā pro elegātia sæpè usurpat, ut ad operis huius inscriptionem alludat.

**De multotiens, siue multoties rectè: aliquoties autem siue aliquotiens, non semel est usus Cicero.*

Georg. 2.

memini,licet quotiẽs & totiens habeať. Verò, autẽ, etenim, secunda orationis parte, & secundo loco elegãtius poni uidemus: nam diuisionis aduerbia sunt. Ita, itaq;, ergo, igitur, proinde, quare, quamobrẽ, quapropter, ad partiũ cõclusiones apponi nemo doctus dubitauit. Sed quinq; prima minorib. uti de superiori ac quinaria orationis partitione cõclusionibus: tria uerò postrema, ultima ac sexta parte cõsonantius apponenda. Salustius ita & itaq; in oratione, & orationis fronte semper anteponit, sicut oẽs. Cæterũ, enim & enimuero, pro certè describunť. Sed compositũ animosius intẽdit, & in fronte orationis ponitur: enim, semper loco secundo: sed de Autẽ nõ minus aduertẽdum, quod in orationis fronte nõ conuenit, imò ne secundo quidẽ uel tertio loco decebit, nec nisi in sententia breuissima: quale est, Ego lego, tu aũt disputas. Quàm uerò turpissimè nouelli, scilicet oratores, ludiq; magistri in oratione lõgiori, statim in principio Aũt posuere, nulla diuisione præcedẽte. Cæterũ scio me frustra oratione cõtendere, nisi huiusce generis aduerbia quo quæque loco decentius apponi debeant, ueterum sedula lectione, & dicendi usu perceperint. Videantur historici & oratores, à quibus hæ ligaturæ pulcherrimè contexuntur: nam poëtas talibus aduerbijs rarissimè uti decet, eaque pro metri lege disponere. Aduerbiũ equidem à Virgilio in prima continuè persona ponitur: ut, Equidem per littora certos Dimittam. perinde ac, ego quidem. Cæteri ita cõfundunt equidem, ut quidem, præcipueq; Salustius: quem cum inter optimos scriptores

Aeneid.1.

sæpè

sæpè numerauerim, non iniuria uidetur imitã dus, nisi fortè de quibusdam optimis Maronẽ tanquam omnium electissimum censeamus. *Magnopere coniunctum dicitur & diuisum: *Vt, Magno te opere rogo. sic in cæteris.* itidem maximopere, summopere. * Moraliter non ut plurimi accipiunt est, uti philosophicè tantum agere uel disputare: sed ex more, uel secundum morem eius rei significat, quam ex plicamus: quemadmodũ etiam latrones mora liter de latrocinijs, & lasciui iuuenes impudẽter inuicem de amoribus colloquuntur. ergo in bono & malo, & apprimè Donatus super Terentij comœdijs scribens intellexisse uisus est. *Moralis, latinè dicitur: unde moraliter ductum, quod non legi.* Si, pro quidem confirmatiuè interdũ ponitur: ut, Vestro si munere tellus Chaoniã pingui glandem mutauit arista. *Virg. Georg. 1* Iuuenalis: Si potes illa pati. Si, pro utinam: ut, Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat. *Aeneid. 6.* Quo, pro ut, & Quòd pro quia, & Qua supple parte, nemini bono grammatico dubium est. Sed nequicquam nõ à ueteribus ponitur, ut à nostrorum quibusdam, pro nequaquam, uel neutiq̃: sed pro frustra uel incassum frequentissimè, ut cum quòd fieri uelit, tamen perfici nequeat, uti de conatu suprà. Vergilius de Priamo aptissimè, Telumq; imbelle sine ictu Coniecit, rauco quod protinus ęre repulsum, Et summo clypei nequicquam umbone pependit. *Aeneid. 2.* quod certè non nequaquã sonat pependisse, sed ita clypeo hæsisse, ut nihil de armatura Pyrrhi læderetur. Idem sonat. Et ne quicquam obsessa iuuentus: quòd penitus forent Æneæ superuentu liberati. *Aeneid. 10.* Interdum autem ponit poëta pro negatione nõ: ut, Nequicquam pingues paleæ *Georg. 1.*

teret

teret area culmos:ut ſit,Non pingues culmos; ornatius. nam ſi nequicquã teret, nihilominus ſuperiori ſententiæ conueniret: ſed pingues culmos non procedit, niſi ſubintelligamus,qui pingues uiderentur, quos triuiſſet in area. Ipſa autem negatio facta per nihil, ſæpè in orationis fine ponitur aptiſsimè: ut,Tuo erga me ſtudio gratius eſt nihil.Sic de magis:ut, Inter bellicos noſtrorum apparatus nihil fuit quod Hiſpanorum equitatum terreret magis. Liuius ſæpè hoc modo ſcribit.Sed quid exemplis totiens rem conor oſtendere? frequẽs Ciceronis & hiſtoricorum lectio omni pręceptore uos inſtruet magis. Sic negatio per accuſandi caſum neminem,politius aptabitur: ut,Iucundiorem te uidi neminem: In rei militaris officijs ducem Hannibale præſtantiorem uideris neminem. Præterea, neminem pro nullo,& per improprietatem licet dicere, cũ proprium eius ſit non homo. ergo, Nullus ſum, à Terẽtio,ꝑ nemo ſum, quod rectius eſt quàm, Non ſum,ut alij exponunt. Sic de minus & nihil,ante & poſt:ut,Nihil eſt quod timeam minus: nihil eſt quod imperem magis. Sed perquirite,inquam,hiſtoricos. Continuò & continuè aduerbia pędagogicè confunduntur, putantibus eodem tenore ab antiquis poni ſolita,ſicut crebrò uel crebrè,& crebra: rarò uel rarè,& rara. Continuò, ſtatim eſt,repentè,e ueſtigiò:continuè autem,continuatum. Sic perpetuò uel perpetuè eidem ferè conſimile,cum de continuo tempore loquitur,non tamen æterno:nam æternum,ſempiternúmue ad infinitam ſpectat perpetuitatem. Qua ratione mi

In Andria.

Crebrè & perpetuè non legi apud ueterem aliquem,

ror à Curtio positum, abdominũ egregia stirpe rusticum æternas sibi sordes abluisse, quæ perpetuæ magis fuerunt usque ad regni deditionem. Iterum, refertur ad primam uicem: sic ad primum locum, ad tertium, uel amplius apponitur, nisi geminatim continuetur cum coniunctione: ut, Et repetens iterumq; iterumq; monebo. Adhoc pro item, uel præterea utitur Salustius sæpè, & pulchrè. Et quoniam omnia prosequimur, tanquam ad discipulos dicere soleamus: admonendum quoque est, sua semper aduerbiorum paria pro eorum relatione disponenda. Sunt enim contrario sono discordantia, ut infra & supra, extra & intra: sed non significatione peruersa, sicuti infra & extra, supra & intra sociando. Néue igitur binaria ordinatione, néue simplici confundantur: ut, Supra uel infra urbem, sed intra uel extra Geneuam. Itidem, Supra uel infra biennium, quindecim dies, tectum, uel fenestram: sed infra uel supra, si extra terminum proceditur: ut, Infra uel supra, uel præter dignitatẽ & honorem meum, non intra uel extra. Citra autem & ultra, quamuis propriè de locis ulterioribus & citerioribus intelligatur, ut ultra uel citra alpes, Padum, Romam, & id genus: tamen ad nõnulla etiam corporis necessaria, & quidem oratoriè disponitur: ut, Citra uulnus, cruorem, saniem, febrem, mortem, citra salutis seu uitæ desperationẽ. Vltro citroq; montes, flumen, nõ propriè dicitur: sed in uerbis & factis, inter homines deosq; præcipuè. Sic igit̃, In exercitu hostium ultro citroq; collatis signis, telisque coniectis dimicabant. Est & ultro pro spontè, uel

Aeneid. 3.

uel insuper, quod est ut ultra, uel præter: ut Virgilius, Vltrò miserescimus. non enim pro spōte hic, nam iam rogauerat. Item, Vltroq́; inclúserit urbi: id est, insuper. Posthac significat amodo. nam amodo nō turpe dictu est pro deinceps: sed à græcis habetur, ἀπὸ τ῀ νῦν: nos autē una uoce, & cum ingeminata describimus. Terentius, Posthac quas faciet de integro comœdias, pro deinceps. Antehac uerò quasi contraria uoce prolatum, scilicet quod ante præsens tempus agitatum sit, sicut hactenus. cæterùm hactenus & adhuc idem significant: non autem adhuc pro iterum, ut malè accipitur in futuro: sed adhuc, quasi ad hoc tēporis sonat. Virgilius, Tempora nudus adhuc. Terentius, Adhuc Archillis quæ assolent, quæq́; oportent signa esse ad salutem, omnia huic esse uideo. non enim sæpè uiderat prius, quàm id temporis in Glycerio paribunda. Proinde uerbis pręsens tempus indicantibus associatur, aut præteritum sæpenumero, ut propriè dicatur, Adhuc legi uel lego: sed impropriè, Adhuc legā, pro iterum. Præterea hactenus, uno aut duplici nonnunquam interiecto sermone dici solet: adhuc, nunquam disiunguntur. Deinde & deinceps pro secundo loco ex tempore & persona colliguntur: ut Iuuenalis, Da prætori, da deinde tribuno. Quòd si negationem adduxeris, & cætera insequentis temporis auferuntur: ut Virgilius de Sibylla, Nunquam deinde cauo uolitātia prēdere saxo, Nec reuocare *gradus, aut iungere carmina curat. quod in alijs continuationis aduerbijs non perinde cōtingit, utpote primò, secūdò, tertiò, uel rursus, itē, denuò

Aeneid.9.

Amodo Apuleianum.

Andr. prolog.

Aeneid.11.

Andria.

Satyra 1.

Aeneid.3.

situs habet poëta.

denuò: quorum alicui si negationem associaueris, & alia tamen insequi non prohibentur. Dicitur & dein, sicut deinde: ergo tanquam inde utrauis dempta syllaba, sic desuper & derepentè composita uidentur. Quotannis pro singulis annis usitatius est. Quot mensibus auté, uel quot diebus, non usurpatur. Ex tempore, extra tempus, non ut ante debitum terminũ uel post: sed ut imprępmeditatum, qualis est oratio extemporalis, hoc est non præmeditata. Intépestiuè autem ante uel post tempus opportunum significat, ut si quis serius uel citius ad colloquendum accesserit. Ex pro in, ut: Ex uinculis, cathenis, carcere, causam dicere more ueterum: id est, dum in cathenis uel carcere criminationi respondeas. E pro ex similiter, causa euphoniæ: ut, E republica. Sic de à uel ab consideratur. ut, Ab Antonio, à Ioanne: quæ si mutaueris, non consonabunt. De magis & potius quanquam multi permiscent, quibusdam tamen diligentius tractatum uideo, ut qui potius dixerint duobus seu pluribus bonis comparatis, seu bono & malo: dum bono modò potius attribuas, magis uerò in malis frequentius. Exemplum facio: Cicero Romanæ libertati consulendum potius, quàm Cæsaris partes sequendas putauit. Itidé dici potuit, Quàm Cæsari uel Catilinę cedendum, quod erat à bono ad malum. Catilinam contrà, factioni sociorum intentum esse, nobilium cædem, urbis incendium atq; rapinam magis affectare. & hoc pro omnibus exemplis satisfaciat. Idem uerè est de uix & penè, quæ non permiscenda sunt. nam uix habet alacritatis significationem: ut,

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti. etiam cum labore fieri demonſtrat frequẽtius, quod uix ad finem perducitur. Terentius, Hic ſunt tres minæ. & non pro uoto reſpondentis, cum Gnatho ſubdidit, Vix. hoc enim criminantis eſt. Et ſi diceres, Ex tanto Romanorum exercitu apud Cannas uix duæ cohortes ſuperfuerunt. Penè autem incrementũ ſignificat, tanquam de nihilo ad aliquid: ut, De priuato penè princeps effectus eſt. &, Ex equo penè concidit. &, In amentiam penè cõuerſus. auget enim facinus hic ſermo, quamuis ex ſe turpitudinem interdum exprimat. Cæterùm penes te magis eſt quàm prope uel iuxta te. nã penes te eſt, ut in poteſtate tua eſſe. Eſt & *penes penis uirile. Saluſtius: Ventre, alea, pene. Propediè aut in duos ſermones reſoluitur, ut ſit diem prope: hoc eſt, iuxta præſentem diem. De futuro tamẽ tempore non exacto, ſicut heri, aut ſpacium præſentis temporis, quę dies ſimiliter dicitur, ut multa dies, longa dies: & ſic quàm celerrimè ſignificat. Aut propediem cõpoſitum totum aduerbialiter, quaſi properè, citò: non tamẽ de pręſenti, nec determinato die. nam poteſt fore aut poſtridie, aut paucis pòſt diebus. In diem, non in dies: ſic in horam, in diem uiuimus: in horas, in dies magis extenditur malum. Propemodum non tempus ſignificat, ſed eſt ut propè uel quaſi. Perperam, non ut palàm uel temerè, ſicut quidam accepere: ſed prauè, peruerſeque ſignificat. Operæprecium, quo ſæpè hiſtorici utuntur, utiliter, neceſſariò, pulchreque ſignificat: ergo in re maxima grauique conueniens. Coram dupliciter

Alij penis in recto dicũt, unde peniculus, & penicillus. Cic. Epiſt. famil. libro 9. ad Pætum.

ter est: aut præpositio, cum regit sextum casum, & usitatius, & in prima syllaba accentum desiderat: coràm autem absolutum, hoc est, aduerbialiter positum, in ultima syllaba notatur: utrunque tamen ut palàm, antè, in præsentia significat. Virgilius, Et coràm data copia fandi. hic ablatiuus deest, ergo aduerbium est. Et Cicero, Cupio tecum coràm iocari. & hic pro aduerbio positum: nam ad tecum non spectat. Itidem de contra dupliciter intelligendum: nam aut præpositio est accusatiuum regens, aut aduerbium absolutè contrarium significans, uti modò exemplum dedi. Palàm uerò ante multos propriè, & propalam uehementius intendit. Heu, cum accusatiuo me semper: hei, cum datiuo mihi, eiusdem significationis interiectiones, passiuum continuè, nunquam transitiuum actum indicantes. nam quòd poëta inquit, Heu heu, quid uolui misero mihi: non ordinandum est, Heu heu misero mihi, ut sit, Quid uolui, parenthesis: sed ille dandi casus à uerbo regitur, me autem subintelligitur. Vah cum datiuo semper. Supra morem, uel supra modum, aut supra iustum, multi aduerbialiter posuere: sed melius distinguendo, supra pro ualde accipiatur, expresse, uehementer: ut, O mihi sola mei super Astyanactis imago. Si ualde es mihi imago filij mei. quo sermone & Homerus utitur in eadem significatione, ut apprimè pro ualde, oratoriè, Terentianeq; ponatur: & oppidò, nō minus eleganter pro ualde: ducitur enim ab ope, licet in metro differāt: inde oppidū. cuius causa mœnia sunt instituta. Super, ꝓ de: ut, His

Aeneid. 1.

Epist. fam. lib. 1. epist. ult.

Virg. Alexi.

Aeneid. 3.

Aeneid.1. accensa super. uel, Multa super Priamo rogitās, super Hectore multa. Sub dio, nōn sub diuo, quasi sub Ioue: inde flamen dialis, non diualis. Bonum sero, ut omnibus in ore est pro sermone populari, sic dicto scriptoq; ridiculū. Quasi uerò aduerbium posſit more nominis per casus uariari, aut ita sociari, ut bonum mane, uel mane nouum: ut apud poëtam Persiū, *Satyra 3. & 5.* Iam clarum mane fenestras Intrat. Iam cras hesternum cōsumpsimus, &c. Ergo potius Bona uespera, ut græci fœmineo genere, καλὴ ἑσπέρα, aut si latinè uelimus, Bonus uesper: aut in accusandi casu positū optatiuè. Aue & auete, salue & saluete, in salutatione uenientis est propriè, seu amicum recipientis. Eodem tenore uale & ualete dicent tam remanentes quàm *Andr. Act. 4. Scen. 2.* abeuntes. cum ergo dicatur à Terentio, Valeāt qui inter nos disſidium uolunt: non prō moriantur accipiendum est, quale illud Virgilij, *Pharmac.* Viuite syluæ: sed ualeant cum hac, scilicet ultima salutatione à nobis procul recedant. Per contrarium autem & sæpenumero ualere, à ualeo uales, quasi langueo, es, unde ipsa ualetudo debilitas: cum tali tamen oratione, ut de infirmitate dici maluerimus. Proprius, pro magis propriè non habetur, quamuis isti, quos sæpè dico, nostræ tempestatis epistolarij scribere audeant. Contrà propius, pro magis propè, in *Met. lib. 2.* usu est: ut Ouidius de Phaëtonte, Propiusque accedere iusſit. Sed de altero Plinius in Traiani Panegyrico: Nihil magis propriè agi potuit, quàm quod à senatu nuper factum. & Tullius in Philippicis, O hominem nequam. quid enim aliud dicā? nihil magis propriè posſum dice-

dicere. Denique proprius aduerbium in ueterum ſcriptis nunquam reperitur. Quoq; pro &, coniunctio ita malè accipitur ut ue, primũ enim ſignificat ut pariter, uiciſsim, ſimiliter: aliud uerò pro aut diſcretiuè. ut ſi dixeris, Hoc aliúdue maluerim: cum tamen utrunque non poſtulem. in qua ſignificatione græci unica utuntur diſcretione, ut ἤ. Quòd ſi pro coniunctione quoque, & accipiatur, ineptiſsimè fuerit ab Ouidio replicatum de Lycaone, cum dixit: Et nunc quoque ſanguine gaudet. Cæterùm ue aliquoties multiplicatur: ut, Neue hoc, neue illud feceris: quemadmodum, Siue hoc, ſiue illud. Nunc & modò cum hoc componi iuſtiſsimè uideo: & nunc de præſenti tempore, ſicut modò de paulo antè præterito uel paucis horis, diebus, menſibus, annis. De pauciſsimo, uti cum uobis modò dicerem, quid inter quoque & ue differentiæ eſſet. Incertioris uerò temporis præteriti, tamen ut græcè loquar, quaſi aoriſticè: ut, Modò inops eras, nunc locupletatus es. Item, Modò unum, modò aliud: ſicut nunc hoc, nunc illud: omniaque in præſenti ſignificantia, ſeu quoque uerbo coaptaueris: nec ſemper cum temporis ratione, quin etiam cum exceptione componitur pro tantum: ut, Tu modò poſce deos ueniam.* Principaliter non oratoriè dicitur, ſed in primis, præcipuè, præſertim, potiſsimum: quanquam & hoc in primis non ſatis intelligitur ab ijs, qui omnino aduerbium eſſe, & unum compoſitum ſermonem exiſtimant. eſt enim duplex & in primis: qui modus loquendi apud nos ſonat, ſicut inter primos uel prima. Quæ græ-

Met. lib. 1.

Aen. 4.

Principaliter, legitur in Plinij panegyr. et apud Senecã.

ci uolunt potiora, τὰ πρῶτα frequenter apponunt. Et Virgilius de Euryalo, Prima tenet. Diu, unde diutius, diutissimè, diutinus & diuturnus (nam diurnus & nocturnus ad diem & noctem pertinet) cum uerbis spacium temporis significantibus magis propriè coniungitur: ut, Rhœbe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, Viximus. Sic, Diu peregrinatus sum, diu hoc opus uoluo. Terētius, Iamdiu hoc saxum uoluo. Sed impropriè dicitur, Diu ueni: & satis pædagogicè, Diu est quod ueni uel abij, pro eo, quod est iampridem huc ueni. Demū & denique sæpè ponuntur pro postremò siue nouissimè, tametsi nonnulli denique pro deinde, & demú ꝑ postremò semper intelligi uelint. ecce Virgilium, Sic demum lucos Stygios regna inuia uiuus Aspicies. non enim hoc fuit postremum apud Æneam eorum, quæ in Italia gessisset: neque illud, Sic denique uictor Trinacriæ fines Italos mittere relicta: sed ambo sensus ueluti quædam extrema significant, eorum quæ prius per Helenum uatem, & Sibyllam Æneæ denunciata fuissent. Rursus inter nouissimè & postremò hoc differre docti plериq; crediderunt, quòd postremò tam ad præteritum quàm futurum tempus pro orationis qualitate posit accommodari: nouissimè autem ad præteritum modò, seu ultimum omnium quæ acta sint. Quæ sententia ex illo Virgilij uersu comprobatur: ut, Lustrauitque uiros, dixitq; nouissima uerba. quæ sanè ad præteritum spectant tempus, & nuperrimè facta uidentur, quàm Æneas Stygias sedes intraret. Tandem, optantis est: ut, Et tandem læti notę aduer-

Aeneid.10. Aeneid.10. Aeneid.6. Aeneid.3. Aeneid.6. Aeneid.5.

aduertuntur arenæ. Nedum, pro non ſolum, ſemper ſecundo loco ſtatuendum, ſeu affirmatio ſiue negatio præceſſerit. affirmatione præcedēte ſic, Darem tibi domum, nedum equū: negatione ſic, Non darem equum, nedum domum. Duntaxat pro tantum, uel ſolummodo, nunquã ſociari ſolet à peritis cum uerumetiam: ſed abſolutè ſeu pręciſe ponitur, nulla auctione deſeruiente. propriè ergo ſic, Non equum duntaxat tibi debeo, uerumetiam omnia quæ habeo, tua eſſe exiſtimo. Tantiſper, interim ſignificat. Terentius, Decreui tantiſper me minus iniuriæ Chreme, meo gnato facere, dū fiam miſer. Donec, pro uſq;, uel quouſq;, & quemadmodum, & quamdiu ita differunt: primum uſq; ad finem ſpacij, aliud intra totum ſpacium, & ſic dum pro donec: ut, Donec me flumine uiuo Abluero: ſcilicet quouſq; id tēpus purificationis perficitur. &, Dum conderet urbem, Inferretq; deos Latio. intra ſpacium: ut, Donec uel dum uiuo, nunquam te deſeram: itidem, Donec uel dum morior. nam ſimili modo, nedum intra ſpacium multa ſunt à poëta documenta: ut, Dum iuga montis aper. Ruſus pro uſq; tenus habetur: ſed coniungit, ſi cum ſingulari ablatiuo ponitur: ut, Summo tenus attigit ore: id eſt, uſq; ad ſummū os. Sic pubetenus, uſq; ad pubē. Si cū plurali numero, cum genitiuo: ut, Crurū tenus à mento: id eſt, à mento uſq; ad crura. Nec de corporibus ſolum, ſed aliarum etiam rerum locis & ſpacijs: ut, Capulo tenus abdidit enſem. ſic Indiatenus, maritenus. Tēporalibus iungi nō ſolet, ut annotenus, noctetenus dicamus: nec à no-

Heaut. act. 1. Scen. 1.

Aeneid. 1.

Virg. Daphn.

Virg. Aen. 2. & 10.

ſtris bene dicitur mentetenus, cordetenus, oretenus, in cauſa loquendi. nam oretenus in aqua ſtans ita dici licet, ut pubetenus, quòd huiuſmodi localia eſſe non poſſunt: ſed mente, corde, memoria tenere, rectius dicitur. Poſtponitur & aliquando non impolitè Vſque, quemadmodum nuper de magis, & nihil, dictum: ut, Transmigrauit Hiſpanias uſque. ſic uerſus: ut, Indiam uerſus. Rurſus uſque pro diu & ualde: ut, Nec uidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat uſque morari. Apud græcos uſque genitiuo magis coniungitur: ut, μέχρι ταύτης τῆς ὥρας, id eſt, uſque in hanc horam, præſentem quidem & certam. Vulgò, paſsim, ubique, cateruatim, & uulgò eſt pro eo quod, fama eſt. Rumor eſt generatim, per ſingula genera: ſicut ſummatim, per ſingulas ſummas. Virgilius in Georgicis, Generatim diſcite cultus. Generaliter de omnibus, ut ijdem græci differunt. in primo nanq; κατὰ γένη, in ſecundo γενικῶς. Eadem uoce priuatim potius, quàm priuatè dicendum eſt. Et ſeparatim, nō ſeparatè: uti membratim, per ſingula membra. Carptim, hinc inde decerpendo. Et Saluſtius in hiſtorijs ſuis inquit uiritim, per ſingulos uiros. Turmatim, per ſingulas turmas, & pleraque id genus. Non tamen ut ab omnibus officijs uel appellationibus omnia huius uocis aduerbia formari poſsint. non enim aciatim, per ſingulas acies: neque perſonatim, per ſingulas perſonas diceretur. Ad, iuxta locum. nam & præpoſitiones, ut diximus, utique de indeclinabilibus aduerbijs interſeremus, ut ſuprà participia cum uerbis & nominibus apponenda cenſuimus.

Aeneid. 6.

Georg. 2.

Virgi

Virgilius, Stans hostia ad aram : pro iuxta uel ante aram. Apud quodammodo propius intẽdit, & locum frequentius, si cum animato con struatur. Sed si dixero, Apud te cœnandum est, uel in domo tua, & ad mensam tuam utiq; intelligendum: uel in mea, apud me: pariter cum orationis declaratione, ut domi tuæ uel meæ. Ergo, apud templum, curiam, plateam, forum, in ipsis locis uel intra ea loca colligitur. Sic ad urbem sto, pro ante urbem : apud patriã meã, urbem uel ciuitatem, in ipsa patria, urbe uel ciuitate. Non autem cum castra ponuntur ad aliquod oppidum, rectè dicatur, hostes apud urbem castra posuisse, ut frequens est error, nisi ipsius urbis mœnia peruaserint. Itidem ad quem, pro apud quem, uel cui : quale Virgilius, Ad quem sic breuiter fata est longęua sacer dos. &, Ad quem tum Iuno supplex his uocibus usa est.*Cicero in Catil. Ad M. Lepidũ habitare te uelle dixisti: pro eo quod sit, in domo M. L. Vel dicamus cũctorũ auctoritate, ad in loco & ad locum significare : quo tenore græcos mihi uideor intelligere, πρὸς dicentes pro ad, tã intra quã iuxta rẽ ipsam indifferẽter. Cæterũ apud te, & penes te, antiqui sic differre uoluerunt, ut Apud te sit uelut personã & locũ, ut modò dictum, apud forum uel curiam : penes te autem, ut modò innui, in potestate tua quidem esse, seu in domo propria, siue longius repositum, ut domus, ager, liber, pecunia, uestis: siue incorporeũ, ut, Penes te est salus mea, honor, libertas. Iam, pro præterea uel itẽ, qua ratione futurum tempus quàm præteritũ significabit. Solet componi, ut iamuero : sed de

Georg. 3.

Aeneid. 6.

Aeneid. 1.

Oratione prima, ubi nõ ad, sed apud, legitur.

ſimplici,quod rarius atq; uenuſtius. Virgili-
Georg.3. us eſt teſtis:ut, Iam maris immenſi prolem & genus omne natantum. &, Iam uarias pelagi
Georg.1. uolucres. Solet etiam geminari,ut iamiá,quod futurum eſt ſubitò: Græci id μετ᾽ ὀλίγον μέλλων ap-
Aeneid.2. pellant. Sed hic aduerbialiter eſt, ut Virgilius, Iam iamq; manu tenet, & premit haſta. quaſi nunc teneat: quod ut expreſsius in futuro ſta-
Aeneid.6. tim manifeſtet; accipe: Quos ſupra atra ſilex iã iam lapſura cadenti Imminet. Vbi ubi, pro ubicunq;: ut ut, pro utcunq;, comica quàm oratoria magis. Quinetiam in nominibus id ſcribendi genus comperitur, ut quiſquis, pro quicunque uſitatius: quotquot, pro quotcunque: ut Horatius, Quotquot eunt dies. Qualis qualis, pro qualiſcunque. Quantus quantus, pro quantuſcunque, hæc rariora. Pro præpoſitio
Philip.2. græca & latina eſt, ante ſignificat: ut, Stabat pro templo. Cicero in Philippicis, Haſta poſita pro æde Iouis Statoris. Nec præponuntur ſolũ ſemper præpoſitiones, ſed interſerũtur aptiſsimè: ut, Quas ob res, hanc ob cauſam, iuſta de cauſa, quo in loco, qua de re, quo cum, te propter. Itẽ
Aeneid.2. ſub, ante ſignificat: ut, Poſteſq; ſub ipſos Nitũ-
Georg.3. tur gradibus. &, Sub lucem exportãt calathis.
Aeneid.5. Et ſub, id eſt poſt: ut, Quo deinde ſub ipſo Ecce uolat. Procul, & longiorem ſeparationem innuit, & breuiorem: quandoque longè, nonnũquã propè ſignificat: ſic dicitur, quaſi porrò ab oculis, uel præ oculis: uti, Prim⁹ ibi ante oẽs
Aeneid.2. magna comitãte caterua Laocoõ ardẽs. Proinde, frequẽtius pro ideo & idcirco, aliquãdo
Aeneid.11 pro itaque: ut, Proinde oĩa magno Ne ceſſa turbare metu. Propter, ultra frequentem ſignificatio-

cationem prope uel iuxta demonstrat:ut, Pro pter aquæ riuum. Protinus, assiduè uel conti- nuatè demonstrat:ut, Mos erat antiquo in La- tio, quem protinus urbes Albanæ coluere. nã cũ perpetuus ille mos extiterit in Italia, nulla relinquitur intermissio facta:nã urbes Albanę deinde eũ morẽ sequentes incoluere. Et pro tinus demũ uel postremò significat:ut, Proti- nus aërij mellis stillãtia dona. quod ex ultimo Georgicorũ cõstat. & protinus ferè ut porrò te nus, lõgè à finibus:ut, En ipse capellas Proti- nus æger ago. Item porrò, post longum inter uallum. est & aduerbium temporis: ut, Hinc maxima porrò Accepit Roma. Et porrò, cer- tè. Tullius, Nihil porrò tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere ut beneficio, non dicam indignus, sed uictus esse uideare. Præfractè, durè & inexorabi- liter: ut Tullius de Officijs in Catone secun- do: Ego etiam cum Catone meo dissensi, ni- mis mihi uidebatur præfractè, uidebatur æ- rarium uectigaliaque defendere. Ni pro cer- tè sæpè dicitur. Ac pro quàm: ut, Contrà ac ratus erat: & iuxtà pro æquè. quibus sæpè u- titur Salustius. Præterea pro postea, ut futurũ magis quàm pręteritũ respiciat: quale est, Mul ta uolentem Dicere præterea. Præterquã iun- ctim, id est nisi, quod sępè à Liuio ponitur cũ adiectione quod:nam significat nisi, quod qui dam intelligunt pro ultra quod. Dicitur & pręter te, & nisi te:qđ idẽ tamen ualet ultra te, & præter quã tui, in eodẽ sensu, sed uaria cõstru- ctione:ut, Nullũ pręter te chariorẽ habeo: &, Nulli⁹ pręter ꝙ tui* familiaritatis mihi placet.

Virg. Pharm. *Aeneid. 7.* *Georg. 4.* *Virg. Tityr.* *Aeneid. 5.* *Pro Plancio.* *Aeneid. 4.* *Fortè, familia- ritas.*

Cis & trans propriè fluminũ montiumúe nominibus applicátur:ut,Cis Alpes, uel Padum: trans Apéninum uel Rhodanum.Cęsar in suis Commentarijs trans Rhenum dixit:sed huiusmodi,& omnis ferè generis uocabula apud historicos inuenire licet:unde Cisalpina Gallia nominatur.Secundum,pręter communem usum:ut,Secũdum Platonem,pro iuxta:& post seu secundo loco sæpè ponitur.Circiter, ad tẽpus:ut,Circiter nonas Maias.ad numerum:ut, Circiter duodecim pedes, talenta, miliaria.ad locum:ut,Circiter agrum Mediolanensem. ad locum & numerum simul:ut, Circiter quintũ lapidem Romam appulsus est. En quasi ecce, nunc accusatiuo, nunc nominatiuo iungitur.

Aeneid.6. Ergo,id est propter uel causa:ut,Illius ergo uenimus:hoc est,causa mei parentis Anchisæ,uel propter illum,* acuitur in fine. Eregione,ex aduerso:quo sermone historici sæpè utuntur.

Alij circumflecti uolunt.

Georg.4. Ex ordine,continuatim,perpętuò, sinę intermissione:ut, Septem illum totos perhibét ex ordine menses Fleuisse.Euestigiò, confestim, statim subitoq; significat. Econtrariò,itidem dici conuenit,sed non econtrà:nam contrà per se satis est. Extempore, extra tempus iam dictum,& in medium,quod in commune significat,Extemplò,sermo augurum,qui conspectis auspicijs surgebant ex templo.hæc iam pro aduerbijs existimantur. Ecce cum recto frequentius:ut, Ecce autem gemini à Tenedo. Quod

Aeneid.2. autem apud Terentium,Eccum & ellum Parmenonem dicitur,quasi dici uideatur, ecce eũ, ecce illum,rectè putarem,nisi proprium nomẽ sequeretur: ita cum is & ille pronomina sint

demon-

demonstratiua, sententiæ non cōuenit, ut Parmenonem uelut ignotum demonstremus: sed eccum & ellum pro ecce illum, hic & illic intelligēdum: ut, Ecce hic Parmenonem: supple, uide. Aduerbium cæterùm, frequentius rectiusq́; ab antiquis pro sed, & uerùm positum uideo, quàm ulterius uel præterea: qui sermones eodem sensu, cum eiusdem nominibus, ut cæteri uel cætera conueniunt, utrisq; tamen cæsuram & discretionem, sed alijs alio modo demonstrantibus. Quidam cæterùm ut ἕτερον græcè, dictum uolunt, id est, alterum, teste Seruio:* sed cum diphthongum requirat, eiusq́; prima producta sit, non immeritò à cædendo magis deriuatum arbitramur, unde cæsuram modò diximus. Quin, pro quinimo, hortantis est, uel pro cur: nō ut alijs placet imperitis, sed ferè eiusdem sensus, præsertim cum ab eo sermo incipiat: Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus, Viminibus paras. quod pro pares positum est, & sic tam hortantis quā imperantis. Itidem si dixeris, Quin uos arma capescitis pro Republ. pro libertate tuenda. aliàs pro quod, siue ut non. Terentius, Non dubium quin uxorem nolit filius: & hoc ad primū. Virgilius ad secūdum, Hic tibi nequa moræ fuerint dispendia tanti,* Quin uatem insanam aspicias. Quiane, unam fecerunt antiqui partem, & reuera & certè significat: quale est, Quiane auxilio iuuat antè leuatus. Quianam pro cur: ut, Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi? Quondam & olim in præterito frequentius, ac longissimo quidem tempore: ut Terentius, Isti fuit generi quondam quæstus, &c.

*Nō citat Seruium, ut Cæterū à græca uoce ἕτερον, factū fuisse probet: sed ut ἕτερον, alterum latinè significare doceat. Is enim libro 11. Aen. super eo uersu, Hetruscique duces. Hetruriam, quasi ἑτερορίαν, id est, alterum finem dictam scribit. Nā ἕτερος inquit, est alter, & ὅρος finis.

Virg. Alex.
Andr.
Aeneid. 3.
ubi, Quin adeas uatē, tertio uersu lego.
Aeneid. 4.
Aeneid. 5.

in Catil.1. &c.Et Cicero in inuectiuis,Fuit ista quondam
Virg. Tityr. in Republ.uirtus.De modico,ut:Ite meę felix quondam pecus, ite capellæ.nam si de multo tempore sit intelligẽdum, nõ iustè pastor ille cõquereretur. Rursus,olim de tẽpore multo:
Aeneid.10. ut,Cum fera Carthago Romanis arcibus olim Exitium magnũ, atq; alpes immittet apertas. Et quondam aliquando:ut, Quondam tua dicere facta.quasi aoristicè positum in futuro &
Aeneid.2. in præsenti tempore:ut, Quondam etiam uictis redit in præcordia uirtus. Et sic quondam pro aliquãdo poterit interpretari. Pridẽ quod à prius,& iampridem in minori tempore significat quã olim uel quondã: inde nuper uel nuperrimè,minoris etiã tẽporis quàm pridẽ,quasi paulo antè:dudum uerò, ut in re nouissimè acta,propinquioris est temporis : idemq; nouissimè significat, si recens quicquam indicamus,aliàs de longissimo quidem tempore demonstratum.Sed ad dudum redeo, cuius temporis significatio de aliquibus tantum diebus uel mensibus, seu etiam exactis annis possit intelligi. Exemplum est orationis dispositio, quasi proximè, uel proximo loco & tempore diceremus.Iamdudum pro nunc uel iamiam:
Virg. Aen.2. ut,Iamdudum sumite pœnas. nam aliter indicantis uerbo iungi nõ posset. Cęterùm de prę
Aeneid.4. terito tempore constat satis:ut, At regina graui iamdudum saucia cura.cum Æneas excidium Troiæ memoraret. Sunt qui exponant iãdudum pro multum,superque.Ne aduerbium notandum est,affirmantis ne sit, an negantis: nam interrogatiuum, ut modò pro an dixi, promptius aduertimus:& id quoque cum interro-

terrogandi figura notabitur, ut cum affirmādi loco sit pro certè, nempe, utiq;, sanè, profectò, diphthongo discernatur. nam sic græca dictio est ναί, nos autem næ. Sed quis nunc librarius diphthongorum rationis intelligens est, cum ipsi fallantur librorum autores? Sanè in Terentio cōtigit hoc aduerbiū næ pro affirmante sæpè comprehendi, ac utrouis modo ui sentētiæ communi loco potissimum: Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Tum pro deinde, aduerbium est ordinis, interdum temporis: ut Tum mihi prima* noua uestibat flore iuuētus. Et tum, præterea: ut, Tum flumina mento Pręcipitant senis. Ergo ubi dicitur, Tum demum mouet arma leo, duplici aduerbio tempus indicatur: nam tum pro tūc dixit, & demum pro postremò. Vbi autem cum & tum associantur, ita placet, ut cum ad uerba subiūctionis ac minus intensa, tum uerò indicationis applicetur & intensiora: quale est, Cùm multa à nobis de ijs aduerbijs à poëtis exempla sint, tum ab historicis frequentius apponuntur. * Afferant nunc quæcunque uoluerint alij alia auctorum exempla. nam quòd disputant à Terentio positum, Cùm mihi paueo, tum Antipho me excruciat: dico ipse, tum utrobique debere scribi, non autem cum in prima parte: ideo cum, non tum intelligendum. quòd miror, cum multo maius sit ab alio excrutiari, quàm ex seipso pauescere, quod fortasse ex re uana contingit. itaque tum in eo loco bis describendum. Quo scribendi genere & Græci sæpè utuntur: τὸ μὲν, τὸ δὲ. Quòd si eiusmodi oratio sit,

ubi

Andr. prolog.

Aeneid. 8.

ubi pro noua, genas, & pro iuuentus, iuuēta legitur.

Aeneid. 4.

Aeneid. 12.

Hic locus de cum & tum, ualde corruptus est, adeò ut uix certam sententiam liceat elicere. nam sicuti est, uidetur secus atq; alij præcipere.

ubi prius cùm, deinde tum sequitur, maiorem uim à rerum effectu colligamus: quemadmodum, Cùm istos cominus obtruncat, tum illos eminus coniectis telis insequitur. uel, Cùm castra, tela, tormenta disponit, tum militibus imperat corpora sibi curare. maior nempe in his est primo orationis ordine. Cum præterea in alijs partibus orationis subintelligi sępè decet ornatius quàm apponi: quale est, *Oculis cum circunspexit, manu apprehendit, gladio occidit. non, Cum manibus, cum gladio. Contrà, maximè interdum opus est ut apponatur: quale est Salustij de Catone, Non de diuitijs cum diuite, neque de factione cum factioso: sed cũ seuero de uirtute, cum modesto de pudore, cũ innocente de abstinẽtia certabat. Quòd si præpositionem abstuleris, eneruem facies orationẽ. Deniq; nisi frequenti lectione dicendi modus & ordo perdiscatur, nunquam præcepta sufficiant. Sed interea, uti iusſistis, propositum urgeamus: seu præcedere solet, siue subsequi. Sic de nec & neq;, neu, neue, considerandum. An uel aut confunduntur & uel sæpenumero, qualiter græci efferunt ἤ. Sin, nunquam pręcedit, sed si: deinde sin, quod idem significat ut etsi affirmatiuum: non autem pro si nõ, ut multi acceperunt. Terẽtius, Si hoc cæletur, in metu: sin patescet, in probro siem. Per, ualde significat & quàm, sed quàm uehementius est. nam Per cum positiuo, ut, perpulchra dona: Quàm cum superlatiuo ponitur, ut, Quã pulcherrima. Ideoque cum aduerbijs superlatiois sæpenumero: ut, Cures quàm studiosisſimè, quàm diligentisſimè. nam quod à Virgilio dicitur,

Cum hic, aduerbium, pro quando, intelligendum est, alioqui absurdum.

In coniuratione Catil.

Phorm. Act. 5. Sceen 4. ubi patesit, non patescet nunc legitur.

dicitur, Quàm diues niuei pecoris, quã lactis abundans: putant quidam pro superlatiuis intelligi, alij quã pro quantũ simpliciter accipiẽdum, sicut tã & quã relatiuè cõferũtur. Ad hoc quàm pro postquam sæpè construitur: ut, Paucis quàm uenit diebus, quàm nauigauit, appulsus est. Idem si pòst addideris intercise, non minus ornatè consonabit: ut, Pòst paucis quã uenit diebus. sic enim antiquè cum ablatiuo casu construitur. Deterius ad minus bonum, peius ad maius malum pertinebit. Iuuenalis, * Res minor est here, quàm fuit hodie: atq; eadem cras Deteret exigui aliquid. quo satis apparet uelut à terendo, hoc est, minuendo, formari. Quando pro siquidem, seu quandoquidem: * ut, Hæc tibi, fabor enim, quando hæc te cura remordet. &, Quando tot stragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit. ac Suetonius de Vespasiani filijs, Quando utriq; imperauerunt. Semel, citò, confestim: ut, Qui ne quid tale uideret, procubuit moriens, & humum semel ore momordit. Postridie, est postero die, non post tres dies: ita ut secundo, non tertio die sit intelligendum. nam licet in quibusdam Cæsaris Commentariorum exemplaribus circa principia de bello Gallico, pro tertio die pædagogico more explicatum appareat. Glossula quidem fuit alicuius ignorantis seu circumscriptio, pòst à rudibus quoq; librarijs auctoris texturæ conserta. nam quid Cæsarem oportuit eius sermonis disputationem gestis suis inserere, apud omnes & quidem ea tempestate notissimi, cui non de uocabulorum proprietatibus, uti nũc facimus, sed de Galliarũ a-

Alexi.

Satyr. 3. sic habet: Spes hodie minor est here quàm fuit: atq; eadem cras Deteret exiguis aliquid.

Aeneid. 1. legitur, Hic tibi, &c.

Aeneid. 11.

Aeneid. 11.

ctionibus scribendum erat? At enim ex ijs magis, quæ antè dicta erunt, facilè dijudices, quò temporis ordine postridie sit accipiēdum. est igitur in usu postridie & pridie, alterum alterius cōtrariū. nam pridie, est de die ante certum diē: postridie, de die post diem: exceptis præsenti die, hesterno & crastino, pro quibus aduerbia sunt hodie, heri, cras. Postridie & pridie tam de præterito tempore quā futuro pro orationis dispositione significat. De præterito & de postridie: Postridie Chremes ad me uenit. *Andria.* nempe postero seu sequenti die, quàm ea acta fuerant, de quibus Simo cum Sosia prosequitur. ut si dixero, Calendis Iunijs cum Ferrariā accessero, postridie puto Venetias me nauigaturum: hoc est, sequenti die. Idem de pridie: ut, Pridie quàm Romam ueneram, mihi agēdum erat: hoc est, priori die. &, Pridie quàm Romā accessi, equum emi. Perendie autem pro post cras accipi solet, rarò tamen utimur. Et his etiā rarius, ut nudius tertius pro tertio abhinc die: nudius quartus, pro quarto die: & alia pauca quæ huiusmodi reperiūtur. Sed quoniam de temporum ordine pro antiquorum more disputamus, hæc insuper temporalis computatio non negligenda, quando & præsens uocat tempus, & plurimum in epistolarum missioni bus necessaria cognitu est, qua etiam Curtius utitur in Alexandrinæ ualetudinis descriptione: quo satis constat, antiquos populari colloquio dies quotidianos per nonarum, iduum & calendarum notationem appellasse: quorū qui festi profestique fuissent, apud Ouidium in Fastis cognoscitur: nostros autem deinceps

ad

ad planetarum cõtrarium ordinem diſtinxiſſe,ut ſolari qui lucidior eſt,non Saturnino qui altior,dominatum ferremus. Eſt autem ratio cognitu facillima de nonis ſcilicet,idibus & calendis.Cognitis igitur quatuor menſibus,qui ſex nonas accipiunt,Martio,Maio, Iulio & Octobri (nam pro Iulio Quintilem antiqui dixere) reliquis autem octo menſibus quatuor duntaxat nonas habentibus, omnibus pariter idus octo deſignamus.Primus dies menſis calendis in ſeptimo caſu cognomen accepit,ſcilicet quòd in eo tanquam prima calẽdarum die conſiſtitur.ſic de nonis & idibus dicimus.Igitur reliqui dies tranſactis idibus in accuſandi caſu calẽdas inſcribũtur,utpote tertio uel quarto die,in quo ſumus ad calend.uſq; menſis ſequẽtis:cæterũ ordine retrogrado ſeu prępoſtero numerãtur.Exemplum eſt,quò ſit cognitu facilius.Primus dies Ianuarij,qui unũ & triginta dies habet,calend.Ianuarijs nominatur: ſic de reliquis menſibus calend.Februarijs, Martijs,Aprilis.Seu in generandi caſu,Ianuarij,Februarij.Secundus aũt dies Ianuarij, quarto nonas Ianuarias:tertius, tertio nonas Ianuarias: quartus,pridie nonas Ianuarias:quintus, non primo,ſed nonis Ianuarijs nominatur: ſextus, octauo idus Ianuarij:ſeptimus, ſeptimo idus Ianuarij:octauus,ſexto idus Ianuarij: nonus, quinto idus Ianuarij: decimus, quarto idus Ianuarij:undecimus,tertio idus Ianuarij:duodecimus,pridie idus Ianuarij:tertius decimus, idibus Ianuarijs appellatur:quartus decimus, decimooctauo calendas Februarias deſignatur(quippe tot dies ab idibus Ianuarijs ad cal.

Februarias intercedunt) quintus decimus, decimoseptimo cal. Februarij: sextus decimus, sextodecimo cal. Februarij: septimus decimus, decimoquinto calen. Februarij: octauus decimus, decimoquarto cal. Februarij: decimus nonus, tertio decimo cal. Februa. uigesimus dies, duodecimo cal. Februa. uigesimus primus, undecimo cal. Februa. uigesimus secundus, X. calend. Februa. uigesimus tertius, IX. cal. Febru. uigesimus quartus, octauo cal. Februa. uigesimus quintus, VII. uigesimus sextus, VI. uigesimus septimus, quinto: uigesimus octauus, IIII. uigesimus nonus, III. trigesimus, II. trigesimus primus, siue unus & trigesimus, siue ultimus dies Ianua. pridie calendas Februarias appellatur. Dies autem sequés, qui primus est Februarij, itidé calendis Februarijs uel Februarij appellatur, ut dictum est. Cum uerò aliquãdo dicatur, duo de uiginti, duo uel uno de triginta, decem & octo significat: uicissim in cæteris detrahédo, ut libet ante denarium numerum. Hæc de temporum enumeratione satis, ad cætera prosequar in aduerbijs, ut memini, castiganda: in quibus sanè est aliquando certè muliebre literas peruertere seu commutare, ut extimplò pro eo quod dici debeat, extéplò. cuius sermonis significationé paulo antè distinximus: & timpora, pro temporibus capitis. Pedentim pro pedetentim, saltim pro saltem. Nam non saltim & tentim ex eo genere sunt, ut passim, cęsim, punctim, quibus sermonibus sępè historici utuntur: item ut examussim pro amussim, tametsi in Aulo Gellio legitur, nescio qua potiori ratione examussim antiquissimè dici.

dici.nomē mihi uidetur eſſe, non aduerbium, quamuis ut aduerbiali modo accipiatur. dicitur enim amuſsis regula quædam, ſeu linea fabrilis & angularis, qua præſertim lapicidæ utuntur (unde lapicidina, nō peruerſis literis lapidicina) in quadratura ſaxorum examinãda. Eadem ratione ex unguem, nō ad unguem dicitur, à ſtatuarijs ſeu marmorarijs nomen aſſumptum: unde cum accuſandi caſu exprimit̃, & nomen ſit, ut amuſsis, nō aduerbium, quamuis nulla ratio præſtare uideatur, multisq; abſurdum & abſonum ſit. Proferuntur quoque pueriliter lex Muſaica, & opus Muſaicum: ſicut gerenale dicunt, pro generale. Sanè ſi à Moyſe uocabulũ deriuetur, eius myſterij autore, quare nō aptius lex Moyſaca, ſeu Moſacea aut Moſea, uel Moyſeia, dicitur? nam à Muſis certè nō procedit, cuius uocis deriuatio eſt muſicus: ut Terẽtius, Fac periculum in palæſtra, fac in muſicis. Quid aũt plura? Scio pleroſq; errores proprios, ſed nequicquã Horatiana ſententia protegentes: ut, Multa renaſcentur, quæ iam cecidere: cadentq;, Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet uſus, Quem penes arbitriũ, * uis eſt, & norma loquendi. nempe lætatur Horatius, ſeu magis conſolatur, quòd aliquando ex lectione ueterum quædam uocabula id temporis labentia renaſcentur, nos ad uocabulorum nouitatẽ inuitans: quæ ſanè protinus relata ſunt per Virgilium & Liuium, atq; aliorũ eius æui ſcriptorũ elegantioris ſtyli monumẽta. Quòd ſi per locutionis bonæ inuerſionem, nouorumq; ſermonũ interpoſitionem doctiores habendi ſumus, nimirũ quo magis peruerſa no-

In poëtica.

Legitur etiam ius eſt.

ſa nouaq́; auditu conuerrerentur, eo ſcientio-res exiſtimãdos nos putabimus, quod falſum eſt. ergo multa renaſcentur, per eruditorum nẽpe ſucceſsionem, quibus uetera magis, magis-que propria quàm noua plebeiaque conueniunt, quæ iam cecidere ex ſtultorum, inquam, imperitia, cadentq́; quæ nunc ſunt in honore uocabula apud plebeios. namq; à politia literaria remotiſsimi, quorum uſus reprehendendus eſt, ſi quid de latinis dixere uocabulis, tanquam turpia cadent, quamuis ſint in honore apud imperitos. Bene quidem factum ob doctorum omnium caſtigationem, indociliumq́; repulſionem. nam ita quotidiano uſu experimur ignorantiam pædagogorum eſſe multijugam, qui bona deprauent: rurſus bonorum ſuperueniente flagello demum repugnare ſolitam, in quos potius Horatianũ illud quadrat: Scribã licenter, an omnes uiſuros peccata mea putem? Quamobrem & hæc & huiuſmodi ferè ſunt ineptiæ, ineptiarumq́; cauſæ, ô præſtantiſsimi uiri, quibus ita conſulẽdum, breui clauſula iudicamus, ſi quàm diligentiſsimè penſabitur, nequis proferatur ſermo, quem non ex Marone Ciceroneue, aut antiquo certè præſtãtique auctore, & non ex quolibet libro uel magiſtro didicerimus.

DE LATINAE LINGVAE FACVL-*tate, per eundem Veronenſem, ac de his ſermonibus homonymis, ſeu æquiuocis cõmendatio: qui apud Virgiliũ præcipuè & elegantiſſimè ſcribuntur, nõ unam tantũ, ut eſt in ſynonymis, ſed alias inſuper ſignificationes habent opportunas.* Pars XXX.

Ita

ITa cum triduana tandem uocabulorum cõtentione quieuissent, ac Veronensi pro se quisq; gratias agerent, faterenturq́; multis sese erratis repurgatos, iucundior ipse subiecit: Quid si uobis, ô fidissimi, tanquam extirpatis, ut dicitis, erroribus nouam insuper salutaremq́; cõsitionem iniecero? neq; enim satis est agrum nocentibus herbis expurgasse, nisi frugiferas atq; salutares studiosius excolueris, aliaq́; ab integro, ubi rariora sunt, semina plantariaq́; sufficiantur. Hic Ioannes senior, hortorũ & amœnitatis solertissimus: *Quod nam agri culturæ nouum genus effingis, ô Guarine? aut quam nobis iterum fœcundam segetem polliceris? an & alia rursus alijs modis castiganda permutádaq́; uidétur? nam cum modò impropriè dicta copiosius monstrares, utiliora pariter adiecisti, quæ eorum locis imponeremus: quippe qui nouam, & ex ueterum tamen consuetudine loquendi peritiã saluberrimã, & ut ais, insitionem edocueris, id certè scio, quęcunque nobis perinde ac discipulis tuis aperturus es, cognitu fore perutilia. Tum Guarinus, honestis & ipse salibus æquè iucundus & gratus: Non id est consilium meum, inquit, & quidem improprietati sermonum satis dedimus téporis: sed cum plurimos in oratione sermones singulis duntaxat significationibus exponi intenderem, misertum est tantæ in scriptoribus non inopiæ dicendi, sed ignorationis, ut siquid boni secũ habeant, alia ex bonis meliora reddi posse nõ aduerterent, sed quod futurum esset commodum, ad iacturam magis attraherent. Est enim fœcundissimus

Cultor, aut aliquid simile deesse uidetur.

idem ac elegantiſsimus latinæ locutionis cam pus, ſi ea ipſa ſuis, ut quæq; locis expediat, quã diligentiſsimè perfruamur, ipſis innitendo uo cabulis: quorũ ſi uim naturamq́;, quemadmodum in terra uel arboribus noſcerent, uberiores profectò noſtri fruges exciperent. Enimuero ignaui eſt agricolæ ignorare, quòd ſibi paratum incumbit fœnus, ſi alendi laborem & induſtriam non effugerit. Itaq;, ut ex fertili planta, diligenter cõſita circumciſaq́;, pleniſsimos & iucundiſsimos fructus elicimus: ſiue ut ex laborati fundi ſolerti fatigatione ijſdem ſæpè locis, ac eodem anno uaria nonnunquam frumenta, leguminaúe percipiuntur: ſic ex linguę noſtræ ſermonibus, tametſi pauciores quàm in græca uideantur, ita effingi conficiq́; facillimum, ut ad eandem dicendi copiam, ſicut in græcis, eundemq́; expolitionis ornatum, accõ modentur. Nam quid dixerim de Tullianis in elocutione præceptionibus, ipſisq́; præſertim uerborum & ſententiarũ exornamentis? Quid de Quintiliani inſtitutionibus, eiuſdemq́; artificio declamatorio? Multa ſuperq́; ſunt ad elocutionis præceptionẽ inſtruendam. Tunc Ioãnes, Nimirum te nunc uideor intelligere quò tendas: nempe ut tanta ſermonum uarietate, qua latinorum abundat ſermo, in quo genere ſynonyma ſunt, ſic & copioſe & ornatè ſimul perfruamur, quemadmodum in arboribus agroq́; nuper indicaſti, quò diuerſa magis & uberiora poma capiamus. At Veronenſis: Nec id quidem per Deum meditabar, neq; ſynonymorũ artem incuſo, quo minus eo genere uos uteremini. In qua re conſulo potius, ut habita

operum

operum familiaritate, quod meo synonymorum libello continetur, uos ipsi elaboretis. nã nisi frequenti librorum usu dicendi facultatẽ consequamini, parum admodum ea quasi magistrorum ludi pharmaca profutura censeo. Quinimò si sententia mea dicenda, non uidentur eiusmodi præcepta, quãuis Ciceronis nõnulla esse possint, ex eo penitus prodijsse. Est uerò cuiuslibet auctoris inuentum. At contrarium nunc ego considero, ut cum de synonymis ab alio commentum sit idem significantibus, à me nunc de homonymis seu æquiuocis differendum, quę diuersa significant. in illis siquidem de uarijs sermonibus ad simplicẽ sensum tendentibus, hisce autem de singulis dictionibus uarias significationes importantibus, ac de Virgilianis potissimum enarrabitur: tanquam in resonante cithara paucarum licet fidium, infinitas tamen uocum consonantias optimus modulator exquirit. Quod elocutionis artificium non minus utile uestræ politiæ literariæ necessarium arbitror, quàm synonymorũ, quæ Ciceronis esse prædicantur. Quanquam & in superiori nominum, uerborũ, aduerbiorumq; tripartita disputatione, nonnulla huius generis attigisse memini; sed maiora restiterũt explicanda. Hic cum omnes auidissi mè rogaremus, ut doctrinæ suæ propositũ insequeretur, sic orsus est, Sequar igitur, ut iubetis: ac seruato nunc saltem in primis literis ordine, simul de uarijs orationis partibus nunc ubiq; frequentioris usus significatione repetita disputabo.

QVARTI LIBRI DE POLITIA LITERARIA PROLOGVS, IN QVO DE SVMmi Pontificis Pij Secundi laudibus, ac de eius profectione contra Barbaros infideles exoptatissima.

PARS XXXI.



IBET hic refectionis gratia considerare praesentis operis quarti libri institutionē, pijssime Pater, tanquam * sub fessis onere carpenti uiam (nā quae dulcior ex labore meo quies?) apud tuam, licet absentem, interquiescendo sanctitatem loqui. Equidem tantum mihi uel gloriae uel fructus hoc in scribendo opere peruenturum est, quantum in legendo tibi delectationis. Quanquam, ut spero, dabitur aliquando illius omnipotentis gratia, cuius uicem in terris exerces, ut praesens praesentem iterum intueri possim. Memini siquidem ante istā adeptam desuper felicitatem, te Mediolani in patria coràm aspexisse, cum defuncto nouissimè Philippo Maria Insubrium duce, inter maximi imperatoris nostri legatos insignis orator aduenisses. Aderat & Ioannes Horrolandus ex nobili Romanorum genere, olim summi pontificis Martini quinti proximus contubernalis, quo cum salutandi gratia comitatus accesseram.

Forte, sub fascis onere.

ram. Is mihi sæpenumero antea de egregijs moribus tuis multa, de poësis oratoriæq; præstãtia memorauit. Quibus rebus euestigiò mihi mens iuuenili ardebat amore compellare uirũ, & dextræ iungere dextram. Iam tum eũ librum, quem de religionibus & ceremonijs adolescens, quàm uetustissimo potui stylo describseram, tibi legendum obtuli. perlegisti, censuisti, reddidisti, humanè, seuerè, liberaliter. Accedebant præterea de te talem uirum, tantis uirtutibus præditum, ut secundum faciem tuam, quod difficile cognitu est, in omni hominum genere rectè de ingenio tuo iudicare possemus: oris scilicet macilenti iucunditas quædam, auctoritas uel potius philosophica, uisus, oculorumque benignitas, moderata sermocinatio, omnia denique perito oratore, grauique poëta dignissima, ut etiam qui te tacentem aspicerent, eundem non indisertum esse faterentur. Ex eo enim tempore effectum est, ut miram in te esse sanctitatem autumaré: sed cuiusmodi ueteres illi grauissimi haberi solerent, mox omnipotens Dominus potentiæ suæ brachio diuinam apparere uoluit. Simul ut alia opera mea legenda conscriberem, siqua tãto uiro digna facere potuissem, feci subinde: sed in carmine pentametro, uti de matronali œconomico libros quinq;, ac nouissimè de uita & morte diui Caroli, Hispani principis, Virgilianã panegyrim heroicè: sed alijs ex nostro grege principibus uisitanda quæ sint. Hoc aũt opus de Politia literaria, cũ arbitrarer nõ minus benignitati tuæ q̃ omni hominum generi literarum studioso dignè conuenire, eidem liben-

Autoris opus de religionibus.

Opera sua recenset autor.

libenter inscripsi. cumque in medio cursu describerem, multorum rumoribus auditũ est, te proprio corpore tanquam Christiani belli propugnaculo contra Barbarorum immanitatem iter expedire. magnificum, diuinum, nouum facinus. Quòd si iam ingressus es, Deum omnes precamur, ut hoc pijssimo bello coniecto in hostium iaculo, fixoq; crucifero uexillo, auspicio ductuq; felicitatis tuæ gloriosam uictoriam sentiamus. Si ne adhuc quidem processeris, suppliciter tamen eundem imploramus, pro cuius summa gloria clementia tua iustissima suscepit arma, ut proposita expeditio ad tuæ in primis auspicationis, & omniũ Christianorum uota felicissimè conficiatur, ut simul cum poëtica ex Virgilianis Bucolicis prophetia cantemus: Magnus ab integro seclorũ nascitur ordo. Quam de beatitudine tua Sibyllinam uaticinationem ecce Veronensis orator expediturus accedit.

DE SIMPLICIBVS VOCABVLIS *seu homonymis, ab eodem Veronense, uaria significantibus; ac primò ab Alpha per literarum ordinem.* Pars XXXII.

AB integro, est denuò, ut sit unus sermo aduerbiali more compositus: ut Virgilius, Magnus ab integro seclorum nascitur ordo: cũ de Sibyllina uaticinatione cantaret. in quo carmine nonnulli poëtam uolũt, *qui demum natiuitate floruerit, tanquam alterũ Platonem diuinorũ uatũ prophetias non ignorasse, etiam asserente Hieronymo.

In Pollione.

forte, qui Domini natiuitate floruerit.

Abdi-

Abdicare propriè contradicere, irritumq; facere, quod antea conuento, seu iureiurando ratum sanctumq; uidebatur. Inde abdicatus, ut periuratus. Quibusdam placet, ut sit à domo familiaq; remouere, Terentianum adducentibus argumẽtum: ut, Generum abdicat. quem locum tamen si rectè perspicias, à promissionis uel iuramenti religione concepta, non alienum esse senties Chremetem sponsioni magis de filia contradicentem, quàm ut generum exhæredare posset; quòd inter patrem & filium rectius conuenit. *Andr. prolog.*

Accipio, tracto, *cõuiuo, pasco: ut, Illos porticibus rex accipiebat in amplis. nam additum est: Libabãt pocula Bacchi. Terẽtius: Nemo hominẽ accipit melius prorsus, nemo prolixius. *forte, cõuiuor.* *Aeneid. 3.* *Eunucho.*

Achelous apud ueteres poëticè pro qualibet aqua, sicut Auster & Zephyrus pro quolibet uento: ut, Poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis. *Georg. 1.*

Accincti, instructi, parati: contrà discincti, soluti mente, & stulti: ideoq; apud Terentiũ callidus parasitus Accingar, dixit.

Acerbum & acerbitas, præter immaturitatem, asperum, difficile, durum, amarum, immite, intractabile, inexorabile. Cicero, ut, Vitam mihi acerbam putem. necnon exacerbare pro iritare est, & commouere uehementius. *Lib. 1. famil. epist. 1.*

Acutus & acuitas non longè à sagacitate & strenuitate, uel alacritate differunt, de quibus suprà in nominibus. nam græcè ὀξὺς & ὀξεῖα, unde ὀξύσχοινος ex eo nomine, & σχοῖνος, funis, quòd sit ut acutus funis. Iuncus est propriè marinus, fluuialibus præstantior.

Addu-

Georg.3. ubi acta sitis legitur. Adduco, contraho: ut, Omnibus aucta sitis miseros adduxerat artus. inde cicatrix obducta uel deducta.

Virg. Pharm. Adoleo, incendo: ut, Verbenasq; adole pingues. Et adolesco, incendor: ut, Panchæis ado*Georg.4.* lescunt ignibus aræ. nec longè tamen à flammarum incremento, & quasi mactandi uerbo differt, quod est magis augere, unde mactatio, & macte puer. Inde adolescentia, & inolesco: *Georg.2.* ut, Vdoq; docent inolescere libro.

Admitto, pecco, sicut committo. ergo & admissa sicut cōmissa, pro peccatis posita, nec minus politè pro concedere.

Georg.4. Affecto, intēdo: ut, Viamq; affectat olympo.

Agmen sua uoce satis ab agendo cognoscitur, nec de hominibus solum, uerumetiam mu*Aeneid.1.* tis & inanimatis: ut, Longū per ualles pascitur *Georg.3.* agmen. Idem poëta, Extremæq; agmina caudæ, pro serpente posuit. Et undarum agmina dicuntur: ergo & pro multitudine, & tam inermium quàm armatorum. Rursus pro impetu: *Aeneid.2.* ut, Illi agmine certo Laocoonta petunt: cum duo tantum essent dracones. Proinde non solum agmen, dum exercitus est in itinere, sed etiam stans ac pugnæ paratus. Idem, Antex*Georg.3.* pectatum positis stat in agmine castris. ideoque quadrato agmine dici solet. Quàm miserè igitur latina lingua frui uidentur in suis uocabulorum expositionibus, tantummodo agmen intelligendum docentes, cum exercitus iter agit.

Agere præterea urgere, persequi, infestare, *Aeneid.4.* festinare: ut, Pastor agens telis. Et tenere, tra*Aeneid.1.* ctare, regere: ut, Tros, Tyriusue mihi nullo di-

scri-

ſcrimine agetur. nam de Didone dixerat, Partibus æquabat iuſtis, aut ſorte trahebat.

Agnus, purus, mundus, caſtus, & ut uulgò ferunt, uirgineus: unde offerri putauerũt ex eo puram hoſtiam & mundam. nam qui agnũ dici uolũt ab agnoſcendo matris uocem in multo grege, ſuperfluum eſt, cum id omnium ferè ſit animaliũ: potius quidem agnus, quaſi græcè ἁγνὸς, id eſt, caſtus.

Altus interdum pro magno: & altitudo, magnanimitas, uel mentis excellentia: ut, Faciat ſic altus Apollo. Et altum tam ex profundo quàm edito loco dignoſcitur. *Aeneid. 10.*

Ambroſia, diuinitas uel immortalitas eſt, græcè ferè ut ἀθανασία: quo uocabulo Homerus & Virgilius utuntur præter herbæ uel graminis appellationẽ. ut, Ambroſiæq; comæ diuinum uertice odorem Spirauere. Sicq; epitheton Ambroſiæ comæ: non autem odorẽ ambroſiæ pro genitiuo eo loco ſuſcipiendum. *Aeneid. 1.*

Amarus, nocens, infenſus, etiam crudelis, ſi quid barbaro Mezentio credimus, qui Æneam amarum appellat: ut, Hoſtis amare, quid increpitas? *Aeneid. 10.*

Ambire, ad loca, & orationem, & homines pertinet. ergo ſuſtinere, circuire, differre, amplecti, tempus terere: ut, Cõnubijs ambire Latinum. Terentius: Niſi amicos ſenis oras, ambis. Cuius uerbi ratione dignoſcitur, ambages locorũ pariter dici circuitus. Pomponius Mela inter optimos ſcriptores poſt Baſilicum, inquit, Ionia aliquot ſe ambagibus inſinuat. *Aeneid. 7.* *Lib. 3. cap. 17. ubi, ſinuat, nõ inſinuat.*

Amor, & amores, & amare, ac diligere cum diligẽtia & amicitia quid ſignificẽt, & quantũ

inter

Lib.3. inter se differant, nuper uobis demonstraui.

Amoliri, ut demoliri est: sed hoc alterum ad molem deijciendam accommodatius. Nam cum Terentius dicat, Proinde hinc uos amolimini, non eo tantum dictum apparet, uti discedant, sed ut quasi molem de seipsis & impedimentum procul amouerent. Sisenna, nō ignobilis historicus, Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur, dixit. ergo tam ad homines amoliri, quàm insensata refertur: nec Terentianæ sententiæ Maro dissentit, Discedam, explebo numerum: quo magis apparet Deiphobum à Sibylla Æneaq; procul amoueri, quàm umbrarum cœtus explere.

Andr. Act. 4. Scen. 2.

Apud Nonium Marcellum.

Animus, de quo nomine pridem attigimus, rationalis est, per quem sapimus, quo cum irascimur, cupimus: & cum ad intensiorem inclinat cordis tumefactionem, in plurali pręcipuè numero ponitur, nec à bestijs abhorret. Ideoq; scienter poëta de Turno: Vltrò implacabilis ardet, Attollitq; animos, Pœnorum qualis in aruis leo. ecce mixtim & mirè de fera hominéque monstratum. Hinc animosus & animositas ad ferociam animi pertinent: nam magnanimitas, seu animi magnitudo, nihil habent uitij, teste etiam Homero, qui μεγαθύμους illos heroas appellat: hoc est, magnanimos, non ut magna furentes. Quippe & animos & animas ideo sæpè à uēto significari poëta demonstrat, quem Græci ἄνεμον dicūt: ut, Mollitq; animos, & temperat iras. mirè simul utrunque, tum de uentis præcipuè: ut illud, Quantum ignes animæque ualent: cum de follium inflatione tractaret. Ergo anima pro spiritu certè à Plinio maiore

Aeneid. 12.

Aeneid. 1.

Aeneid. 8.

maiore dicitur: animæ leonis uirus esse graue, ursi pestilentem. Idemque elephantorum anima serpentes extrahit, ceruorum urit. Cæterùm ex anima uita est, unde & animal: de qua Satyricus, Summum crede nefas, animam prę ferre pudori: hoc est, uitam, seu quæque separatim amantes: cuiusmodi uiuentes, Trahit sua quenque uoluptas: & defuncti, Quisque suos patimur manes: seu simul & uicissim. ut, Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Necnon animus pro uoluntate positus: ut, Mala mens, malus animus.

De nat. hist. lib. 11. cap. 53.

Aeneid. 6.

Terent. Andr. Act. 1. Scen. 1.

Antiquus, nobilis, uenerabilis, bonus etiã: unde tractum est aduerbium antiquius, quod sit potius uel melius: ut, Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebę. & antiquius, carius: antiquitas, caritas. *Salustius: Tantũ antiquitatis curæq; maioribus pro Italica gente fuit. nam hic antiquitatis, si ut uetustatis accipitur, nihil sonat cum maioribus in sententia. Et Tullius ad Herennium, Salus antiquior est militũ quàm impedimentorum. ipsa uerò Caritas à nobis dicitur sine aspiratione describenda, nõ ut charitas à græcis χάρις, quæ gratiam significat: unde Eucharistia, qua charissimum fratrẽ & charos parentes appellamus: hoc est, à charitate seu carendo, quamuis hoc corripiatur, illud producatur. Rursus antiquitas, nobilitas est, ut generis, uel principis: alioquin ad malũ inclinans, ut in nominibus de nobili tractatũ est. Item antiquare, abolere, & ad statum pristinum reuocare.

Aeneid. 1.

Salustius teste Seruio Georg. 1. eo uersu, Antiquasq; domos auium.

Anser poëta, qui Antonij laudes describẽs,

à Cicerone ioco notatus eſt in Philippicis : ut, Ex agro Phalerno depellantur anſeres. quem ſcilicet anſere donauit Antonius. cui pariter Virgilius alludit : *ut, Argutos ſtrepere inter anſer olores.

Philip.13.

In Mœri legitur, Argutos interſtrepere anſer olores.

Antexpectatum nunc ſit aduerbium, & unus ſermo, dépta prima, è more græco, quod ſignificat antequam expectetur : ut, Antexpectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.

Georg.3.

Anceps utrinq; nocés, acutũ, ut enſis uel bipennis. Virgilius, Sed ferro ancipiti decernũt. nã licet anceps ſeorſum dubitãdi ſit, ut in re ancipiti, id eſt dubia, nõ id tamẽ poëta cõpoſuit, uti de uitę mortisq; diſcrimine dubitandũ: ſed planè de multorũ utrinq; cędibus agi uideret.

Aeneid.7.

Anni diſtinctio.

Annum quadrifariam ueteres intellexerũt: lunarem, XXX. dierum: ſolarem, ut in communi uſu eſt, duodecim menſium : tertium, magnum, omnibus planetis in eundem locum recurrentibus, cum erratione Saturni tardius errantis annorum triginta numerum explet. at ſecundum Athenienſium & Gręcorum quoſdam philoſophos pro cõpletis duodecim millibus noningentis, & quinquaginta quatuor ſolaribus, cum ſcilicet tempora hyemis, æſtatisq; mutata uice cõſtiterint. Quod & pleroſq; Ægyptiorum credidiſſe auctor eſt Herodotus, iam ter ita temporibus ſuis contigiſſe: & ætatem ueteres triginta annorum Saturnique erratione terminarunt, cuiuſmodi Neſtori tertiam ætatem, hoc eſt, annoş circiter nonaginta, aſsignarunt.

Ardere, ſicut de ardenti in nominibus dictum, igneam uim mentis ſignificat, contrariũ ſegni-

ſegnitiei & tarditati. Cæterùm ardere tranſiti uè quoque in oratione agnoſcitur, non ſolum pro græcorum more: aut patheticè, ut, Corydon ardebat Alexin. *Virg. Alexi.*

Argentarius, & pro *argentifice, ſeu artifice, qui argyroſcopos græcè, hoc eſt, argentum inſpiciens: & pro numulario, hoc eſt trapezita, Plautus accepit: & hoc quoq; à græca menſa, uti uulgò bancharium appellant, pecuniæ tractandæ magiſtrum. *Argentificē dixit, ut aurificē dicimus.*

Aſsignare, conſignare & obſignare, ſicut annuli ſigno epiſtolam, arcam, tumulum, domū, eiusq; generis res alicui obſignari uel ſignari dicuntur. Aſsignare quoq; eſt dimittere uel relinquere: ut, Aſsignato hoc mihi, ſiue hunc laborem, hoc opus, hanc curam mihi relinquito. Idem eſt ut imputare: uti, Conſilium meum ne aſpernaberis, ſiquid mali accidet, mihi aſsignato. At reſignare tanquam recludere, quemadmodum epiſtolam clauſam, uel ſignatam arcam aperire: & reſignare, ſua alicui reſtituere, ſecundum Horatium: ut, Reſigno quæ dedit. *Lib. 3. carm. Ode 29.*

Auſter pro uento quolibet, tam oratoriè q̈ poëticè. nam Virgilium metri neceſsitas non prohibuit, quo minus diceret, Et lenis crepitans uocat Eurus in altum: Æneam ſcilicet, cui ex Thracia per Europæ medium adnauiganti ab Oriente uentus ille fuerat, non Auſter utilior: unde pariter, Et terruit Auſter euntes: qui gręcis ex Phrygia nauigantibus nō poterat eſſe cōtrarius, ſed Boreas magis uel Zephyrus. Quo magis illud poëticè dictū eſt, Vela ſecundi intendūt Zephyri: cōtrario flatu in Italiam nauigando, cum meridionalis uel ab Oriente *Aeneid. 3.* *Aeneid. 2.* *Aeneid. 5.*

uentus debuerit esse propitius: nisi dicamus, Zephyros in oratione solere confundi, præser tim exclamatoria: tum enim aduersam secundámue aëris uel maris tempestatem irati uel læti fuisse demonstramus. nam paulo antè Palinurus, ut in re necessaria, gnarus gubernator dixit, Et uespere ab atro Consurgunt uenti, atque in nubem cogitur aër: contrarij, scilicet ab Africa in Siciliam properantibus.

Aeneid.5.

Auersus nõ solum intuitu, uerùm & animo iratus: ut, Diua solo fixos oculos auersa tenebat. nam * in unam aciem inclinare, non solã est mentis auersæ demonstratio, quod uirgines præcipuè decet: sed cum oculos deiecta consisteret, simul uoluntatis auersionem, hoc est, iracũdiam fatebatur. Cui & illud eiusdem poëtæ respondet: Talia dicentem iamdudum auersa tuetur. quippe quæ non oculis inflexis, sed circumuolutis & fœmineis in Æneam uiolentius aciem intendebat.

Aeneid.1.

Fortè, in imũ, uel in humum: nam oculorum aciẽ intelligit.

Aeneid.4.

Aula, atrium frequentius & tecta principũ, sed pro ciuili nonnunquam domo. Nos literã c propofuimus: ut, Cum fremit ad caulas. nam græcè αὐλὴ tibiam etiam significat, qua concinunt tubicines.

Aeneid.9.

Aura, splendor: unde aurum, & popularis fauor. ergo & simul pulcherrimè texta discoloria dicunt: unde, Auri per ramos aura refulsit.

Aeneid.6.

Auspicium, potestas: ut, Paribusq; regamus auspicijs. Inde ductu auspicioque sæpè à ueteribus dicitur: ab eo namque, quod sequitur in comitijs, ab ijsdem auspicijs creari solitum, licet tametsi non pari tempore crearetur. Quippe cum parem haberent potestatẽ honoremq;

pro-

propter eadem auſpicia, uel conſules pares habiti: tametſi neceſſe foret ut prior unus crearetur, alter ſibi mox adiungeretur. De auguro & auguror aliàs audiſtis, & pro die præſenti ſatis dictum uobis in ſtatione mea: cætera Leonelli principis cuſtodię aſsigno. ita cum Guarinus poſtridie * diuertiſſet, inſtitutum ordinem ſequutus eſt. *forte, reuertiſſet.*

DE VOCABVLIS A LITE- *ra* B. *Pars* XXXIII.

BAcca omnium pomorũ agreſtium incultorum. Virgilius: Victum infelicem baccas, lapidoſaq́; corna Dant rami. in quibus & pruna, coryli meſpilaq́; pręcipuè, & baccis oleaſter amaris, & oliuæ numerantur. Sed & laureæ baccæ magna dignitate memorabiles. Sunt & baccæ lapilli precioſi, margaritę & uniones: ut, Colloq́; monile Baccatũ. &, Baccatamq́; iugis Naxon. quaſi lapillis, ut quidã uolunt, aut pomis inſignitam procul intuentibus, quòd ipſe locus pomis certè refertus haberetur. Quidam quòd nocturnis ad Bacchũ ſacris olim celebrandis confluebatur, cum h aſpiratione ſcribendum eſſe exiſtimarunt. *Aeneid. 3.* *Aeneid. 1.* *Aeneid. 3.*

Baiulus non ineptũ eſt uocabulum, nec Baiulo, ſcilicet à baiulandi myſterio. Apud Hiſpanos certè nomẽ eſt inſigne magiſtratus, cuius eſt ciuitatem armis regere, hoſtem finibus arcere, in periculis pro cõmuni ſalutę præſtò eſſe, deniq; uicem regis gerere. Apud nos in muliebri ferę uilique officio permanſit, aut certè priuato, eorum & earum, qui alienos liberos

nutriunt. Cicero quoq; in Paradoxis baiulos operariosq́; uilibus deputat artificijs: tantum hic disputamus, non plebeiũ esse uocabulũ, licet uulgatæ significationis: neq; uerò bastazũ, quantumlibet hominem uilissimũ, portandis oneribus expositum, alij hominum generi accommodabimus: eius inquam uocabuli à gerendi exercendiq́; significatione maioribus in rebus opportuna deducitur.

Bellum sic dici potest cũ pugnatur, uti prælium indifferenter, cùm uerbi sui, tum summi poëtæ dignitate. nam legitur, Pictis bellantur Amazones armis: quod profectò pertinet ad pugnæ dimicationem, idq́; Appollinis oraculo confirmante. Sequitur ut bellum pariter & prælium accipiatur: nec enim poëtam uersus ordo prohibuit, quo minus pugna uelut bello diceretur: nam idem est. Sed historicorũ mos est, ut bellum sit hostibus indictum, citra pacis proclamationem: qua tempestate induciæ & legationes continentur. ad hoc Plautinè dicitur bellum (unde perbellè, bellissimè) aptũ, continuum, pulchrum, uenustum, utile, ex boni diminutione sermone facto. Duellum quoque bellum est, tam plurium quàm singulorũ.

Aeneid.11.

Bibere etiam ad insensata refertur; ut, Et bibit humorem (terra scilicet) & cum uult, ex se ipsa remittit. nec non de hasta in Camillam fixa: ut, Virgineumq́; altè bibit acta cruorem.

Georg.2. *Aeneid.11.*

Bonus uir, homo frugi, iustus, innocens, aptus, fortis, strenuus, opportunus, magnanimus, parcus, nec minus liberalis: tametsi non literatus uel astutus. nam esse bonus & iustius potest. Cuius uocabuli significationes tum maximè

ximè discernuntur, addita officij demonstratione: ut, Bonus palæstra, musicis, &c. Virgilius, Hic iaculo bonus, hic longè fallēte sagitta. *Aeneid.9.*

Bustuarij præter defunctorum corporũ curationem dicti sunt gladiatores: nam cum captiuos uisum esset crudele necari ante busta nobilium, pòst ad gladiatorios ludos descenderunt, qui funebres appellati, quorum in Terentio memoratio est. Bustum uerò dictũ iam exustum, græcum & latinum. *Bustuariũ gladiatorem dixit Cicero in Pisonem.* *Cic. de Leg.2.*

DE VOCABVLIS A LITERA C. Pars XXXIIII.

CAnere, uersus scribere. Virgilius, Arma uirumq; cano. Laudare: ut, Regemq; canebāt. Diuinare: ut, Ipsa canas oro. nam quamuis uersibus Sibylla dare responsum diceretur, pro diuinando tamen est intelligendum: cui sententiæ illud carmē optimè respōdet: ut, Diuiq; hominesq; canebant: hoc est, diuinabant, ita futurum prædicabant. *Aeneid.1.* *Aeneid.7.* *Aeneid.6.* *Aeneid.12.*

Caducus, tam mortuus qui cecidit, q̃ mortalis qui sit casurus aliquando: ut, Belloq; caduci Dardanidæ. loquit̃ enim poëta de mortuis.

Calx, finis, terminus, in masculino genere. ergo pro calce hominis dictum, quòd in extrema parte sit corporis: ut, Calcéq; terit iā calce Diores. Sic Nero dicitur à Tranquillo unā ex uxorib⁹ calce percussam interemisse. Itaq; nō minus ornatè dictũ, In calce libri uel epistolæ. *Aeneid.5.*

Cambio, bis, uerbum non ineptum à ueteribus habetur, quamuis in ore uulgi remanserit, à græco quippe formatum ėst κάμπτω, cuius preteritum à nobis campsi dicitur.

Classes,turmę equestres, de quibus apud Liuiũ eleganter in primo ab Vrbe condita. Virgilius, Classibus hîc locus, hîc acies certare solebãt.nã ꝓ nauigio in singulari numero pręstat. *Aeneid.2.*

Capulus,in quo cadauera feruntur.nam gręcè poëta dixit:Feretro Pallante reposto. Plautus,Capularis senex, quòd capulo dignus. nã aliàs Virgilius pro gladij manubrio significauit: ut, Ac lateri capulo tenus abdidit ensem. Necnon ad quædam utilia in coquina instruméta pertinet. nam à capiendo formatur, pro tenendo: quemadmodum capis lingua Hetrusca ales ad rapinam, à nobis falco,quòd falcatis sit unguibus & alis & rostro,dicitur. *Aeneid.11.* *Aeneid.2.*

Capere,decipere:ut,Neq; insidijs noctis capiere serenæ. Ita amore captus,ad deceptioné magis mentis pertinebit. *Georg.1.*

Carpere,præter reprehendere, haud dubiè pro accipere,ut à poëta adolescente adhuc:Nocte dieque tutum carpe uiator iter.Item carpere,tondere ac diminuere: ut, Carpere gramen equos. nam idem est, Dum tenera attondent simæ uirgulta capellæ.&,Nec nocturna quidé carpentes pensa puellæ. *In Virg. uita.* *Aeneid.9.* *In Gallo.* *Georg.1.*

Carinæ, ædificia in modum carinarum, alio etiam modo Salustius alueos uocat in Iugurthino bello de Afris memorans:Qui alueos nauium inuersos pro tugurijs habuere.

Carbasus,genus lini, sicq; pro muliebri uelo,ut nauali ponitur.

Castigare,obiurgare: ut, Hic grauis Entellũ dictis castigat Acestes. *Aeneid.5.*

Castus,pius: ut, Hac casti maneant in relligione nepotes. *Aeneid.3.*

Catuli

Catuli omnium animaliũ præter fœtus hominum, poëticè tamen: & præter quadrupedes animantes pro alio etiam genere, ut serpentium ac uolantium, natantiumq; catulos dicamus: ut de serpente Virgilius, Aut catulos tectis, aut oua relinquens. Volucribus autem & equino generi æquè pullus designatur, ut cum fœtus sit propriè cuiuslibet animãtis, terraq; natorum, fœtura duntaxat domestici pecoris appellatur. *Georg. 3.*

Cauponantes idẽ ut tabernicantes, ad omne cerdonarium seu quæstuosum pertinet artificium, omnemq; uenalium tabernam, ne de uinaria duntaxat dici putetis. hinc, Cauponantes bellum, non belligerantes. *Tabernicantes nouum.* *De Officijs li. 1. ex Ennio.*

Cauea, consessus populi: theatrum autem locus adhærens eminentior, & cauea simul cũ theatro amphitheatrum. Inde cauea tam carcer animalium terræ infossus, siue uiuarium, quàm uirgis intextus: nam à cauendo uel cauando formatur.

Cœlum pro aëre: ut, Maria ac terras, cœlumque profundum Quippe ferãt rapidi: quod de alio elemento non licet intelligi. ergo & profundum tam pro superiori, quàm altum pro inferiori colligitur. Inde cœlum scalprum fabrile dicitur, à cęlando, de quo sępè Martialis. *Aeneid. 1.*

Certus, electus, fidus: ut, Equidem per littora certos Dimittam. Et Salustius, Apud latera certos locare. *Aeneid. 1.*

Credere, confidere est: ut, Nimium ne crede colori. Salustius, Virtuti satis credebat. Et credere, commendare: ut, Hoc tuæ fidei credidi. Virgilius, Et* lati custodia credita campi. *Alexi.* *Aeneid. 7. ubi latè aduerbium pro lati.*

Aeneid.9. Cæcus,improuidus:ut, Cæciq; ruunt. nam parum est eos militantes oculos habuisse. Cæterà pro aduerbio deinceps,sicut De cætero dicimus:non tamē cæterùm,quod sonat sed:ut, Cæterà parce puer bello.

Circumferre antiquorum uerbum est in sacrificijs pro lustrare seu expiare:ut,Pura circũtulit unda.nam & alijs etiam sacrorum uerbis utitur poëta,quod pridem exposui.

Cogere,cógerere est, & oratorium prorsus. Inde coacta pecunia , magnam uim frumenti *Palæm.* coactā,uel coëgit.Virgil.Tityre coge pecus.

Committo,pecco.nam pro commēdare notissimum,& commissa,delicta . Sic admissa,à uerbo admitto,quod nō minus ornatè pro accipere quàm peccare describitur: necnon com*Aeneid.9.* mittere,claudere est & iungere:ut,Portā,quæ ducis imperio commissa,recludunt.

Componere,comparare:ut, Sic magnis cō- *Aeneid.1.* ponere parua solebam.Necnon finire, explere: ut,Ante diem clauso cōponet uesper olympo.

Commodum,ut Terentius, Quem commo *Cic.4.in Ver.* dum erat:id est, quem uolebat.

Conficere,aliquid perficere, ad finem perducere: ut cōfectum bellum,confecta nauigatio: & conficere,interficere,letho dare. Ideoq; transumptiuè interficere pro conficere:ut,Interfice *Georg.4.* messes.ac senes æuo confecti, & peregrinantes longa itineratione confecti, quasi mortui, deficientesq; dicuntur.

Aeneid.3. Condere, consociare:ut,Animamq; sepulchro Cōdimus. nisi fortè Epicureæ opinioni subluditur,ut animam cōditam semel, hoc est abditam, cum corpore & sepultam intelligat: cui

cui & illud respondet, Et manes credis curare sepultos? Ad hoc conditam ædem, uti extructam, haud dubiè ueteres posuere. *Aeneid.4.*

Conclamatum est, post lamentationem de mortuo factã, qui reuocari nequiret, ut auctor est Plinius maior. Eum morem inuentũ ex aqua calefacta refocillatione, defunctiq; seu exanimati uociferatiõe, si fortè cõpressus spiritus exaudiretur, ut cuidã contigisset, simul nequicquam de flammis exurgenti opem subitam afferri non potuisse: quo sermone Terentius prouerbij loco utitur de uirgine Chęreæ, in persona Parmenonis. *Eunuch. Act. 2. Scen. 3.*

Concẽtus, orationis est elegantis, ut auium dulce consonantium seu gestientium: ut, Hinc ille auium concentus, mixtus scilicet cãtus uel sonus: idem græcè uel symphonia uel harmonia, cum syllabę dictionesque apta uoce conueniunt.

Coruscare cum simplici r, nam prima corripitur, dicitur splendere neutraliter, uerùm uibrare transitiuè: ut, Strictumq; coruscat mucronem. nam transitiuè pro splendere non procedit, nisi dicamus poëtam græco more duos simul sensus una uoce complicasse. Cæterùm coruscatio dicitur splendor coruscans, ut inter nubes uel fluctus, inter arbores frondosas, * & cellas quarundam auium. Quale est, Tum syluis scena coruscis Desuper, horrentiq; atrũ nemus imminet umbra. *Forte, & alas* *Aeneid.1.*

Cunctans, grauis, ualidus: ut, Glebas cunctãtes crassaq; terga. Quale illud de * laureo ramo apud inferos non dissentit: ut, Corripit Æneas cunctantem. *Georg.2.* *Forte, aureo.* *Aeneid.6.*

Curare,

Aeneid.3. Curare, reficere, ut corpora curamus: & cura, quòd cor urat.

Aeneid.4. Curia senatorum & ducũ est, populi Roma. curia pars trigesima. nam Romulum constat ciuitatẽ in triginta curias siue tribus diuisisse.

Aeneid. 5. ubi pro Segnius legitur secius. Cursus, nauigatio: ut, Armari classem cursumque parari. quod & alio loco nauibus poëta cõcedat: ut, Currit iter tutum non* segnius æquore classis. Et, Cursusq; breuissimus undis.

Aeneid.8. Custos, minister: ut, Et domus Herculei custos Pinaria sacri. Ac prętér solitũ custodiendi morẽ ꝓhibitor est, & obseruator: ut, Et custos furum, atq; auium cũ falce saligna. Idem speculator: ut, Luce sedet custos. *Georg.4.*

Cuculus & ornatus muliebris, & ficale poculum: ut Horatius in poësi, Reges dicuntur multis urgere cucullis.

DE VOCABVLIS IN LITERA D. Pars XXXV.

Aeneid.12. DEpositus, uita desperatus. Virgilius, Ille ut depositi proferret fata parentis.

Aeneid.12. Deprecor, recusare est: ut, Equidẽ merui, neq; deprecor. memini in uerbis suprà uobis disseruisse.

Dentale, aratri lignũ, cuius meminit poëta in Georgicis: aratri lignum, in quo uomer inducitur. nam ut sæuumq; tridentem, quem agricolæ de more patrio dentale etiam nonnũquam, præter furcam furcellamúe dixerunt, ut rustici ferrum ligneumq; habere solẽt cum duobus uel tribus dentibus acuminatum.

Georg.1. Duplici aptantur dentalia dorso.

Deficere, deserere, prodere. ergo defectores, exerci-

exercitus sui proditores & desertores, etiam loco suo insidétes. nam hic de alienato animo cogitamus, itaq; de transfugis clarius est testimonium: sed frequens est apud historicos huius illaudati facinoris memoratio. ergo & deserti, derelicti à suis: ut, Si tam deserti sumus, de Turno contra Drancem, quia * uitulorum magna pars interierat. Desertus, præterea incultus est: ut, Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam. nam ideo fluuiorum litora deserũtur, quòd sint infœcunda. *Aeneid.11.* *Lego Italorũ.* *Georg.4.*

Deprehensus, sermo nauticus cum tempestate occupantur: ut, Deprensis olim statio gratissima nautis. quod & uolucribus, apibus, uiatoribus accommodari potest, siquando repentinis imbribus distinentur: nec minus eleganter, quod in usu est oratorio: ut furtum, uel erratum, uel morbi, aut coloris causam deprehendere. *Georg.4.*

Defunctus autem uiuus, est liberatus, completus, absolutus: quale est, O tandem magnis pelagi defuncte periclis. *Aeneid.6.*

Decuriones, pro nobilioribus seu principibus ciuitatum æstimantur. Ad hęc decuriones quidam dictos autumant, quòd initiò cum coloniæ deducerẽtur, decima pars deductorum cõsilij publici gratia scribi soliti sunt: quidam à denario numero eorum, qui Decurione duce regerentur, unde & Centuriones & Chiliarchæ dicti sunt.

Deturbare, dimouere, excurrere: ut, Puppi deturbat ab alta. *Aeneid.5.*

Delubrum, lignum, hoc est simulachrum, à libro, raso ligno, græcè descendit: necnon delubrum,

lubrum, quod uno tecto plura comprehendit numina, ut olim Capitolium, in quo Iupiter, Iuno, Minerua colerentur. Sed de superiori uidetur eo loco dixisse Virgilius, Nos delubra deûm (hoc est, effigies) miseri, quibus ultimus esset Ille dies, festa uelamus fronde per urbem. Quippe qui deorum imagines uerisimilius, quàm templorũ parietes coronare potuerũt. Quidam delubrum à diluendo censent, propter aquæ sacrificium ante ædem positæ.

Aeneid.2.

Georg.3. Differre, dissipare. Atq; arida differt Nubila, de Borea inquit, uel Zephyro.

Dies, uitæ spacium, & multum temporis significat: ut, Multa dies uariusq; labor mutabilis æui Rettulit in melius. Diei aũt partes sunt quinq;: Mane, non tamẽ apparẽte sole, cis mõtes præcipuè. Ortus, dum sol in nostro conspicitur hemisphærio. Meridies, græcus sermo, quia pars sit diei scilicet dimidiata. Occasus, inclinante iam sole, & uespera, quæ crepusculi partem continet.

Aeneid.11.

In mutuo amore, quid uelit, nescio.

Digerere, * in mutuo amore, disponere. ut de Sibyllinis responsis, Digerit in numerum.

Dicare & dedicare, in obsequiũ dare religionis, uel iurisiurãdi, uel auctoritatis: ut, Sacerdotium uel ædem numini dicauerunt. Ideoq; de matrimonij sanctione quoq; dicitur, Propriãque dicabo.

Aeneid.3. *Aeneid.1.*

Georg.4. Distendere, implere: ut, Dulci distendũt nectare cellas. nam distendere frequentando positum est sæpè implere, sicut à teneo tento (nã tendo aliud est) qua significatione utrumuis ponitur in Bucolicis: ut, Sic cytiso pastę distẽdant (uel distentent) ubera uaccæ.

Mœri.

Discrimen

Diſcrimen, differentia: *ut, Nunc dira dedit nobis diſcrimina Pallas. Diſcrimen, interſtitium, ſpacium idem. Sed certior auctor Aduolat Æneæ, tenui diſcrimine lethi Eſſe ſuos. Et diſcrimen capitis mulieris, ſed id à diſcriminādo ſeu diuidendo. Idē, Lucet uia lōgo Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros. *Aeneid.10.* *ubi dura dedit nobis, lego.* *Aeneid.11.*

Dido, uirago eſt: nam prius Eliſam dixere, poſt uerò Dido noui matrimonij infortunio territa, in rogum præcipitata. *Aen.4. & 5.*

Diuortium, coniugum eſt, quòd in diuerſas partes eunt: & diuortia, uiæ breues, ut trāſuerſa ſeu compendia uiarum: quale eſt, Obijciunt equites ſeſe ad diuortia nota. Terentius, Vbi ad ipſum ueni diuerticulum. *Aeneid.9.* *Eunuch.*

Dare, dicere: ut, Iſte de' q ſit, da Tityre nobis. *In Tityro.*

Domus, familia, gens, proſapia: ut, Sergeſtus que, domus tenet à quo Sergia nomen. Idem, Hîc domus Æneæ totis dominabitur oris. *Aeneid.5.* *Aeneid.3.*

Dorſum, arena in aggerem longo tempore conglobata, quæ remeantibus fluctibus inſtar ſaxi condenſatur & dureſcit, quò nautæ plurimum appellāt: ut, Dorſum immane mari ſummo. Et, Nanq; inflicta uadis dorſo dum pendet iniquo. *Aeneid.1.* *Aeneid.10.*

DE VOCABVLIS AB LITERA E. Pars XXXVI.

EDucere, educare, & ducere pro educere. Virg. teſtis optim', Vt poſsit paruos educere natos. &, Suosq; ducūt. unde dux* tā quam ſuos caſtos educit, quā in caſtra reducit. *Aeneid.8.* *Lego, tam ſuos è caſtris educit.*

Effata, ubi captabantur auguria: unde ager

ager post pomœria, ubi captarentur auguria, effatus dicebatur.

Aeneid.12. Efflagitare, cum clamore deposcere: ut, Notumq; efflagitat ensem.

Quintā argenti portionem probat Plinius

Electrum, sic & græci uocant. aspiratur quādoque prima, licet correpta. Cæterùm triplex habitum. unum quod ex arboribus nascitur, aliud quod effoditur, tertiū artificiale, * quod ex tribus partibus auri & una argēti cōficitur.

Aeneid.1. Buc.Alex. Tityr. Errare, pascere: ut, Treis littore ceruos Prospicit errātes. Idē, Mille meæ Siculis errāt in mōtibus agnæ. Et, Ille meas errare boues. Est autē cum securitate pascere. Cæterùm, errare est etiam planetarum: sic procul intuentibus nobis ex astrorum cursu uidetur.

Aeneid.2. Exhaurire, finire: ut, Cui nunquam exhausti satis est laboris: de agricultura.

Palæmone Excipere, insidijs & fraude surripere: ut, Damonis pessime caprū Excipere insidijs. Et exceptum Tritō, de Miseno tubicine, scilicet quē

Aeneid.6. Tritō exceperat, & unda submerserat. Idē intercipere & interuertere significat. Et excipere, subsequi, respondere: ut, Excipit Ascanius. &,

Aeneid.9.4. Tū sic excepit regia Iuno. Est autē politissimū & metro & oratione soluta: quo uerbo similiter Græci utuntur in sua uoce, sed pari significatione: ut αἱρῶ, hoc est, excipio. Significat & excipere, in calamitatem lapsos tollere. Vergilius, Heu quis te casus, &c. excipit. nec minus politè dicitur excipere pro interficere, de medio tollere: ut idem poëta, Principiò Phalarim, &

Aeneid.9. succiso popolite Gygen, Excipit.

Aeneid.1. Exigere, exquirere: ut, Socijsq; exacta referre. item, Tempus secum ipsa, modumq; Exi-

Aeneid.4. git.

git. nec minus politè pro eijcere, ut de exactis urbe regibus. nam usu frequentiori est exigere, ultimò petere, & instare. Exactum, præteritum completum, sicut exactum opus uel tempus dicimus: ut, At tribus exactis, ubi quarta accesserit ætas. quod ab exigo ducitur, pro agendo, deducendoúe, id quod adhuc non exactum sit: ut, Positis inglorius armis, Exigat hic æuum. *Georg. 3.* *Aeneid. 10.*

Exantlare, perpeti, superare. Tullius in principio Tuscul. Cum exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.

Exequi, præter quod in usu est, exprimere, explicare significat. Tullius in epistolis, Habeo multa occultiora, quæ uix uerbis exequi possum. *Lib. 11. Famil.*

Expleri, satiari: ut, Expleri nequit: de Ænea Vulcania arma permirante. Et explere, diminuere: ut, Discedam, explebo numerum. quod est ut amoliri dictum à Terentio, de quo suprà dictum est satis. *Aeneid. 8.* *Aeneid. 6.*

DE VOCABVLIS AB LItera F. *Pars* XXXVII.

FAcies, cuiuslibet forma uel species subiecta uisui. nam à factura dicitur, de quo uocabulo aliàs à me dictum existimo. Virgilius, Quę scelerum facies: hoc est, pœnarum, quæ de commissis sumerentur. *Aeneid. 6.*

Facesso frequentatiuum, à facio, & discedo significat: ut, Imperio læti parent, ac iussa facessunt. *Aeneid. 4.*

Fagus, quælibet arbor glandifera. ſcribitur & more græco: nam ἀπὸ τοῦ φάγειν dicitur, quod eſt comedere, aut ueſci: cuiuſmodi uidetur indicaſſe Virgilius, ſub qua Tityrus paſtor lentus & ſaturus recubaret.

Familia accipit matres & alias perſonas uariè. Terentius, Decem dierum uix mihi eſt familia: id eſt, res familiaris. in perſonas, & de nepotibus, agnatis, ſeruis atq; clientibus.

Falſus, actiuam & paſsiuam habet ſignificationem, ſicut neſcius: ut, Solem quis dicere falſum audeat? *Vir. Georg.1.*

Faſtigia, ſummæ & imę partes ſunt, ſicut de lato eodemq; profundo: ut, Forſitan & ſcrobibus, quæ ſint faſtigia quæras. cōtrà, Et faſtigia ſuſpicit urbis. *Virg. Geor.1.* *Aeneid.1.*

Fatum, & uoluntas eſt: ut, Fatis Iunonis iniquæ. & neceſsitas: ut, Fato profugus. *Aenid.8. & 1.*

Felix, propitius, & ſic tranſitiuum. nam frequentius autopatheticum eſt: ut, Sis felix. cum ſibi iræ cauſæ propriè non fuiſſent, niſi dicamus pro infelici iratum quoq; ſignificari. *Aeneid.1.*

Ferrugo, color: de quo Virgilius, Et ferrugine clarus Ibera. Creditur eſſe purpura apud Hiſpanos coloris denſioris, ut roſæ nigræ languentis. Nec non de ſole obſcurato dictum eſt ab eodem poëta: ut, Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit. Sunt qui à colore ferri dictum uelint, ipſamq; ferri molituram ferruginem, ut à farre farraginem, equorũ cibarium, quod non longè abeſt à ſqualore, ut in lorica thoraceúe perſpicitur. *Aeneid.9.* *Georg.1.*

Ferre, eſt gignere: ut, Inſincerus apes tulerit cruor, &, Si duo pꝛterea tales Idęa tuliſſet Terra ui- *Georg.4.* *Aeneid.11.*

uiros. Nec min⁹ ornatè ꝓdicere, facere, optare.

Ferentarios, leuis armaturæ, ut quidã intelligũt: ut hastatos uel pilatos, itidẽ sagittarios & pharetratos, & qui catapultas intorquent: ab ijs armis scilicet, quæcunq; mos est manibus aut humeris gestare, præter arma* corporea, & sic à ferendo. nam eius generis milites cibaria quoq; secũ deferre consueuerunt. Alij à feriendo interpretãtur, quod eorũ uirib. pugna lacessitur: nam nusquã sic sine uiribus describũtur. *Id est, quibus corpus tegitur.*

Fœta, plena, præcipuè prægnãtia: ut, Loca fœta furẽtib. Austris: ut, *Et fœtã uiridi Mauortis in antro. satis cõstat pro effœta lupa positum: nã alibi, Nõ insueta graues tẽtabũt pabula fœtas. ideo epitheton duplicatũ, ut de prægnantibus intelligatur. Qua ratione cõstat, effœta inania & uacuata esse, quæ prius plena fuerãt: tã cutẽ humanam sanguine: ut, Frigẽtq; effœto in corpore uires. ita mulierẽ puerperã, & doliũ uino exhaustũ effœtũ dici nõimpropriè, apparet. *Aeneid. 1.* *Aeneid. 8.* *ubi & uiridi fœtã, legitur.* *Tityro.* *Aeneid. 5.* *ubi effœtæ, habet.*

Fœdus, lex, cõditio, pactio, modus quidã inter homines, ad pietatem & obseruationẽ pertinens, quo uiolato satis apparet cõtra deorũ uenerationẽ & gẽtiũ iura cõmissum: inde Poëta, Nullus amor populis, nec fœdera sunto. Ingẽs futuræ defectionis, & uiolãdæ fidei argumẽtũ. Idẽ, Qui fœdere certo Et ꝓmere & laxas sciret dare iussus habenas: quæ ad supiora ptinẽt. *Aeneid. 4.* *Aeneid. 1.*

Fœdus autem epitheton, turpis est morib. Salustius, Quippe fœdum hominem à Repub. procul abesse. Fœdatum uerò non famosum solum quempiam, sed quodlibet uitio commaculatũ, criminosũ, cõtaminatũq; significat. Fœdare igitur est aut dilacerare, aut certè uitio

Aeneid.2. aut crimine notare:ut,Impulerat ferro agricolas fœdare latebras. Et fœdum aliquando nõ turpe,sed ut sæuũ & crudele designamus: ut; Aeneid,2 Priamumq; per aras, Sanguine fœdanté,quos ipse sacrauerat ignes. Quòd & nostra religio uelut abominandum detestatur,interdicta sacra denuncians, ubi sanguis humanus effunditur.Et optimum poëtam satis liquet eorum superstitionem improbasse, qui humano cruore deos placari opinarentur.

Feræ dictæ autem,quòd toto corpore feruntur: Porrò ferus quadrupes & irrationalis:ut, Aeneid.7. Pectebatq; ferum: cum esset ceruus ille mãsuefactus.nam addit,Ille manum patiẽs, mensęq; assuetus herili.Nec de animali solum,uerumetiam Aeneid. 2. animati simulachro: ut, In latus inq; feri Aeneid.5. curuã compagibus aluum: de equo ligneo.Et, Spumantiaq; addit Frena feris: quos domino assuetos & domitos esse constaret, seu equos marinos,siue alius generis accipiamus.

Aeneid.8. Fingere,tergere:ut,Corpora fingere lingua. hoc autem de lupa & geminis. Quod ne ambiguè dictum accipiatur,pro effingendo uel figurando,uti quædam feræ solent catulorum cor Pro Sestio. puscula.Aliud est Ciceronis exemplũ in Sextina:ut,Spongijs sanguis effingebatur.Nec non Geor.2. fingere,componere:ut,Fingitq; putando.

Focus,quicquid ignem fouet, siue quid aliud,in quo ignis fouetur, ut lar:non tamẽ igne Vir. Daphni. uacans,aliter nõ procederet. Ante focum si frigus erit. ita alternatim focus appellabitur: ut, Aeneid.5. Rapiuntq; focis penetralibus ignem. Fra- Aeneid.4. ctus,collisus:ut,Fractos sonitꝰ imitata tubarũ. Et fractus,afflictus;ut,Res miserabere fractas.

Fraus,

Fraus, antiquissimè pœna, ut in uetusto iure percipitur, & poëta noster: Iam nosces uentosa ferat cui gloria fraudem. Cicero de Oratore, In periculo & fraude capitali esse. & fraus periculum, ut in iure legitur: Fraudi erit illa res, id est, periculo. Et idem poëta, Quis deus in fraudẽ, quæ * dira potẽtia nostra. igitur periculum certè significauit. *Vlp. de ædilit. edic. L. Quũ autem.* *Aen.11.* *Aen.10.* *Vbi dura, non dira.*

Frigidus, nocens: ut, Frigida Saturni quò sese stella receptet. Et, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. *Geor.1.* *Vir.Pharm.*

Frondator, qui arbores amputat, & frondiũ manipulos facit, ad pecoris pasturã, & qui manibus uitium folia auellit, quo solis decoctione uuę maturiores efficiantur. Dicitur & auis quædam, in frondibus nascens uel habitans, ut pleriq; uolunt exemplum Virgilij utrique parti satisfacere: Hîc alta subrupe canet frõdator ad auras. *In Tityro, ubi Hinc, non Hic habet.*

Fuga, cursus: ut, Ille uocat, simul arua fuga, simul ęquora uerrens. nam de equitę dixit, nõ equo fugiente. Et fuga, nauigatio: ut, Omnẽq; fugę perferre laborem. non enim Aeneas fugiebat, quamuis profugus, præcipuè ex Amici littore spontè discedens. *Georg.3.* *Aeneid.5.*

Fulcio, sustineo: ut, Cœlũ qui uertice fulcit. *Aeneid.4.*

Fucus etiã græco more aspiratur, cum utrouis modo scribi liceat. Cæterùm nõ pro uespa solum apibus inuisa: ut, Ignauũ fucos pecus à pręsepibus arcent: uerùm & herbæ genus est, qua fullones in tingendis uestibus utuntur. Est & mendacium: ut Terentius: Per alienas tegulas fucum factum mulieri. unde & fucatam orationem aiunt. Et medicamenti genus *Georg.4. Aeneid. 2.* *Eunuch.*

ſeu ceræ, qua pro glutino abutuntur.

Aeneid. 10. Furtum, inſidiæ: ut, Haud furto melior, ſed fortibus armis.

Aeneid. 1. Fuſus, hinc inde diſcumbens: ut, Fuſiq; per herbam. mirum cur à poëta nõ ſparſi potius dicerentur, non abnuente metro. ergo pro diſcũbentibus accipiendum, nec minus politè pro

Aeneid. 2. fugato diſsipatoq;: ut, Fudimus inſidijs, totaq; agitauimus urbe. qua ſignificatione hiſtorici ſæpè utuntur.

Fluxum, molle, & facilè periturum, ut cum fluxam alicuius tyráni dominationem, aut fortunam, aut Remp. aut libertatem dicimus: ut,

Aeneid. 10. Nos ne tibi fluxas Phrygię res uertere fundo?

Frumenta omnes dicuntur fruges, ſpicatas ariſtas habentia: nam & milium, panicumque, & id genus, ad beſtiarum magis pabulũ inter ſpicosa numerantur. Ac frumenta ſunt ipſa legumina, & quæcunq; uaginatis ſiliquis enaſ-

Oryza, Plin. & Dioſcorid. cuntur, * ut Rizon, barbari frumenti genus: ita fruges & fructus omnium arborum, quanquã & in ijs alię glandes, ut ſylueſtribus: alia poma, ut cultioribus diſcernuntur olera, omnium herbarum eſculentarum. Triticum autem pręcipuè eſt, quod uulgò frumentum dicunt, in

Trigo. Italia farinæ candidioris. nam & Hiſpana lingua tritum appellat, à terẽdo ſcilicet, quòd id frumenti genus ſtudioſius proteratur.

DE VOCABVLIS AB LITERA G. Pars XXXVIII.

GAza lingua Perſica, nomẽ fuit barbarum, à noſtris deinde inter latina cultum eſt, ſignificans

gnificans opes,diuitiasq; quaslibet, & supellectilem denotans. Virgilius, Et Troia gaza per undas. *Aeneid.1.*

Genialis,uoluptuosus,cõuiualis:nam quotiens uoluptati operam damus, indulgere genio dicimus.à græca uoce deriuatur, seu mulieris,siue generationis : ut, Inuitat genialis hyems. *Georg.1.* Ergo Terentius aptißimè per contrarium,Suum defraudans genium dixit. *Phorm.*

Gerere,habere,aut certè generare uel facere, si à græca uoce *concipimus: *γεννάω.* Aut quos oceano propior gerit India lucos. *Georg.2.* Idem Virgilius, Os habitumq; gerens:quod ut habens significat. *Aeneid.1.* Gerrones autem à gerendo:nam producit primam,& geminat r:sed à garriẽdo,quasi garriones & nugatores appellamus.

Grauiter,malè,odiose:ut,Graueolentis auerni. *Aeneid.6.* Et grauiter,authenticè.Item*grauiter ex se grauatum:& ex alia re,grauis,fortis: *Lego, grauis, ex se grauatus* ut, Grauibus certamina remis. *Aeneid.5.* Grauis,uenerabilis,constans, qui non precio nec precibus à iusto dimouetur,quod ex contrario dignoscitur.nam leuis est inanis,futilis,cõtemptibilis:ut, Tum pietate grauem, ac meritis si fortè uirum quẽ Conspexere. *Aeneid.1.*

Glisco,cresco,non ineptum est,sed Virgilianum:ut, Haud secus accenso gliscit uiolentia Turno. *Aeneid.12.* Vnde glires appellat genus murium, in truncis arborum hybernantium,quos concretiores seu pinguiores efficit somnus.

DE VOCABVLIS AB LITEra H. Pars XXXIX.

Poßibilitas, eius ætatis uox fuit: elegãtiores, uim & facultatẽ, dicũt.

HAbeo, poſsideo, intelligo, teneo, quo uerbo Terentius ſępè utitur: & habitus, *poſsibilitas. Virgilius in ſuo diuino opere, Cura ſit ac patrios cultus, habitusq́; locorum. Et habilis pro uiribus aptus. Idem, Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum.

Georg.1. *Virg. Aen.1.* *Aeneid.1.* *Aeneid.10.* *Aeneid.4.* *Aeneid.10.* *Aeneid.5.*

Haurio, accipio: ut, Ille impiger hauſit, Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro. nã conſtat primò manibus apprehendiſſe poculum, cum uoluit ebrioſi geſtum poëta ſtudioſe ſignificare, atq; exprimere. Haurire, uidere: ut, Auras ſuſpiciẽs hauſit cœlũ, mẽtẽq́; recepit. Haurire, audire: ut, Vocẽq́; his aurib. hauſi. Haurire, uulnerare, cõfodere: ut, Latus haurit apertum. Haurire, compungere, ſtringere: ut, Exultantiaq́; haurit Corda pauor. In hoc cenſeo Virgilium omnibus non poëtis ſolum, ſed oratoribus etiam anteferendum: nam quem alterũ inter latinos tanta dabitis eloquentia?

Heſperiæ duæ: una quæ Italia, de qua ſæpè Virg. Heſperiã Graij cognomine dicũt: altera Hiſpania. Cæterũ Hiſpania duplex, citerior & ulterior Iberi fluminis interiectu. Quippe quę Hiſpaniæ ſub occidente, eæ nobiliſsimæ ſunt, potentiſsimæq́; orbis nationes, utræq; ab Heſpero rege dictæ fratre Atlãtis ab eodẽ exacto, qui pòſt Italiam occupauit. Quidam ab heſpero ſydere eaſdem regiones dictas exiſtimant.

Hyems pro tempore, ſicut tempeſtas, ut de formicis, quæ hyemis memores æſtate

frumenta

frumenta colligunt: quid ſcire poſſunt, aut de frigore cogitare? ad tempus tamen futurũ ſeruant, quod poëtæ placuit hyemem appellare. Ac pro difficili tempeſtate colligitur: ut, Dum pelago deſæuit hyems. formatur enim à græco uerbo ἀπὸ τοῦ ὕω, pluo: unde, Pluuiasq; Hyadas. *Aeneid. 4.* *Aeneid. 1.*

Hiſco & dehiſco, de terræ hiatu eſt: ut, Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat. Tũ de ore humano: ut, Raris turbatus uocibus hi ſco. quod eſt cum timore & pudore proloqui. Hiare autem alio pacto terræ eſt, arborum, frugum, ædificiorum, præ nimia ariditate uel frigore ſcindi. *Aeneid. 4.* *Aeneid. 3.*

Hic, pro tali: ut, Hic pietatis honos? &, Hũc ego te Euryale aſpicio? Terentius, Quî hunc poſſet perpeti, qui alium parare queat? *Aenei. 1. & 9.*

Honeſtum, non quia pudicum & caſtum ſit (nam & aliquæ meretrices honeſtæ ſunt) ſed decorum & bene cõueniens: ut Poëta, Caput ecce puer *detexit honeſtum. nam quæ in capite nudo & puerili pudicitia? Ideoque oratio pariter honeſtari dicitur, hoc eſt, per elocutionem exornari: quale Tullius dicit in rhetoricis, Omnes rationes honeſtandæ elocutionis ſtudioſe collegimus. Contrà inhoneſtũ, & de honeſtate pari ratione ſuſcipiatis. *Aeneid. 10.* *Detectus, habet poëta.* *Ad Herẽ. li. 4.*

Horreſco, contremiſco, de rebus etiam inſenſatis: ut, Tum ſegetes altæ, campique natantes, Leuibus horreſcũt flabris. Perſius, Scis comitem horridulum trita donare lacerna: hoc eſt, tremulum. Horret, terribilis eſt: ut, Tum latè ferreus haſtis Horret ager. nam tunc & horridum dicitur, quòd tactu ſit aſperum, ſicut in ſegetibus multisq; mucronibus. Vt & glacie *Georg. 3.* *Aeneid. 11.* *Aeneid. 4.*

riget horrida barba: quo duriciem in rigore, in horrore, aut crustarum asperitatem ex gelu demonstraret.

Aeneid.6. Horrendũ, uenerabile: ut, Horrendæq; procul secreta Sibyllæ. pendet enim alterum ex altero: nam propter religionis uenerationem contremiscimus.

Georg.3. Honor, sacrificiũ: ut, Sæpè in honore deûm *Aeneid.1.* medio stans hostia ad aram. Item, Haud equidem tali me dignor honore. de sacrificio Venus loquebatur.

Sunt qui ostia dicta uelint ab ore, quòd ostiũ sit tanquam os domus.

Hostium, clausum dicitur, per quod aliquo arcemur ingressu: ab obstando, aut ab ἀποσεύειν, quod est repellere. Fores autem in nominum proprietatibus dixisse memini, quæ foras aperiuntur: quamobrem poëta de utroq;, Quò lati ducunt aditus centum, hostia centum. nam ianua primus est domus ingressus, clausus uel apertus, sic dicta, quòd Iano ueteres principia consecrarunt.

DE VOCABVLIS AB LItera I. *Pars* XL.

IActare, præter frequentem à iacio significationem, est incassum uerba fundere. Virgi-*Alexi.* lius, Ibi hæc incondita solus Montibus & *Aeneid.1.* syluis studio iactabat inani. Et, Talia iactanti stridens Aquilone procella, Velũ aduersa ferit.

Georg.4. Iacere, à uerbo iacio, ponere, statuere: ut, Omnis in hac certam regio iacit arte salutem. Et *Pro Murena.* Cicero, Iacta sunt fundaméta defensiõis meæ.

Aeneid.1. Ignobilis, stultus, plebeius, rusticus, rudis: ut, Sæuitque animis ignobile uulgus. Necnon

igno-

ignobilis ut ignotus, licet eruditus: ut, Solus ubi in sylvis Italis ignobilis æuum Exigeret. *Aeneid.7.*

Ignarus, ut imprudens alicuius rei, uel ad alia intentus: ut, Aut quis te ignarum nostris Deus appulit oris? neq; enim hic sermo passiuæ uocis est, uti nescius & falsus, qua ratione ignarum pro ignoratum fuisse cōcedamus ab Andromache, quippe qui nec ab ea, nec à Didone fuerit ignoratus. *Aeneid.3.*

Illudere, cum damno ultra conuicia ludificare: ut, Certantq; illudere capto. *Aeneid.2.*

Illustris, meriti est magis quàm notitiæ, nō ut nobilis, quod ad notitiam magis quàm meritum pertinet, ut nobilis uel nobilissima meretrix: at non illustrem meretricem appellabimus. Clarus propriè est inclytus, quo uocabulo & Homerus sæpè utitur, cum alicuius præ se fert uel artis uel magistratus dignitatē. Cæterùm illustris ferè est ut egregius, qui extra gregem: & illustris dictus, quòd non obscurus sit, uti lustra uel deserta colentes: quale est, Nāque fore illustrem fama fatisq; canebant. cui & illud respondet, Fama super æthera notus. *Aeneid.7.* *Aeneid.1.*

Imponere oculos, ut arboribus nouellis frutices inserere, ideoq; eadem impositio insitio dicitur. Et sanè imponere, seriatim est, consultoq; agitare. inde, Finemq; imponere curis. *Aeneid.4.*

Immunis, non qui munera non det, sed qui nō faciat, sibiipsi etiam inutilis. ergo ignauus, inofficiosus: ut, Immunisque sedens aliena ad pabula fucus. *Georg.4.*

Imber humor omnis, & sine aspiratione, licet producatur: ut, Accipiūt inimicum imbrē. ergo & lachrymarum imber non ineptè. *Aeneid.1.*

Implorare, auxilium cum miseratione deposcere, in qua necessitate lachrymas aliquando profundimus: ut, Implorantq; * aditus, detestanturq; Latinum.

Aen. 7. Deos, non aditus legitur.

Importunus, sine portu, & qui sibi non quiescit, & qui alios quiescere non permittit, ut de harpijs, Importunæq; uolucres.

Georg. 1. sed, obscenæ uolucres, Aeneid. 3.

Imbuere, inchoare, perfundere: ut, Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus. Aliquãdo madefacere: ut, Quæ sors prima dedit, sanguis nouus imbuit arma.

Aeneid. 7.

Improbus, similiter, à quibusdam pro magno accipitur: ut, Labor omnia uincit Improbus. Sed pro eo, quòd homini displiceat, mihi uidetur intelligendum: sic improbitas dicitur de omnibus, quibus procliue est ingeniũ à labore ad libidinem. Quippe pari modo de amore cupidineo & lasciuo dicitur, & de ipso Ænea per Turnum, cui pro hostili more maledicit: ut, Leuia improbus arma Præmisit.

Georg. 1. *Aeneid. 11.*

Incestus, quęcunq; pollutio ad impietatem spectans: ut de Miseno insepulto, Totamq; incestat funere classem. ergo & funus pro cadauere aliquando.

Aeneid. 6.

Insanus, periculosus: ut, Insano iuuat indulgere labori. quemadmodum per inferna loca transire. Quidam pro magno exponunt, quòd Æneæ periculum non fuerit, tametsi de monstris trepidanti: ideoq; insanam Sibyllam magnam, furentem, per uaticinij scilicet ardorem dicunt. quòd si sic, & pro periculoso tantum putabitur: ut, Insani feriãt sine littora fluctus. quod Ouidius imitatus est: Obrutus insanis esset adulter aquis.

Aenei. 2. & 6. *Mœri.* *Epist. 1.*

Ini-

Iniquum autem intelligi pro magno, satis constat: ut, Iniquo pondere rastri. Nam & Terentius dixerat, Hui tam graues. Contrà, iniquus, exiguus, angustus: ut, Spacioq; subit Sergestus iniquo. Et alibi, Syluis insedit iniquis: cum de angustis earum faucibus prædixisset: & bene, Sequiturq; patrē non pasibus ęquis. *Georg.1.* *Heaut. Act.1. Scen.1.* *Aeneid.5.* *Aeneid.11.*

Iniustum igitur, magnum sonat ut iniquū: quale est, Iniusto sub fasce uiam cum carpit. *Aeneid.2.* *Georg.3.*

Indignus, miserabilis: ut de Miseno, Indigna morte peremptum. nam à maiore & Tritone cum interemptum, non indignum fuit, sed genus mortis execrandum. *Aeneid.6.*

Inchoare etiam perficere significat: ut, Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras. cuius contrarium est Chaos, res sine perfectione. *Aeneid.6.*

Intendere, ligare: ut, Intenditque locum sertis, & fronde coronat Funerea. Et intendere, dirigere, incumbere, tractum à iaculo uel arcu: cuiusmodi Salustius, Vbi intenderis ingenium, ualet. *Aeneid.4.* *In Coniur. Catilin.*

Interpres, mediatorem conciliatoremq; significat: ut, Interpres curarum & cōscia Iuno. & interpres nuncius, quem græci angelū Hermenq; uocant: ut, Interpres diuûm, de Mercurio dixit, quem eundem Hermen, & interpretationem ἑρμηνείαν uel ἀγγελίαν appellarunt. *Aeneid.4.*

Iners, tardum pariter designat & immobilem, & sine arte hominem: quale est, Seu stabit iners, seu profluet humor. &, Quæ sera tamen respexit inertem: hoc est, serum, cum se ipsum postea diceret Romę ociosum esse. Contrà iners, ignauus, non fortis, quamuis celer & mobilis: ut, Spumantemque dari pecora inter inertia *Georg.4.* *Aeneid.4.*

inertia uotis Optat aprum.

Georg.4. Incessit, ingruit, inuasit: ut, Regibus incessit magno discordia motu.

Inspicare, incidere, fundere, ad spicarum uel Georg.1. aristarum imaginem: ut, Ferroq; faces inspicat acuto. Et sic acutum & acuo, non ad cuspidem tantum spectat, uerumetiam ad aciem, quę in latum & planum extenditur.

Incubare propriè dicuntur, qui incubant ad Aeneid.7. accipienda responsa: ut, Pellibus incubuit stratis. Et incubare Ioui dicitur, ut in Capitolio ad impetranda responsa. Nec minus oratorium de auium incubitu, ut fœtus ouorū testis educant. quo sermone sæpè utitur Plinius in uolucrum naturis, qua ratione poëta transtulit: ut, Aeneid.1. Ponto nox incubat atra. aut certè est alienum occupare, seu uiolenter & auarè per timorem Georg.2. custodire: ut in Georgicis, Defossoque incubat auro.

Insignis, ex ijsdem ferè nominibus est, quæ bonum malúm ue significant. nam idem est ut notabilis, uel præcipuus: non tamen excellens uel præstans, quæ uocabula uirtuti assignantur. Itaque insignis non ad homines solum spectat, uerumetiam omnē cuiuslibet Georg.3. rei notationem. Virgilius, Scilicet ante alios furor est insignis equarum.

Ingluuies, tam uentris capacitas, quàm gu- Georg.3. læ immensa cupido: ut, Piscibus atram Improbus ingluuiem ranis loquacibus explet.

Integrare, renouare, uti sæpè repetere: ut, Ra- Georg.4. moq; sedens miserabile carmen Integrat.

Incedere, propriè nobilium grauiumque Aeneid.1. personarum: ut, Ast ego, quæ diuûm incedo regina.

gina. Sicut, Et multum referens de Mecœnate supino. *Iuuenal. Satyr. 1.*

Ingruere, inuadere: Armorumque ingruit horror. *Aeneid. 2.*

Indago, non retis genus est, ut quidam accepere, sed inquisitio: qui sermo alijs itidem negocijs, ut uenationi uel aucupio apponi solitus: ut, Saltusq; indagine cingunt. ergo ab indagando oritur. *Aen. 4.*

Ingratus, aut tristis: ut, Cineri ingrato suprema ferebant. Vti contrà, gratum, lætum dicimus: aut certè quòd cinis gratiam referre nequeat, de collato sibi honore nihil intelligens, si Epicureæ credimus opinioni, sensum animi cum corpore simul interire. Nam & alibi dictum, Vano mœsti comitamur honore. quippe quòd ingratus æquè dicitur homo gratiam non sentiens, ac ignarus in se beneficij. *Aeneid. 6.* *Aeneid. 11.*

Insultare, præter impetum est inimicum irridere, cauillationibus detinere: quale est, Cernis ut insultent Rutuli? *Aeneid. 10.*

Inijcere manum, uel manus iniectio dicitur, cum nulla iudicis auctoritate rem nobis debitam uendicamus: ut, Iniecêre manum Parcæ, telisq; sacrarunt Euandri. *Aeneid. 10.*

Infula & uitta non idem sunt in re sacerdotali, licet sæpè confundantur: sed infula seu fascia instar diadematis est, redimicula duo habens ab utraq; aure pendentia, quæ uittæ dicuntur: hoc est sacerdotum antiquorum gestamen, ut in ueteribus pontificū signis agnoscitur. Tænia autem fasciola mulieris, cum uno in tergum redimiculo. de his sæpè Virgilius

in

Aeneid.10. in sacrificijs:ut,Infula,cui sacra redimibat tem pora uitta. cuius uersus ratio non procederet, si infula uittaque pro ijsdem accipiantur,& de Aeneid.7. matronali cultu : ut,Fit longæ tænia uittæ.Est & infula,reticula quotidiani usus inter homines ex lana insuta,capitis tegmen.

Insolentia,non semper inhumanitatem superbiamque significat, sed ab eo, quòd in usu Andr. Act. 5. Scen.4. non sit. Terentius, Quid tu Athenas insolens? Tullius, Sed me Hercule istius disputationis De Orat.1. insolentia, &c.

Interpellare,est alterius sermonem interrũpere,quod græci sæpè ἀποτομίζειν dicunt:uel alienæ rei se interponere.

DE VOCABVLIS AB LITERA L. Pars XLI.

LAc pro succo quolibet,propterea lac succus,uenenum,pharmacum , uirus,medicamentum,bona & mala sunt.Virgilius, Aeneid.4. Nigri cum lacte ueneni. Et,Ille malum uirus. Georg.1. Quanquam hoc malum etiam frequentissimè sine epithero designatur: ut, Alba nec Assy- Georg.2. rio fucatur lana ueneno.multaque id genus apud antiquos.

Aeneid.1. Laus pro uirtute:ut,Sunt hic etiam sua præ Aeneid.5. mia laudi. Et primam merui, qui laude coronam.à consequenti id,quod præcedit.

Aeneid.2. Labes pro lapsu propriè:ut,Hic mihi prima mali labes.Habetur ergo pro casu uel iactura: & nonnulla labefacta dicuntur ab hac significatione, non quòd notam turpificationis ha- De arte am. beant,ut in ueste,sicut Ouidius indicat: Sit bene con-

ne coueniens, & sine labe toga. qui sensus pro maculæ argumento comparatur, ut si quis aliqua inquinatione prolapsus, ueste infecisset, aut ab ore manúue sordes lapsæ notarentur.

Labare, contremiscere, nutare, quod & animo instabili infirmoq; accommodatur. Terentius, Tam citò labascit uictus. Rectè ergo Virgilius, Sed tarda trementi Genua labant. &, Qua summa labantes Iuncturas tabulata dabant. nam idem titubare est, ut inconstáter ambulare, quod seniorum est atq; debilium. Labi auté dicitur, quod in expresso lapsu est, ut anguis, fluuius, nauis, & paries ruens: ac Mercurius de cœlo, uel flumen labi dicitur. *Aeneid. 5.* *Aeneid. 2.*

Latrones & uenatores idem aliquando significant: ut, Fixumque latronis Impauidus frangit telum. ad leonem spectat, cum superius dixisset: Saucius ille graui uenantum uulnere pectus.

Lætus, alacer, festinus: ut, Imperio læti parent. Lætus, uelox, acer: ut, Lætus Eois Eurus equis. Lætus, pinguis: ut, Quid faciat lætas segetes. Vnde uulgò lętamen dicunt fimũ, quod per agros iacitur. Lætus, fertilis. Vnde prius lętum siliqua quassante legumen. nam legitur, Vilemq; fasellum. Dicimus autem legumen, quòd manu legatur, non sectionis patiens. Lætus, hilaris: ut, Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti. *Aeneid. 4.* *Georg. 1.* *Aeneid. 1.*

Læuus, pro stulto uel imprudente, improuisoq; & leui: quamuis unum producitur, alterũ corripitur. ut, Si mens nõ læua fuisset. nam idcirco dexter & dextera, potiora existimantur. Sed & læuus noxius, ut de lugubri sangui-

Aeneid.10. neoq; cometa, Et læuo contristat lumine cœlum: respectu scilicet calamitatis humanæ, nõ cœlestium. Alioquin nobis de cœlo læua, feli-
Aeneid.2. cia reputamus: ut, Intonuit læuum: quod propitiũ fuit Ascanio. siqua à superis dextera parte significantur nobis intuẽtibus, sinistra sunt.

Lentus, ociosus, non tamen tardus: ut, Tityre lentus in umbra. Quippe non ob id dictum, Quæ sera tamen respexit inertem. eo enim loco pro tardo accipiendum, quòd serò Romanam libertatẽ agnouerat. nam addidit, Et longo pòst tempore uenit. Itidem Ouidius, Lento tibi: de Vlysse, nõ propter Calypsonis amores ocioso, sed tardo in reditu: ideoque subdit, Attamẽ ipse ueni. Idemq; in opere maiori pro
Metamorph. tardo: ut, Lentè gradiẽtis aselli. Lentũ, tenax:
Georg.4. ut, Et Phrygiæ seruãt pice lentius Idę. & de ter
Georg.2. ra, quę ad digitos lentescit habendo. Lentũ, fri
Georg.1. gidum, suaue tamen & delicabile: ut, Lentus noctis non deficit humor. Lentum aut molle, aut certè flexile, seu plectile: ut, Lentæq; gene
Palæm. stæ. uel, Lenta quibus torno facili superaddita
Arte amã. uitis. Lentũ, ponderosum: ut Ouidius, Et lentum filis intexitur aurũ. nam quod flexile quidam intexendoq; arguant, ideo lentum dici, non satis est in eiusmodi texturę confectione, cum ad operis magnificẽtiam, auri copiam &
Georg.3. grauitatem intelligi pars sit. & Virgilius, Verbera lenta pati: id est, grauia.

Aeneid. 3. ubi concita, nõ cõscia. Legere, præterire: ut, Legimus freta* cõscia terris. Legere, transire: ut, Pars cætera pontum Ponè legit. ut, Littoraq; Epiri legimus. Legere
Aeneid. 6. ubi non omne, sed etiã de re picta: ut, Quin protinus *omne Perlegerent oculis. nam id quoque græcum est.

γϱά-

γράφειν, ſcribere uel pingere, & graphe uel graphia ſcriptura, picturaque: ergo cum legendo conueniunt, nam pro colligendo furandó ue ſatis in uſu ſunt: ut, Qui legitis flores. &, Quid ſoceros legere? *omnem, uel omnia legitur.* *Aeneid.5.* *Aeneid.10.*

Lebes, olla ænea, & præcipuè coquinaria: quo ſermone utuntur Virgilius & Homerus, ſed pro more locorum alij nunc eoſdem lebetas tam ex lapide ſectili, quàm argilla factos appellant.

Lectiſternium, non priuatum eſt, ut in cameris cubilia parãtur: ſed & in templis, ut puluinaribus tapetijsq; conſtratum pauimẽtum, quibus homines pernoctando incubant. De hoc ſæpè Liuius & alij hiſtorici. Quidam etiã lectiſternium arbitrantur, ante cuiuſque ianuas appoſitum cubile, ad implorandum deorũ & hominum miſerationem, quod muliebris magis uidetur opinionis. nam quid ante fores cubilia conſternere opus eſt, niſi pro ægrotantibus fortè miſerrimis, qui tranſeuntium opem mendicentur?

Liba, ex farre & melle ueterum ſacrificijs cõſueta, quod uocabulũ noſtri ad placentas non ſacras tranſtulere, & in profanis etiam Virgilius apponit: ut, Adorea liba per herbas Subijciunt epulis. Dicuntur autem à libando. libo igitur, ut deguſto: quale eſt, Et flumina libant. Qua ratione apparet ad potum eſcamque libationem pertinere. *Aeneid.7.* *Georg.4.*

Liber etiam poëticè ſolẽ ſignificat, primaq; producta: ut, Vos ô clariſsima mundi lumina, Liber & alma Ceres. quæ uario nomine ſimiliter pro luna accipitur, & Liber pro Baccho *Georg.1.*

producitur: quorum nomina Macrobius soli designat. Sed Liber Bacchus, à liberando dictus, ut gentiles opinabantur, quorũ sacra præcipuè uoluerunt ad animarum salutem seu peccatorum liberationem pertinere: & quòd in liberis ciuitatibus coleretur, unde uãnus, purgatoria corbis. *Eiusmodi uanæ superstitiones liberales ludi appellati, quos Athenienses primùm dicitur instituisse apud compita & quadriuia, in quibus & compitalia festa, ludi compitalicij. Cæterùm liber pro cortice: ut, Alta liberaret in ulmo, corripitur: unde libri & codicilli antiquissimè, & adhuc dicti, quæ pars corticis ligno cohæret.

Vnde & Virg. Geor.1. Et mystica uãnus Iacchi.

Vir. in Gallo.

Liquidus, purus, defecatus, sine sordibus: ut, Nec tantum dulcia, quantum Et liquida: Liquidus item, clarus, serenus. Cuiusmodi Virgilius, Interdum liquidas nubes: hoc est, liquidũ aëra demõstrat: sicut, Nare per æstatẽ liquidã.

Georg.4. *Aeneid.5.* *Aeneid.6.*

Limẽ, nõ cuiuslibet tantũ exterioris portæ aditus, uerumetiã interioris: ut, Penetrant aulas & limina regum. &, Tacitũ limen Amatæ.

Georg.2. *Aeneid.7.*

Litus, non riparum solum, uerumetiam omnis terrę proximæ: ut, Lauinaq; uenit Littora. cum Lauinium procul à mari uideatur octo milibus passuum. Putãt ideo quidam cum simplici t scribendum, si à litando, in quo uerbo tamen prima corripit: alij uerò cum duplici, si ab ἀκτὴ græcè, hoc est, littore latinè formetur, mutata c in t.

Limus, obscurus, ut sit epitheton. Terẽtius, *Ego limis clàm per flabellum oculis. ergo nõ ut limosis, aut rheumate præpeditis. nam pro cœno ypsilon apponitur.

Eunu. Act.3. Scen.5. ubi sic legitur: Ego limis aspecto sic per flabellum clanculum.

Loca-

Locare, ut incerto loco uel sede ponere frequens est. Sed ut hic, Alta theatri Fundamenta locant: pro constituendo & ædificando est. Sic domum locare dicetur, ut fundare, cum fit, aut cum facta est: alij dicunt ad habitandum locare. Locare pręterea marito, est dare. Terentius, Quid si filiam suam locaret huic? Et Plautus, Filiam habeo grandem, dote cassam atque illocabilem. *Aulul.*

Lotium, urina. Suetonius, Reprehendenti filio Tito, *quòd & urinantium uectigal commentus esset, pecuniam ad nares admouisse scribit, num odore offenderetur: & illo negante, Atqui è lotio est, ait. *In Vespas. cap. 23. ubi, Vrinæ uectigal, est.*

Locuples, non solum pro diuite, loca multa posside nte, uerumetiam pro firmo, rato, publico. Tullius in Officijs, Accedit eò testis locuples Posidonius. *Lib. 3.*

Ludere, canere, ut poëtarum: quale est, Ludere quæ uellem. Idemq; pictorum est. Ludere, mouere: ut, Ludere pendentes pueros: cum pro infantibus accipiatur, & præcipuè lactentibus, non pueris, quorum proprium est ludere, unde appellationem græcam sumpserunt. nam παίζω, ludo dixere: & à Virgilio ponitur, Summa nantes in aqua colludere plumas. Terentius, Congrum istum maximũ in aqua sinito ludere: quod ad motũ duntaxat pertinet. *Aeneid. 2.* *Georg. 1.* *Adelph.*

Lupus est in fabula, uetus prouerbium, ex natura lupi tractũ, ut aiunt, qui eo superueniẽte improuiso homini dicitur uocem adimere: quemadmodũ superueniente fortè eo, de quo loquimur, illico conticemus. Vnde Virgilius, Lupi Mœrim uidere priores. *In Mœri.*

Lupatum,frenum aſperrimũ,à lupinis dentibus dictum,unde etiam eorum morſus uiolentius obeſſe dicitur:ut, Prenſique negabunt Verbera lenta pati,& duris parere lupatis. Inde lupanar nomen,uel à meretricia rapacitate, uel à Lupa quondá meretrice:& lupercal,ſpecus ſub monte Pallanteo,Pani dicatus deo Arcadiæ:unde Virgilius, Et gelida monſtrat ſub rupe lupercal. Vel quòd illic lupa gemellos Romulum & Remum nutrierat, ſeu quoque quòd is deus ſylueſtris à lupis pecus liberare diceretur,qui λύκος græcè dicitur.

Georg.3.

Aeneid.8.

Lubricus,& qui labitur dum tenetur,ut piſcis uel anguis:& locus,in quo labimur.de angue:ut,Lubrica conuoluit ſublato pectore terga. ſeu,Lubricus anguis ab imis. nam etiamſi non teneatur,ut diximus, naturæ ui tamen eſt lubricus. De loco autem exemplum eſt,Nam ſeſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgẽs: loca ſcilicet taurorum ſanguine lubrificata.

Aenei. 2.& 5.

Aeneid.5.

Luna,pro nocte:ut,Lumenq; obſcura uiciſſim Luna premit. quod eſt lunæ contrarium, tametſi dicatur ut obſcura à ſole lumen accipere.Et Lucenus lingua Oſca Iupiter, quòd lucẽ dare crederẽt. Quo ſatis conſtat, antiquorum peritiores Iouis nomen omnipotenti conceſſiſſe:non ei quem Saturni filium fuiſſe ſcirent, per quem extinctum lux dari non potuit.

Aeneid.4.

DE VOCABVLIS AB LITERA M. Pars XLII.

MActe,magis aucte,exaltate in gloria:ex ſacris ſermo,nõ aduerbij loco poſitus, ſicut

ſicut inepti quidam crediderunt. nam quamobrē dicitur mactus taurus, macta hoſtia, macta ouis? & ut Nonius Marcellus ait, Mactam pultem? Et mactare, quod eſt ſacrificare, hoc eſt, magis augere. Vnde etiam mactatio pro ſacrificatione ſuſcepta. Cæterùm mos eſt antiquorum boni ominis gratia in uocandi caſu, & ferè optatiuo modo ponere Macte: ut Virgilius, Macte noua uirtute puer, ſic itur ad aſtra. Sic Macte dicitur ſalue, uale, ſed magnificentius intendit. *Aeneid. 9.*

Magiſter pro cuſtode pecoris: ut, Idē amor exitiū pecori, pecoriſq; magiſtro. ergo ad q̄d libet officium magiſter accōmodandus: nam & magiſtri, quibus præcipuè gubernandarū rerum cura incumbit: ut, Rectores iuuenum, & rerum dedit eſſe magiſtros: ſcilicet qui Æneæ caſtra gubernarent. nec ad bonas artes tantum, ſed ad malas & turpes magiſter etiam aſsignatur. *Palæm.* *Aeneid. 9.*

Mala, cuius prima producitur (nam epitheton corripit) & poma, idem ſignificant. Cæterùm poma, ut aliàs diximus, omnium generū fructus ex arboribus, excepta tantum uua, quę racemus à nobis, à græcis βότρυς uel σαφυλὴ nominatur. Baccæ uerò glandes, aſperioris ſucci. Porrò, mala ipſa ſunt, quæ uulgari Italicoque ſermone poma dicuntur, à ſimilitudine & rotunditate: ut, Malo me Galatea petit laſciua puella.* Accipitur & mala pro ouibus, ſed græcè, unde malonomos ouium paſtor, à νέμω, id eſt, paſco. *Virgil. Palæm.* *μῆλον, et μάλον, ouis dicitur interdum, & μηλώτης, ſeu μηλονομεὺς, paſtor.*

Malum pro labore non uicioſo: ut, Aſſuetumq; malo Ligurem. itidem prima correpta.

Malus, arbor nauis, nunc producta, uel quòd instar mali habet in summitate, uel quasi quibusdam cingitur malis, quorum uolubilitate expeditius uela subleuantur.

Malleoli in modum securium seu bipenniũ, quos milites in bello ferunt: de ijsdem apud Liuium. inde malleoli uitium apti plantationi, quòd bicipites sint, ut mallei siue malleoli: de ijs apud Plinium & Columellam.

Aeneid.11. Malignus, obscurus: ut, Angustæq; ferũt fauces, aditusq; maligni. &, Sub luce maligna: id *Aeneid.6.* est, obscura & dubia.

Mamilla, omnis prominentia uberis, & u-*Aeneid.1.* ber omnis fertilitas: ut, Terra antiqua potens armis, atq; ubere glebæ.

Aeneid.6. Manus, multitudo hominũ: ut, Hic manus ob patriam pugnando uulnera passi.

Manipuli, ut herbarum uel radicum apud *Georg.1.* poëtam memorantur: ut, Immundi meminere sues iactare maniplos. cuius sermonis significatione etiam Romuli tempestate manipuli dicti sunt, illa rustici exercitus in hastis gestamina: & manipulares eius milites, cuius ser-*Eunuch.* monis & Terẽt. meminit: ut, Manipulus furũ.

Martius & Martialis epitheta, ut bellicosus: quod agnomen uelut ex parente proditũ, Romulo Romulidisq; pariter indiderunt. uerùm & Martius campus adhuc est, & agger cũ duplici g, Tarquiniorum Romę, qui inter urbem & Tiberim Marti consecratus.

Mancipi, indeclinabile, sicut frugi, res appellat antiquitas, quæ manu capi alienariq; possunt: in quibus & seruus, hoc est mancipium, continetur.

Manere,

Manere,expectare:ut,Te quoq; magna manent nostris penetralia regnis. *Aeneid.6. ubi,regnis penetralia nostris,nunc legitur.*

Medius,infensus,inimicus, aduersarius:ut, Nequis scire dolos, mediusúe occurrere possit. Medius,manifestus:ut,Sensit medios di lapsus in hostes.&, Quanquam in media iam morte tenetur. *Aeneid.1.*

Mensa secunda, pomorum & bellariorum: ut,Mensæ grata secundæ Dona ferunt,cumulantq; oneratis lancibus aras. & in Georgicis: Non ego te dijs & mensis accepta secundis Transierim Rhodia.Ministrorum fuit redditis holocaustis, ut ex Virgilio Homeroque percipitur. *Aeneid. 2. Aeneid.8. Geor.2.*

Mens,pro consilio:ut,Paulum lachrymis & mente morata. Vnde amentes dicuntur sine consilio. ut idem, Arma amens capio.subdit, Nec sat rationis in armis. Quo pacto mens nō consilium solum, sed ex ipso consilio dispositio,quæ sequitur : ut, Nostram nunc accipe mentem. *Aeneid.4. Aeneid. 2. Aeneid.1.*

Merere,militare est,sed antiquè,nos mereri dicimus, cuius ideo prima correpta : ut Lucanus, Ære merent paruo. At mœrere pro dolere, primam producit, ut Mœror & mœsticia, ac cum diphthongo œ scribitur.

Metus,religio,& religio metus:unde timor Domini tantopere commendatur. & poëta sacrata lauro uel luco,ut Gentiles solerent,dixit: Multosq; metu seruata per annos.&de cupressu, Relligione patrum multos seruata per annos. *Aeneid.7. Aeneid.2.*

Merges, nomen est aliquando georgicum: ut,Aut fœtu pecorum,aut cerealis mergite cul- *Georg.1.*

mi.est autem spicarum manipulus.Item messoriũ instrumentũ,apud Columellã & Pliniũ.

Menianum, ab inuentore Menio,est solare horoscopium,de quo Valerius, Cum sẽtẽtiæ dicerentur,in Menianum cõscendit. Est etiam ædificium porrectum ad spectandum.

Miscere,circumagere,insectari, perturbare: ut, Miscet agens telis nemora inter frondea syluam.

Minari,& minæ pro imminere:ut, Geminique minãtur In cœlum scopuli.Et,Pendent opera interrupta,minæq; murorum. *Aeneid.1.* *Aeneid.4.*

Militiæ uel militãtium tria genera. nam aut euocationis,aut tumultus, aut sacramenti gratia merebant. De euocatis Salustius,Memini ab ijs Centuriones omnes lectos & euocatos. Prẹterea ex gregarijs militibus optimum quẽque armatum in primam aciem subducit:nam cæteros Catilina per tumultum magis armauisse,hoc est propria eorum uoluntate,*sacramentoq; subactos creditur.Cẹterùm de his tribus militiæ generibus apud Virgilium est, & Seruius asseuerat,sacramenti:ut, Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura.quippe non uidebatur proditurus,qui iure sacramenti continere debuisset,ideoq; subdit,Fas odisse uiros.Tumultus,ut:Simul omne tumultu Coniurat trepido Latium.Euocationis,ut:Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem Qui petat auxilium. *Quàm sacramẽto subactos legendum uidetur.* *Aeneid.2.* *Aeneid.8.*

Micare,sine ordine per uices mouere:ut,de equo,Stare loco nescit,micat auribus, & tremit artus.Et micare,sicut præcedere,excellere, imminere:ut, Ante omnia corpora Nisus emicat. *Georg.3.*

cat. Micare, incumbere: ut, Emicat hic, impune putans. nam pro splẽdere, coruscareúe tritum est: ut, Craterq; micat. pelta micat, æreus ensis, quòd adueniente luce procedat coruscatio. *Aeneid.12.*

Miserere & miserari differunt. nam miserere, misericordiam est habere: miserari, congemere, conqueri cum dolore, collachrymari. Ad primum: ut, Miserere laborum Tantorum, miserere animi nõ digna ferẽtis. inuitat enim ad misericordiam. Ad utrunq; uerò: Nec minus Æneas casu* percussus acerbo: quod ad miserere pertinet. Deinde prosequitur, Lachrymãs lõgè miseratus euntem: quod ad miserari spectabit, non amantem, ut pleriq; legunt. *Aeneid.2.* *Aen.6.ubi per culsus iniquo legitur.*

Mollis pro domito: ut, Rursusq; Latini Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt. Itẽ, Belgica uel molli melius feret essedа collo. &, Mollitq; animos, & tẽperat iras. Mollis, facilis: ut, Iuuat ire iugis, qua nulla priorũ, Castaliã molli diuertitur orbita cliuo. Mollis, lubricus, uanus: ut, Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. Et mollis, imbellis, quemadmodũ Æthiopas dixit: ut, Molles sua thura Sabæi. nam idem est expresſius: ut, Imbellem auertis Romanis arcibus Indum. Sic effeminatos aut emasculatos quosdã molles appellare solemus, eunuchos, cinædosq;, & id genus. *Aeneid.11.* *Georg.3.* *Aeneid.1.* *Georg.3.* *Georg.2.* *Georg.1.* *Georg.2.*

Moles, cum simplici l, pro difficultate sæpè ponitur: ut, Tantæ molis erat Romanam cõdere gentem. Nec minus eleganter pro rei magnitudine, sicut ædificij tumuliúe: ut, Miratur molem Æneas, magalia quondam. uel, Magnasque attollere moles. ad quæ cõmoliri demoliriq; pertinent. *Aeneid.1.* *Aeneid.1.*

Moliri igitur cum ſimplici l,à mole deductũ, quod eſt præparare,preſertim incremento uel magnarum rerum tractatione. nam à conatu etiam prouenit:ut, Nec ſuper ipſe ſua molitur
Aeneid.4. laude laborem.ut Cæſar in ſuis Cõmẽtarijs, Trium menſium molita cibaria:hoc eſt,congeſta præparataq́;,non ad ignem emollita. Item moliri,regere eſt.nã ut dixi, ad magnifica ſpe-
Aeneid.12. ctat:ut,Manibus molitur habenas.Item perge-
Aeneid.6. re,ſubſequi:ut,Inde datum molitur iter.

Monimentum,memoria, à mentis admoni-
Aeneid.3. tione,quanquam in u mutetur: ut, Accipe & hæc manuum tibi, quæ monumenta mearum Sint puer.nam idcirco defunctorum monumenta dicuntur, quòd nobis eorum exci-
Aeneid.3. tant recordationem.Item hiſtoriæ:ut,Tum genitor ueterum uoluẽs monumenta uirorum. ab intellectu ſuſceptum,quando uiſu ſolet diiudicari.

Aeneid.5. Murex,acumen ſaxi:ut,Acuto murice remi Obnixi crepuere.Et murex,phœniceus ſeu pu-
Aeneid.4. niceus color ex conchylibus:ut,Tyrioq́; ardebat murice læna.Et murex,claui genus tripodis,ſemper ſtantis quacunq; iacitur parte, unà cum ſuperiori cuſpide ad uulnerandos equitum pedes.

Muſa,ipſa poëſis uel ars poëtica,& ſingulariter poſita,ut ex nouem Muſarum diſtinctionibus agnoſcimus.Muſa item cantilena quælibet:ut, Paſtorum muſam dicemus, & Al-
Vir.Pharm. pheſibœi.

Muſcus,ſine aſpiratione,ſitus,ſqualor, lanugo uiridis,propriè tectorum atq; parietum,ſine tecto:fontium quoq;,uel lacunarum, ob lõgiorem

giorem moram humectationemq; cōtinuam: de quo Virgilius inter apū delicias, Et ſtagna uirentia muſco Adſint. Sed & muſchus eſt cū aſpiratione genus muris, apoſtema ſibi in umbilico faciens, quo cum pelle detracto miri odoris unguentum efficitur, quod muſchatum dicitur. Georg.4.

Muſſare, obmuteſcere, uereri, ſuſurrari: ut, Cuncti ſe ſcire fatentur, Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant. Et muſſat rex ipſe Latinus, Quos generos uocet. Quod propriè ad dubitantem pertinet: ergo ſuperius exemplū uerentis eſt dicere, hoc autem dubitantis. Aeneid.11.

Munus, præter quod in uſu largitionis eſt, uacatio dicitur, unde & immunitas. Et munus, officium, ut Satyricus propriè: Qui ſpacium uitæ extremæ inter munera ponat Naturę. nam quod donum eſt, niſi uitam deſperantibus nobis in morte, præter naturæ officium, quod aliàs debitum appellatur, conceditur? Iuuen. Sat.10.

DE VOCABVLIS AB LItera N. Pars XLIII.

NAre, pro uolare non impropriè ſemper, præcipuè metri ratione. Virgilius de apibus, Nare per ęſtatem liquidam. nam idcirco nares à nando dictæ, quòd per eas halitus commeando, quaſi nando pertranſeat. nō enim haſtarum, ſagittarumue eſt propriè uolare, quod uerbum tamen iaculationi ſæpè conceditur: nec nauium natare, & tamen legitur, Natat uncta carina. Georg.4. Aeneid.4.

Natura pro moribus: Nunc age naturas apibus, quas Iuppiter ipſe Addidit. Georg.4.

Namquis

Namquis pro quiſnam, ut Græci ſæpè permutant:cuiuſmodi eſt, Namquis te iuuenum confidentiſsime, noſtras Iuſsit adire domos? Et Terentius,Namq; hęc anus à fratre egreſſa.

Nauare, ſtudioſe implere, interdũ dici ſolet ſine opera. Frequẽtius operá nauare dicimus, ſumma cum diligentia &promptitudine fieri: tractum à ſolerti nautarum miniſterio.

Neſcius,& qui ignorat,& qui ignoratur.Hiſpana lingua neſciũ dicunt improuiſum, ſtultum & rudem hominem.Ergo eiuſdem naturæ & falſus,pro eo qui fallit & fallitur:ut, Liquitq; uolatile ferrũ Neſcius. de paſtore dictũ ignorante, an ceruam lethaliter uulneraſſet. *Aeneid.4.*

Nepotes, omnes poſteri:ut,Fortè recẽſebat numen,charosq; nepotes . Et nepotes gáneones,unde nepotatus,ingluuies,guloſitas , quã Græci alio nomine λαιμαργίαν appellant.

Georg.2. *Negro.* Niger, noxius : ut, Nigris exeſa Chelydris Creta. quod Hiſpana lingua notum eſt, non à colore,ſed à malitia odioq; nominari.Cæterũ, niger pro mortuo:ut Horatius , Hic niger eſt, hunc tu prorſus Romane caueto . græca uoce deſumpſit:nam νέκρον illi ſiue necrum, quẽ nos mortuum appellamus.

Nixus, partus:nam à nitendo haud dubiè, quòd cum labore fit. Vnde enixa & connixa apud poëtas ſæpè: quare pro loci & temporis, ratione eſt intelligendum.

Nubes,aliquando tamen uentos ſignificãt: interdum nubes liquidum aërem:ut,Liquidis in nubibus arſit arundo. *Aeneid.5.*

Noui dicunt homines,quorũ maiores nõ celebrati;quod ſępè Tullio Marioq; obiectũ eſt.

Inde

Inde nouitas, in malũ tẽdẽs. Cęterũ & nouus, magnus: ut, Pollio & ipſe facit noua carmina. *Palæm.*

Noualia, cerealia ſunt præcipuè & agri, qui alterna ſemente renouantur. Et noualis, terra primùm proſciſſa, quæ ſolet eſſe fertiliſsima, ſi tamen ex loco herbido uel nemoroſo delecta fuerit. Ideoq; Virgilius, Hæc tam culta noualia miles habebit? *In Tityro.*

Nomen, generoſitas: ut, Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruant. item, Et nos ali quod nomenq; decusq; Geſsimus. *Georg. 2.* *Aeneid. 2.*

Nota, chara: ut, Hic inter flumina nota. Et in funeribus: Purpureasq; ſuper ueſtes uelamina nota. &, Notis cõpellat uocibus ultrò: utique charũ amicum Deiphobũ. Ideoq; uerbum etiam noſce, pro charũ habere. Sic de apibus: ut, Et patriã ſolę, & certos nouere penates: id eſt, in chariſsimis habuere. *In Tityro.* *Aeneid. 6.* *eodem.* *Georg. 4.*

Nobilis uerò, cognitus publicè: ergo tam ad infamiã, quàm ad honorẽ pertinẽs, ut de Stygio mõſtro: Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis Nobilis. At notus ad bonũ utiq; pertinens: ut, Fama ſuper æthera notus. *Aeneid. 7.* *Aeneid. 1.*

Nox, terræ umbra, quòd uiſui noceat, quæ uſq; ad Venerẽ extendi dicitur à Phyſicis: eius ſex partes, Crepuſculũ, quod à græco ſumptũ, dubium ſonat: hoc eſt, inter confinia noctis & lucis. Conticinium, à tacendo per quietem: ut, Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; uolucres. nam ea pars ſomno dicata eſt, ut idẽ poëta: Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & dono diuûm gratiſsima ſerpit. Intempeſtum, non quòd ſine tempore ſit, ſed quòd eius tempus non ita diſcernatur, *Aeneid. 4.* *Aeneid. 2.*

ut

Aeneid.3. ut in diurnis operibus: quale dixit, Et lunam in nimbo nox intẽpesta tenebat. Gallicinium, non gallinicinium, à cãtu certè gallorum, non gallinarum: unde dictum extat diuinitus, Antequam gallus cantet, ter me negabis: hoc est, per intempestum, quo maximè tempore fuerat quiescendum. Antelucanum, tempus ante lucem, quod solet nonnunquam tenebrosius apparere, licet exurgẽte Lucifero. Diluculum demum, cum depulsa antelucana caligine lux
Aeneid.4. incipiat per fenestrarum rimas ostendi: ut, Regina è speculis cũ primũ albescere lucẽ Vidit.

Nodus, densa militum multitudo, sicut cu-
Aeneid.10. neus, globus, turma: hinc Virgilius, *Belli nodumq; moramq;.

pugnæ, non belli, est.

Nuces, generaliter omnes fruges asperioris corticis, ut sunt in primis ipsæ, quæ uulgò nuces appellãtur: tum amygdalę, coryli, uel auellanæ, glandes quercuum & ilicum, castaneæ, pineæ. Quanquam & glandes tutelæ Iouis cõmissæ sunt. Poma, malaúe contrario, quæ sunt cutis mollioris, & grandine facilius atterũtur.

Georg. 2. Numerus, ordo: ut, Omnia sunt paribus numeris dimensa uiarum. ideoq; de Cyclopibus in numerũ, hoc est ordinem, massam ferri uersantibus dicit: Illi inter sese multa ui brachia tollunt In numerum.

Nudum, quidam uolunt non tegi solitum, ut est facies, os, manus: nudatum, quod tectũ
Aeneid.1. esse consueuit: ut, Viscera nudant. Nam inde
Aeneid.12. participium nudatum efficitur: sed ab eodem
Aeneid.1. poëta confunditur. ut, Ense sequens nudo. &,
Georg.2. Nuda genu. quæ ita tegi, ut nudari solita. ergo nuda & nudata uicissim, sicut, Nudataq; musto

ſto * crura nouo: in metro potiſsimum. *ubi, Tinge nouo legitur.*

Nuncius maſculini tantum generis, qui nũciat, & quod nunciatur, teſte Feſto Pompeio. Item nuncius epithetõ, ut ſit nuncius, nuncia, nuncium. Virgilius, Nuncia fama ruit. *Aeneid. 9.*

Nullus, pro minimè. Terentius, Ac nullus quidem. Idem, Nullus dixeris. nam pro nullo homine nemo frequentius apponit. *In Andr.* *In Hecyr.*

DE VOCABVLIS AB LITERA O. Pars XLIIII.

OBire, ut ambire, uel contrà ire, tam aſpectu quàm pedibus. Virgilius de Pallante in Turnum, Obitq; truci procul omnia uiſu. ad ueniẽtes pertinet. Sonat autem ut adimplere, uel explere, quod græci ἀναπλῆν dicunt: ideoq; obire dicuntur moribundi nõ improprie, quòd naturæ debitum exoluãt. omittitur accuſandi caſus, cum dicẽdum eſſet, mortem obire. Itemq; Virgilius, Morte obita: hoc eſt, completa perfectaq;, quantum ad exequialia pertinet. Sed oppetere, eſt morte uiolẽta perire. O terq; quaterq; beati, Queîs ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis Contigit oppetere. *Aeneid. 10.* *Aeneid. 6.* *Aeneid. 1.*

Obducere, tegere: ut, Limoſoq; palus obducat paſcua iunco. Vnde & obducta cicatrix. *Tityro.*

Obnoxius, debitor: ut, Iuuat arua uidere, Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ. *Georg. 2.*

Obſeruare, uenerari: ut, Regem non ſic Ægyptus & ingens Lydia obſeruat. Et obſeruare, callidè aduertere. Terentius, Obſerues filium quid agat. Vnde obſeruatio, ex primo autem *Georg. 4.* *Andr. Act. 1. Scen. 1.*

obſeruantia erga maiores.

Obnubere,uelare, tractum à nubibus:unde & nubetæ nuptiæ,nuptæq́; dicuntur, quibus ora pudoris inſigne primo die uelãtur,tam apud præſentes in pleriſq; regionibus,quàm apud ueteres Romanorum fieri ſolitum. ergo bene Poëta, Arſurasq́; comas obnubit amictu.

Aeneid.11.

Obumbrare, tueri, defendere: translatum ab arboribus, quæ ramorum ambitu frondiumq́; denſitate ſubeuntes, à calore uel ab imbre defendunt:ut, Magnum reginæ nomen obumbrat.

Aeneid.11.

Obeſus plus eſt quàm pinguis.nam pingue eſt interius,obeſum exterius eminẽs,ut in collo,clunibus & uentre præcipuè:ut, Montani quoq; uenter adeſt abdomine tardus. Virgilius,Breuis aluus,obeſaq́; terga:hoc eſt, præpinguia,quod in equo decet. Cæterùm & obeſos quoſdã per antiphraſim appellamus,qui graciles ſint,& exili corpore mobiles.

Georg.3.

Ocium, cuius contrarium eſt negotium, in bonum,ſi ad aliquod quietum officium pertinebit:ut Cicero,Quid dulcius ocio * literario? Alterum in malum,& ad ignauiam declinans: de quo Ouidius, Tam Venus ocia amat,&c.

Tuſcul.5. literato habet.

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

Odorum,quod ex ſe olet:odoratum, quod aliunde, ut templum thure ſuffitum. Odorator uel odoriſecus,qui odorem ſequitur, ut canis:ſed metri gratia confunditur,nec impolitè adeò nonnunquam confuſio delectat: quale eſt,Et odora canũ uis.pro ſagacitate odorãdi.

Aeneid.4.

Officium,beneficiũ eſt, cum utilitate & honeſtate dantis & accipientis,quocunq; loco & tempore, & inter quaſcunque perſonas pro

earum

earum dignitate conueniens : nec enim aliter ab effectu Cicero demonstrat. De hoc etiam Virgilius, Officio nec te certare priorem Pœniteat : cum tamen ab officio uerbo procedere uideatur. *Aeneid.1.*

Officina autem, ubi res propriè metallorum exercentur : sed & lignarij est itidem officina, post hanc uitrearij, sutoris atque tonsoris.

Oliua, pro arbore & fructu, licet olea pro arbore tantum: ut, Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuæ. A græcis ἐλαία dicitur: olitor autē, non ab oleo, sed oleribus, præcipuè qui uēdit, aliàs custos est olerum. *Pharm.*

Optare, eligere: ut, Tuus ô regina, quod optes, Explorare labor. nā in explorādo electio. *Aeneid.1.*

Ops, uires & facultas: ut, Non opis est nostræ Dido. Et in plurali numero similiter ac pro auxilio : Non hæc humanis opibus, non arte magistra, Proueniunt: cum de solo medicinæ remedio eo loco sit intelligendum, quamuis opes tantum pro diuitijs magistri ludi accipi iubeant. Terentius, pro auxilio : Fer opem, serua me. Omnia tamen ab Ope terra procedunt, in qua rerū est ipsa facultas. Vnde inops inhumatus, ęquè ut miserrimus, quem premit inopia. Virgilius in sexto, Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataq; turba. *Aeneid.1.* *Aeneid.12.*

Opima spolia, quæ dux duci detrahit in uictoria. ergo pro Romanorum more Virgil. tametsi in Pallante Arcadio : ut, Aut spolijs ego iam raptis laudabor opimis. *Aeneid.10.*

Operor, sacrificare uerbum: ut, Lætus operatus in herbis. Opus, manuum labore con-

fectum, siue adhuc non perfectum: cuius plurale opera ipsa, scilicet materia. Cęterùm opera, inde operæ quotidianæ hominū, labor siue usus, unde uerbum quoq; suum operor. Terētius de utroq; fœmineo & neutro: Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ. Nec minus egregiè Virgilius, Linquens opera atque labores.

Heaut. Act. 1. Scen. 1.

Aeneid. 11. ubi non linquens, sed referens, habet.

Ordo, de quo aliàs cum Feltrino disputasse memini, in rerum dispositione uersatur: modus in quantitate. Ordo etiam pro multitudine: ut, Longo ordine matres Stant circùm. &, Lucet uia longo Ordine flammarum. cum tamen ordinatio quædam his in locis sit consideranda, uti uel singulos binosúe procedere dicamus.

Aeneid. 2.

Aeneid. 11.

Orgia, apud græcos habentur sacra quælibet, sicut apud nos cerimoniæ.

Osculum, certè à suauio differt, licet uersificatio cōfundat. nam ut suauium libidinosum est, sic osculum religiosę uel pudicæ necessitatis, quemadmodū inter sanguine coniunctos: ut, Oscula libauit natæ.

Aeneid. 1.

DE VOCABVLIS AB LITERA P. Pars XLV.

PAliurus, herba spinosa, in palustribus cāpis: de qua Virgilius, Carduus & spinis surgit paliurus acutis. * unde nomen accepit Aeneæ gubernator Palinurus.

In Daphn.

Imò potius à πάλιν καὶ ὄρος uel ὀρὰ, iterum meiens, siue iterum cauda.

Parcere, seruare: ut, Gnatis parce tuis. tametsi possit intelligi patrem opibus suis parcere, hoc est abstinere, ut filijs conseruet: alterum enim

enim ex altero pendet. Item, Aut parco sale cõtingũt, hyemiq; reponunt. quia sal conseruat. Simile de uitro dicit Martialis, Condũtur parco fusca Falerna uitro. Sic parsimonia earum rerum quæ superant, collectio & conseruatio est: inde parcus, conseruator. Atq; apibus quãta experientia parcis. ergo & pro seruare, parcere dici potuit. Sed & parcere, prohibere, abstinere est: unde conseruatio. ut, Parce metu Cytherea. &, Parce pias scelerare manus. conseruatur enim, quod in aliud tempus differtur. *Aeneid.10.* *Georg.3.* *Georg.1.* *Aeneid.1.* *Aeneid.3.*

Partio & partior idem significant cum suis compositis, quæ uel in o uel in or mutant, secundum quosdam a in e. Salustius, Prouincias inter se partierant. nam de hoc uerbo, & reuerto pro reuertor, sic à nobis, ut ab antiquis polite dicitur: alia non utiq; frequentantur, ut punior pro punio, & nonnulla id genus. à Cicerone pango pro paciscor positum ad Herenium: Rem ubi pagunt, oratione pagunt, &c. *In Iugur.* *Lib.2.*

Pascere, delectare est, quale non animum modò: uti, Pascat prospectus inanẽ. Atque animum pictura pascit inani. sed rursus pascor pro cresco: ut, Lambere flamma comas, & circum tempora pasci: id est, crescere. Et, Sacrum tibi pascere crinem. *Georg.2.* *Aeneid.1.* *Aeneid.2.* *Aeneid.7.*

Pauio quoq; reperitur, præter paueo pro tũdere: ut, Pausia bacca, oliua dicitur, à pauiendo, id est, tundendo, scilicet à qua nisi tunsa, oleum non exprimitur. *Georg.2.*

Passum, uinum nouellum, decoctum & defrutum dictũ, quòd defraudaretur. nam non eandem facit in dolijs repositum digestionẽ.

Imò passo uelo id est, explicato & expãso.

& passum, rugosum. Plautus, In portum uento secundo, uelo passo, * id est, rugoso. Quod appellatiuũ itidem datur uuis exiccatis, quas passulas dicunt, & constat esse rugosas.

Aeneid. 5.

Pauidus, gloriæ cupiditate solicitus: ut, Excipiunt plausu pauidos. Quod & alio loco eiusdem poëtæ certum est, Exultantiaq́; haurit Corda pauor pulsans. nã quo modo pauor pro terrore exultantia corda faceret, nisi sit pauor glorię cupiditas? Idcirco subiecit, Laudũq́; arrecta cupido. Cui sermoni & illud respondet carmen: Continuoq́; animos uulgi, & trepidãtia bello Corda, licet longè præsciscere: id est, alacritate concita.

Georg. 4.

Aeneid. 4. Exquirunt, nõ deposcunt, est.

Pax & uenia pro beneuolentia, licet non deliqueris: ut, Pacemq́; per aras * Deposcunt. de Didone inquit, de qua paulo superius Anna dixit, Tu modò posce deos ueniam: cõtra quos nihil deliquerat.

Aeneid. 5.

Palmula, remus, nõ ex palma arbore, sed in modum palmæ remi pars extrema protenta.

Aene. 6. & 10.

Pęan, Apollinis hymnus. sed abusiuè alijs etiam attribuitur: ut, Conclamant socij lætum Pæana secuti.

Tityro.

Peculium & patrimonium ab ipso peculio: quale est, Nec cura peculi. nam ex pecorum fructu antiqui omnem ferè substantiam attraxerunt. inde pecunia dicta. Et sanè pecuniæ uocabulum nõ solum numeratam pecuniam cõplectitur, uerumetiam omnia corporea: nam personas quoq; & bestias appellatione pecuniæ contineri, non ignoramus.

Vlp. de Verb. Sign. L. pecuniæ.

[illegible], uel πέ-[illegible].

Pedum, baculus uel hasta pastoralis, quasi græcè * pedium, quo pedes retinentur. de quo Virgili-

Virgilius, At tu sume pedum, quod me cũ sæpè rogaret, Non tulit Antigenes. *Daphn.*

Pes, funis, quo tenditur uelum: ut Virgil. 5. Vnà omnes fecere pedem.

Pellex, fallax, à pellacia, fallacia: ut, Pellacis Vlysis. licet aliàs pellax à pellendo, unde & quidam pellacem concubinam appellauere, quasi fallacem potius quàm pellicem, *Aene.2. Vlyßi, pro Vlyßis, est*

Pellex, certè propriè mariti est: nam à pellẽdo dicta, ut Glycerium, Philumena, & pellices cælum tenent. Qua quidem ratione pellex utique dici posse uidetur, cum cœlibe uiuens, nec minus à pellendo, siquid Terentio credimus, cuius pellicis necessitate uxores interdum abnegatur. nam Dauus dixit: Nemo his moribus uxorem dabit. Ergo concubina, seu amica, uel scortum, pellex aliquando dicetur. nam meretrix à quæstu ferè, ut prostibula. Ad hoc pellex æmula est, secundum Iuuenalem, non à pellendo uirum, sed famæ laudem: ut, Horrida quale facit residens * in cortice pellex. nam uirum Pallas non habuit, propter quem Arachne meritò sit eius pellex appellata: ergo ab æmulatione, quia Palladis gloriam suo artificio repellebat. *Seneca.* *Paulus de Ver. sign. L. Marius.* *Satyra 2. ubi in Codice legitur, nõ cortice.*

Pœnitet, pro eo quod est, parum uidetur: ut, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Et, Officio nec te certâsse priorem, Pœniteat. *Alexi. Aeneid. 1.*

Pendo, soluo: ut, Tum pendere pœnas Cecropidæ iussi. *Aeneid. 6.*

Pendeo, desidero, uel expecto: ut, Pendetq; iterum narrantis ab ore. Et, Dum consulta petis, nostroq; in limine pendes. *Aeneid. 4.*

Penetralia, omnis interior pars dom⁹, licet de

Aeneid.6. tecta: & penetralia, secreta templorum: ut, Te quoque magna manent nostris penetralia regnis.

Pertento, uehementer tento. quanquam ferè omnia eiusmodi composita uerba more græco uehementiam significant: ut, Latonę tacitam pertentant gaudia mentem. quem locum ab Homero suscepit, ubi de Glauco agitur, & Sarpedonis corpore iacente, libro Odysseæ 6.

Aeneid.1. ubi tacitum pectus est: in quinto uerò, Gaudia pertētant mentem.

Pera, peræ, & pero peronis, græca sunt. primum est pro quolibet sacculo, sed propriè mēdicātium seu peregrinantium pauperū: pero autem genus est calciamēti ad rusticos. ut, Crudus tegit altera pero.

Aeneid.7.

Aeneid.1. Pergo, perseuero: ut, O dea, si prima repetēs ab origine pergam. Et Terentius, Pergin' scelesta mecum perplexè loqui? Nec ad itinera incomptum est uerbum: unde* pergere & peregrinus. ut, Perge modò, & qua te ducit uia, dirige gressum.

Forte, peregrè

Aeneid.1.

Periculum, experimentum, à græco scilicet sermone πεῖρα, hoc est, experientia. Terentius, Fac periculum in literis.

In Eunucho.

Parad.5. Polleo, possum, ualeo. Cic. in Paradoxis, Nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipsius uoluntas atq; iudicium.

Aeneid.7. Ponere, quiescere: ut, *Tum uēti posuere: id est, quieuere. Idem, scribere: ut Persius, Nec ponere lutum artificis. Idem & compositum ualet: ut à Iuuenali, Nunquam ne reponā? Et ponere pro deponere non impolitè à poëtis maximè frequentatum. Ad hoc ponere, constituere, fundare: ut, Atq; hæc me sacra quotānis, Vrbe uelit posita templis sibi ferre dicatis.

ubi, Cum uēti, est.

Satyr.1.

Aeneid.5.

Pontes

Pontes, etiam ſcalæ ſunt: ut, Interea Æneas ſocios de puppibus altis Pontibus exponit. nam certum eſt ſcalas ſcaphasq; nauigio cõuehi, ſeu tabulæ quædam fortè ſint, trabesq; longiſsimæ nauibus hærentes, pro ſcalis tamen exiſtimantur. *Aeneid.10.*

Portendere, id eſt, porrò tendere, prædicere, ſignificare: ut, Hunc illum fatis externa à ſede profectum, Portendi generum. *Aeneid.7.*

Poſcere, prouocare, ſecundum quoſdam nõ abſurdè definientes, uerſumque poëtæ ſimul adducentes: ut, Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum. Sed hoc uiciſsim eſt ultrò ad Turnum inclamare, ut duello conueniat. nam legitur regijs legatis Æneam indixiſſe: Æquius hinc fuerat Turnum ſe opponere morti, Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros Apparat, his demum decuit concurrere telis. Alibi etiam, Mihi ius concurrere ſoli. &, Turnũ iam debent hæc mihi ſacra. cui & illud reſpondet, Solum denſa in caligine Turnum Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit. quem certè uoce poſtularet, quòd ſic Venus fore prædixerat: ipſe quoque Turnus poſcit equos & arma contra Æneam incurſurus. Præterea poſcere, ſecundum Varronem eſt, cum aliquid merito noſtro poſtulamus. Quanquam & interdũ eſt poſtulare, ut arroganter ſuperbeq; petere. Curtius de Dario ad Alexandrum, Poſtulabat autem magis quàm petebat. Et poſtulare, accuſare, diem dicere. *Aeneid.8.* *Aeneid.11. ubi pro hinc, huic, & pro demũ, mecum etiam mutato ordine legitur.* *Aeneid.12.*

Potiri, non modò aliquid in uſu habere, uerum etiam in poteſtatem ſuam ex aliena redigere, quod elegantiſsimum à poëtis & hiſtori

Aeneid.9. cis habetur. Virgilius, Si uerò capere Italiam, sceptrisq; potiri Contigerit uictori. Salustius: Ex Sibyllinis libris imperium Romæ tribus Cornelijs portendi, Syllam atq; Cinnã antè, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri. Iungitur ergo cum generandi auferendi ue casibus.

In Catilin. coniur. ubi regnũ, non imperium habet.

Georg.1. Præsens, propitius: ut, Vos ô agrestum præsentia numina Fauni. Item, Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos. in præsentia enim fauor adiungitur. *Tityro.*

Præcinctos & accinctos, strenuos dicimus & expeditos. Terentius, Accingar. Græci id genus hominum ζωστῆρας appellant. &, Vires accingunt omnes operi. *Aeneid.2.*

Aeneid.1. Premo, uasto, populor: ut, Pelago premit arua sonanti. Et premere, demergere, infodere: ut, Quæcunq; premes uirgulta per agros, Sparge fimo pingui. Et premere, onerare: ut, Ceu pressæ cum iam portũ tetigere carinæ: rectius quàm si fessas intellexeris. Premere, coërcere: ut, Ruris opaci Falce premes umbram. *Aeneid.1.* *Georg.1.*

Præla, sunt trabes, quibus uua calcata premitur. de hoc genere est in Georgicis, Colaq; prælorum fumosis diripe tectis. Cæterùm nihil obstare uidetur, quo minus eadem instrumenta ad olei pariter, & liquaminis confectionem accommodentur. *Georg.2.*

Prælia, de omni concursu etiam citra arma dicuntur: ut, Siquando ad prælia uentum est. de equo dicit ætate confecto, & ob id ad Veneris certamen inepto. *Georg.3.*

Georg.4. Preceptũ, respõsum: ut, Sine ui nõ ulla dabit pcepta. nã & respõsa eodẽ loco apponi potuit.

Præceps, altũ, unde quis posit præcipitare: ut,

ut, Turrim in praecipiti stantem: hoc est, altissimá. nam subdidit: Summisq; sub astra Eductá tectis. nõ ad eam specié, quod quidam uolũt, uti Bononię adhuc cernitur, uelut inclinato cacumine turrim euestigiò ruiturã: ergo altissimá. nã dixit: Vnde omnis Troia uideri, Et Danaũ solitæ naues & Achaia castra. Et illud, Ac Danaũ super agmina latè incidit. Vnde satis apparet, arcem illam minimè fuisse curuatam, sed editissimá. Quod uidetur poëtæ consiliũ, cuius nihil minus interfuit, quàm eiusmodi molem ad puerile desideriũ indicare. Itẽ præceps, festinus: ut, Præcipites uigilate uiri. Sicq; præcipitate, festinate: ut, Præcipitate moras. *Aeneid.2.* *Aen.4.* *Aeneid.8.*

Præciæ, uuæ, quæ citius mitescunt, ut in Iulio mense, quæ alio nomine præcoques appellantur, uti biferæ ficus anteriores. de ijs Virgilius & Plinius.

Pręstare, facere. *Cicero de Finibus bonorũ & malorum: Emptorem indemnẽ damni pręstare oportere. *Non de Fin. sed de Offic. lib.3. lego, Emptori damnum præstari oportere: nimirum à uẽditore.*

Præcipere, antè capere, occupare: à quo uerbo non in usu est præceptor, qui à doctrina solum indicatur.

Procudere, cudendo extenuare: ut, Durum procudit arator Vomeris obtusi dentẽ. Et procudere, dilatare. Varro, Legendo aut scribendo uitam procudito. Quidam uerò tam pro erudiendo quàm exacuendo suscepere, aut certè pro exercendo. *Georg.1.*

Procax, petax: & procare, petere, quamuis in usu non sit: sanè procus à petendo dictus, & proci quasi competitores. Procaces austri, id est, uiolenti. *Aeneid.1.*

Pro-

Procella, uis uenti cum pluuia, ab eo quòd omnia percellat & moueat: ut, Creberq; procellis Africus. *Aeneid.1.*

Proceres, secundum Varronem, principes ciuitatis sunt: sic dicti à trabiũ proceritate, quarum capita emineant in ædificijs. Sed alio modo Suetonius illustrium imperatorum proceritatem describens, uelut ab arborũ pulchriori specie designat. nam inter eos Romanorũ, qui certè principes extiterunt, quibusdam nõ datũ est ab historico proceritatis insigne: quo uocabulo & Virgilius sæpè utitur in effingenda heroum altitudine.

Aeneid.1. *Aeneid.3.* *Aeneid.6.* Proprius, epitheton, perpetuus est: ut, Propriamque dicabo. Et, Da propriam Thymbræe domum. &, Propria hæc si dona fuissent. Vnde uulgò pariter fundum agri proprietatem appellãt, quòd perpetuò possideat̃ à domino.

Proluuies, secundum quosdam non incongruè sordis est effusio per uomitum, ideoquè à poëta contendunt uolucribus Harpyis designatum, quarum est de pectore frequenter excrementa proijcere. Neque uerò necesse fuisse id increpare, quod sit naturæ conueniens, si ab intestinis inferioribus ea proluuies existimetur. Cæterùm cum ne id quoq; de pectore proiectum in uolucribus sit reprehendendũ, quarum naturale est dupliciter expurgare præcordia: relinquitur eandem Harpyiarum proluuiem utiq; turpem, & obscœna miseri uictus ingestionem poëtam improbasse, tanquam in auarissimorũ genere uitam illaudabilem. nam alibi legitur, Et pleno se proluit auro. quod ingerere, non proijcere est. Quamobrem proluuies *Aeneid.3.* *Aeneid.1.*

uies alterutra significatione pro rei aptitudine suscipienda.

Prodigium est, quod in longũ tempus prodigit, prædicit ue significationem: ut, Harpyia Celæno Prodigium canit. *Aeneid.3.*

Prodere, propagare: ut, Genus alto à sanguine Teucri Proderet. Prodere, decipere: ut, Vnius ob iram prodimur. Vnde proditores, ijdẽ deceptores, quos Græci eadem ferè uoce προδότας appellant. Cæterùm & prodere est non minus eleganter pro eo quod est manifestare, & testificari, quod scriptoribus assignamus: sicut, Prodidit uel proditum est memoriæ: nõ tamen ut eosdem proditores, quemadmodum scriptores uel auctores appellemus: uelut, Terra solem maiorem esse, auctor est Plinius, non eleganter proditor diceretur. *Aeneid.4.* *Aeneid.1.*

Pronus, uicinus, uti de alto longeque posito: ut, Ventisque uocatis Prona petit maria: id est, uicina littori, quasi propiora. alioquin non prona, sed ardua uidentur maria: ideoque tam naturaliter dicitur quàm moraliter, naues ascẽdere, & in terram ex mari descẽdere, nisi fortè hemisphærij ratione prona magis appellem⁹. *Aeneid.5.*

Propius, pro magis propè: &, magis propriè, non autem proprius: & pleraque ijs similia, uariæ significationis tam nomina & uerba, quàm aduerbia, superioribus uobis diebus satis exposui.

Plurimus, longus: ut, Cum se nux plurima syluis Induet in florem: id est, longa. designatur autem amygdala, quæ nux longa dicitur. *Georg.1.* *Georg.1.*

Putris, solubilis: ut, Putris se gleba resoluit. Et, * Quadrupedumque putrem soni- *Aeneid.8.* *ubi Quadru-*

tu

pedante, pro tu quatit ungula campum.

Quadrupe- dumq; legi- tur.

Purpureus, præter colorem solitum, niger est præcipuè: ut, In maris facie, quod ex altitudine nigrum accipimus. Interdumq́; cæruleũ, ut mare purpureum dicitur, & rosa nigra, cum

Georg.4. tamen purpurea sit: quæ omnia, & plura noster poëta habet.

Pueri appellatio quatuor habet significationes: una est, cum omnes seruos pueros appellamus. Terentius, Puerum inde abiens coueni.

Palæm. Virgilius, Claudite iam riuos pueri. Altera, cũ puerum contrario nomine pueliæ uel pueræ

De Verb. sign. l. puer. dictitamus. Tertia, cum ætatem puerilem demonstramus in ætate quoque prouecta, senilíq; præcipuè: ubi de rerum imperitia uel ignorantia reprehenditur, ac pro filio nihilominus

Aeneid.4. sæpè designamus: ut, Tuq́; puerq́; tuus: cum

Aeneid.2. de Venere & Cupidine diceret. Item, Ascaniusq́; puer. Et Horatius, pueros Ledæ dixit, cuius essent filij. Omnes ij Homerũ imitati, qui sæpè hoc uocabulo & Achiuorum, & Priami filios appellat more Græcorũ, apud quos παῖδες, hoc est, pueri nominantur.

Pulcher, pro eo qui sit fortis, & fortis pro pul

Aeneid.7. chro: quale est, Satus Hercule pulchro Pulcher Auentinus. Virtus enim & pulchritudo more etiam græco sæpè confunduntur aptissimè, sicut contrario malitia & uitium pro deformitate designatur: ut, Haud illo segnior ibat Æ-

Aeneid.4. neas: id est, non deformior. ideo addidit, Tantum egregio decus enitet ore.

Aeneid.12. Pulsare, uiolare, lædere: ut, Fugit ipse Latinus, Pulsatos referens infecto fœdere diuos.

Putare, & in dubio ponitur, & in certo elegan-

gantissimè: cuiusmodi Plinius maior de cucumeris syluestris medicina, Putant conceptus adiuuari alligato semine, si terram non attigerit. nam pro opinione positum, sed approbata sententia. In dubio autem illud satis est: ut, Turpe esse in re militari dicere, Non putabam. Est & uites putare: ut, Fingitque putando. & membrum amputare. *Georg.2.*

DE VOCABVLIS AB LItera Q. Pars XLVI.

QVadra dubium est, an pro fragmento panis accipiatur: ut Virgilius, Patulis nec parcere quadris. *Aeneid.7.* An placentæ essent adoreæ: ut, Adorea liba per herbas Subijciunt epulis. *Aeneid.3.* an pro mensis, quarum certè frequentior est usus quadratas haberi. nam Harpyia prædixerat: Ambesas subigat malis absumere mẽsas. Et Iuuenalis auctor est, Parasitum aliena uiuere quadra. *Satyr.5.* Seu panem pro aliena mensa dixerit, ergo ad opportunitatem distinguẽdus hic sermo.

Quadrat, consentit, coniungit: translatum à lapidum quadratura, qui sibi bene conueniunt: ut, Arboribus positis secto uia limite quadret. *Georg.2.* quæ amplior quandoque est, aliàs oblongior. nec dubium armatorum aciem, seu cuneum quadrato agmine, hoc est, seriatim incedere.

Quassare, à quatio frequentatiuo ponitur, & ad quælibet conterenda, uel concutienda: ut de hasta, Quassatque trementem. &, Quassatæque * trabes, de nauibus inquit, seu *Aeneid.12.* quasi

**Aenei.4. ubi rates, non trabes, est.*

quaſi fatigatas intelligamus. nam & quaſſare, fatigare eſt: & quatere, excludere. Terentius, Homo certè cum dono quatietur foras. Quatere, infeſtare: ut, Raſtris terrā domat, aut quatit oppida bello. unde frequentatiuum ſuprà à fatigando domandoq́;.

Eunuc. Act. 2. Scen. 3.

Aeneid. 9.

Quæſtio, idem de tormentis eſt & corporis doloribus, ad exquirendam ueritatē: quo ſermone ſæpè utuntur hiſtorici, & Tullius ad Herennium præcipuè, ubi de teſtibus contra teſtes: & cum frequentioris ſit uſus quæſtio pro diſputatione, utrunq; tamen à quærendo eſt.

Quirinus Romulus ſic appellatus ab haſta, quæ Sabina lingua Quiris dicta, unde ſecuris quaſi ſemiquiris, quæ πέλεκυς græcè uel κύριος, qui regem ſignificat, uel certè dominum, literis paulo mutatis. Conſtat autem Romanos à græcis oriundos fuiſſe: nam legitur, * At pater Euandrus Romanæ conditor arcis. Vel idcirco Quirinus dictus, ex gentis nobilitate à Marte, qui cum ſæuit, gradiuus dicitur: cum miteſcit, Quirinus. Deniq; duo templa fuerūt, unū Quirini intra urbē, quod cuſtodis & tranquilli: alterum, in Appia uia extra urbem iuxta portam, quod bellatoris Quirini diceretur.

Aenei. 8. Tum rex Euandrus, legitur.

DE VOCABVLIS AB LItera R. Pars XLVII.

RAdo, tranſeo, ſicut lego. Virgilius, Radit iter liquidum, celeres neque dimouet alas. &, Radit iter læuum interior. Item radere, extrahere, excipere, decerpere: ut Comici ſæpè dicunt pecuniam abradere, uel argentum

Aeneid. 5. ubi pro dimouet, commouet.

tum emungere à ſenibus, quos improuidos uolunt homines.

Radij quoq; rotarum:ut, Radijsq́; rotarũ di ſtricti pendent. Et radiorum argenteus ordo. nam præter ſolares radios,ut frequentius dicitur,cæterorumq́; planetarum & luminũ, quis dubitat cœleſtium omnes influentias radios appellari? ut, Tris imbris torti radios,tris nubis aquoſæ.In quorum ſignificatione communiq́; conſortio,ut inferiora ſuperioribus anne-ctantur,idcirco noſtrorum capitibus, quos diuos appellari uolumus, radiata coma depingitur.Sed & radij inſtrumenta texendi ſunt, ut de matre Euryali,*Diſcuſsi manibus radij. Et radius uirga philoſophorum,qua geometræ lineamenta deſignant:ut,Deſcripſit radio totũ, qui gentibus orbem. *Aeneid.6.* *Aeneid.8.* *Aeneid.9.* *Excuſsi, habet poëta.* *In Palæm.*

Rapere, ſtuprare : ut, Rapta Garamantide nympha : à Ioue ſcilicet. &, Raptas ſine more Sabinas:ad uim pertinet. *Aeneid.4.* *Aeneid.8.*

Rapidus,uelox, unde raptim & repentè,nõ à rapiendo,unde fit rapax:ut,Ipſa Iouis rapidũ iaculata è nubibus ignem. Et, Rapidisq́; rotis inſiſtere uictor. *Aeneid.1.* *Aeneid.3.*

Ratis,propriè connexę inuicem trabes,quę græcè σχεδία: ſed abuſiuè nauem noſtri fecere: ut,Poſtquam altum tenuere rates. *Aeneid.3.*

Recipere,promittere,qua ſignificatione grę cè pariter uoce deponentis ἀναδέχομαι dicitur. Cecinna ad Tullium, Vt ea conditione tibi daret librum,ſi reciperes te correcturum. Et recipere,exceptum facere.Plautus, Vbi nunc adoleſcẽs habet poſticulum hoc, recipit,cum des. Vendere,præcipere,liberare: ut, Frugesq́; rece- *Epiſt.famil. lib.6.* *Aeneid.1.*

Aeneid.7. ptas. Et, Medioq; ex hoste recepit. Et, Relliquias Troia ex ardente receptas. Item recipere non minus politè ab historicis sæpè describitur, uti rem prius bello amissam, receptam dicimus: quale est in Catone Tulliano, Mea opera Fabi Maxime Tarentum recepisti. Certè, inquit ridens, nisi tu amisisses, nunq̃ recepissem.

Aenei.4.7.10. Recidiua, renascentia: ut, Dum Latium Teucri, recidiuaq; Pergama quærunt. tractum est ab arboribus, quæ prioribus sectis pullulant. Ergo recidiuum, quod renascitur ex simili amisso, non minus quàm quod iterum in pristinum modum cadit, aut in uitij crimen recidisse denotamus.

Redditur propriè, quod alieni crediti uidebatur. Vnde suis reddi literæ dicũtur, quas nefas est retinere: & sic spiritum cœlo reddimus moriendo. Cæterùm & reddere, uerbum est sacerdotale: unde reddi exta dicitur, cum polita *Georg.2.* & electa aræ superponuntur: ut, Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Reficere, pro recreare, non uulgare est, sed *Georg.3.* Virgilianum: ut, Saltus reficit iam roscida luna. Vnde refectio corporũ dicenda foret, quæ græcè ἀνάπαυσις, non propriè refectorium, locus ipse pro refectione, quod diuersorium rectius diceretur: & sanè græcorum est aliud κατάλυμα, pro loco ubi reficitur: aliud ἀνάπαυσις, ut dixi, pro refectione.

Georg.3. Refert, prodest: ut, Nec iam mutari pabula refert. ergo producitur prima. Et referre, innouare, cuius prima corripitur, quamuis in prę teritis extendaт̃: ut, Hũc morẽ, hos cursus, atq; *Aeneid.5.* hæc certamina primus Ascanius longam mu-

ris

ris cum cingeret albâ, Rettulit: hoc eſt, inſtaurauit. Eſt & referre, quiddam prius explicare: ut, Ad ſenatum referre, ad conſulem, ad ducẽ: hoc eſt, in conſultationem ferre. Virgilius, Cõtinuò Troiæ ad proceres primumq; parentẽ, Monſtra deûm refero, & quæ ſit ſententia poſco. non enim alicui prius enarrauerat. *Aen.3. ſic, Delectos populi ad proceres, &c.*

Religio, metus, & metus religio: tam à uita, ut quidam arbitrantur, quàm à morte relegata. Hæc autem ferè uulgaris eſt, & ad ſuperſtitionẽ inclinans: ut, Nuda terga flagellare, barbam capillumq; non tondere, & cætera id genus. Quippe alia Dei cœlicolûmq; ueneratio, quæ ex amore potius ſeruiendi, innataq; uolũtate, quã uario metu procedit. Cæterùm conſuetudo mortalium omniũ ferè diuinũ cultũ *in demonſtratione, magis quàm animorũ uoluntate repoſuit: hinc religionem & ceremonias æquè nominauerunt. In qua re non dubium eſt, poëtas populariũ magis morẽ effingere, quàm quòd ipſi de dijs talia opinarẽtur, dum religioſas arbores timerent præ metu cędere. à Græcis enim præcipuè, qui ijdem gentiles appellati, non à noſtris hæ confluxerunt de dijs terreſtribus opiniones, quas religio noſtra deinceps euangelica reparatione compeſcuit. Itaque de religione pro metu Virgilius: ut de cupreſſu, Relligione patrum multos ſeruata per annos. Cui reſpondet illud de lauro: Multosque metu ſeruata per annos. Et Terentius, Nihil mihi eſſe, religio eſt dicere. Nec dubius auctor eſt Statius, ubi ait, Primos in orbe deos fecit timor: ad gentilium deos referens. Quod ſanè à Græcorum uete-

In demonſtratione, pro, in oſtentatione.

Aeneid. 2.

Aeneid. 7.

Heaut. Act. 2. Scen. 1.

ueterum sermone rituq; non dissentit. nam & deos timor est, siue deos dicimus ἀπὸ τ͂ δέους, hoc est, à timore.

Aeneid.3. Res, imperium, potentia: ut, Res Agamemnonias uictriciaq; arma sequutus. &, Postquã res Asię. &, Quo res summa loco. Ita sermo hic cum adiectiuis copulatur, uehementiorem habet dignitatem: ut, Res publica, res imperatoria, militaris, agraria, frumentaria, uxoria, & id genus plurima.

Aeneid.2.

Respondet, aspicit, seu contrà propositũ est. Ex aduerso est: ut, Contrà elata mari respondet Gnosia tellus. Et respondere, consentire: ut, Dictis respondent cætera matris. &, Illa seges demum uotis respondet auari Agricolæ.

Aeneid.6.

Aeneid.1.

Georg.1.

Resultare, respondere, reaudiri, & reclamare: ut, Pulsati colles clamore resultant. Sic insultare: ut, Impulsu, quo maximus intonat æther, Dissultant ripæ.

Aeneid.5.8.

Rescribere, reddere. Terentius, Argentum illud mihi iube denuò rescribi. Et transcribere populum in aliam ditionem assignare: ut, Transcribunt matres urbi, populumq; uolentem Deponunt.

Phorm.

Aeneid.5.

Restituere & alio sanè modo comperitur, quàm quod est pro satisfacere communiter. nam restituitur in iure, quod reuocatur, & imperfectum remanet: unde ferunt rem in integrũ restitutam. Nec minus politè & eleganter dicitur, Domus lapsa uel euersa, cõbustáue, & statua potissimum loco suo restitui.

Rimari, à suibus tractum, quod est inquirere, quòd non radices tantum, uerumetiã glandes & pomorum ossa, terrarum rimis exquirunt:

runt: ut, Dulcibus in pratis rimantur ſtagna Cayſtri. nam idē eſt de uolucribus piſcatorijs. *Georgic.1. qui uerſus ibi aliter legitur.*

Ringere, os extorquere, uel diſtorquere: unde pro iraſci indignari ue temerè capitur. Terentius, Ille ringit, tu rideas. & ſanè à naris uoce deſcendit, quæ per irriſionem corrugatur. *Phorm. Act.2. Scen.2.*

Rogare, aliquando pro inſtituere. Cicero in Philippicis, Ego belli ciuilis cauſam attuli, ego leges pernicioſas rogaui. dicit autem cum indignatione per ironiam. *Philip.2.*

Rudis, in genere fœminino uirga, qua gladiatores donati à gladiatorio munere ceſſabant. Idem in Philippicis, Tam bonus gladiator rudem tam citò accepiſti. Ac Satyricus, Accepta rude cepiſſet Veiento uideri. ergo ubique corripitur. *Philip.2.*

Rubigo, ferri & frugum uitiatarum. Virgilius, Vt mala culmos Eſſet rubigo. pro comederet, hoc eſt, abſumeret. *Georg.2.*

Ruit, extollit: ut, Ruit atram Ad cœlum picea craſſus caligine nubem. Item, Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox. *Georg.2. Aeneid.2.*

DE VOCABVLIS AB LItera S. Pars XLVIII.

SAcer & * in profanis, uti uenerabilis uel quaſi uerè ſacer. Virgilius de Lucifero, Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſoluit. Et in medio ſacri tripodes, qui ad militares ludos, non ſacrificia erant expoſiti. Item ſacer, execrabilis: ut, Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram. non hoc loco in- *ſorte, non pro phanus. Aeneid.8. Aeneid.5. Georg.2.*

noxiæ contemptum beſtiæ, non ſacrificij uenerationem dixit.

Sandalium, non ut quidam tenuiſsimum ſericæ telæ genus arbitrantur, ſed calceamenti genus, quo contemptius de Thraſone milite diceretur: Vtinam tibi commitigari uideã ſandalio caput. *Terent. Eunu.*

Aeneid. 1. et 4. Sanguis pro genere: ut, Nympharum ſanguinis una. Et, Genus alto à ſanguine Teucri.

Aeneid. 2. Salus, remedium: ut, Vna ſalus uictis, nullã ſperare ſalutem.

Aeneid. 12. Salutare, uenerari: ut, Tum uerò augurium Rutuli clamore ſalutant. Et ſalutare, nominare, appellare, idque non ſine ueneratione. Quo ſermone hiſtorici ſæpè utũtur, cum nouus rex uel imperator ſalutatur, qui prius non eſſet.

Scelerare, polluere, ſed eſt Plautinũ, uel certè poëticum: ut, Parce pias ſcelerare manus. *Aeneid. 3.*

Seco, duco, unde philoſophorum ſectæ, id eſt ductus. Seco, teneo: ut, Ille uiam ſecat ad naues. ex quo ſectas dici quibuſdam placet, à tenendo uel pertinacia: ſed producitur primum, hoc uerò corripitur. *Aeneid. 6.*

Securus, contemnens, uel contemptor: ut, Securus amorũ germanæ. quod hoc loco magis eſt, quàm ſeorſum à cura eſſe. *Aeneid. 1.*

Secundus, obſequẽs. ſermo tractus à ſeruis ſequentibus & pediſſequis: ut, Curruq; uolãs dat lora ſecundo. & de fortuna ſecunda ſæpè à poëta. *Aeneid. 1.*

Aeneid. 8. Sequax, contrà eſt perſequutor: ut, Flãmisq; ſequacibus iras.

Aeneid. 1. Seceſſus, ſinus eſt ſecretus: ut, Eſt in ſeceſſu longo locus.

Sede-

Sedere, apud antiquos considerare, curare: ut, Celsa sedet Æolus arce. non enim ociari, sed curare significat. itē sedere, stare, cōsilium capere: ut Plautus de quodā seruo, Sine, ad aram sedeo, & dabo meliora consilia, &c. Secundum augures est augurari. nam & sedere aues dicuntur in arbore & tecto, licet pedibus stantes. Et sedere, fixum in animo esse. Virgilius: Et sedet hoc animo. quod etiam per compositionem augetur: ut, Insedit animum meum penitus ista sententia. Sedet & homo more solito, cæteraq; animalia cum quiescunt nisi dormiant, sedere dicuntur. Itidem insidere penultima correpta, in insidijs stare. Virgilius, Et syluis insedit iniquis. nunc mediam producit ab insido insidis, non ab insideo insides profectum. Quo patet, sic insessores ac subsessores, ut insidiatores & insidiantes ineptè dici non posse, qui in insidijs subsistunt. Sedet igitur ita grus in terra, ut cornix in arbore, ac Virgilius de fama, quam instar alitis describit, Luce sedet custos, aut summi culmine tecti, Turribus* aut summis. nam de noctua itidem dictum in bustis, quæ & culminibus desertis nocte sedens, serū canit importuna per umbras. Cuius uerbi proprietate auiū quoq; natura percipitur.

Aeneid. 1.

Aeneid. 2.

Aeneid. 11.

Aeneid. 4.

Aut altis, habet poëta.

Aeneid. 12.

Sidere, considere, ut sedere significat: ut, Sedibus optatis gemina super arbore sidunt: de columbis inquit. Vnde subsido & asido. Accidit autem ut à sedeo præterita mutuentur, ut insedi, resedi, assedi: non autem bene dicatur insidi, & reliqua. ergo Salustius cum diceret, Consul postquam assedit: ab asido, non ab ab asideo desumpsit. Vt autem à sedeo,

Aeneid. 6.

In cōiur. Cati.

ſido,conſido & non conſideo.ſic à ſto,ſiſto:ut,
Aeneid.6. Siſte gradum, teq; aſpectu ne ſubtrahe noſtro.
Aeneid.4. Et, Huc ſiſte ſororem : id eſt,fac ſtare gradum, fac ſtare ſororem. Quæ uerba inuicem ſupina mutuantur,ſtatum.ſed nunc de ſtando nō minus diuerſa uideantur.

Stare,pedeſtrem & erectum eſſe,cuius contrarium eſt ſedere: quo patet Phaëtontem in ſolari curru erectum ſtetiſſe,non ſedentem: ut
Met.lib.2. Ouidius,Statque ſuper: quòd ſolis proprium eſt non quieſcere.Stare,fidem ſeruare. Tullius
Lib.1. in Officijs, Facere promiſſa, ſtare conuentis,
Aeneid. 10. 4. reddere depoſita. Stat, fixum eſt: ut, Stat ſua
3.1.2. cuique dies. Stat pro adeſt: ut, Stat ſonipes. Stat,poſitum eſt: ut, Stant manibus aræ. Stat pro eſt:ut,Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.Stat,in propoſito eſt:ut,Stat caſus reno
Aeneid.12. uare omnes.Stat,plenum eſt: ut, Stat puluere
Mœlib. cœlum.Stat,hirſutum eſt: ut,Stant & iuniperi
Aeneid.2. & caſtaneæ hirſutæ.&,Steteruntq; comæ. &, Arrectisq; auribus aſtant: à pecore ſumpſit hir
Aeneid.1. ſuto.Stare,placere:ut, Stabit ſacer hircus ad a-
Georg.2. ram.nam tunc placere dicitur ſacrificium,cum hoſtia patiens accederet.

Aeneid.9. Statuere,firmare: ut,Statuam ante aras aurata fronde iuuencum.

Statio autem à portu hoc differt: nam in ſtatione ad tempus ſtant naues: in portu uerò etiam hyemant.Item,ſtatio,cuſtodia eſt noctur
Aeneid.9. na diurnáue: ut, Statione relicta Ipſe comes Niſo graditur.

Aeneid.3. Stipat,denſat:ut,Stipatque carinis Ingens argentum.

Mœri. Stringere,amputare eſt:ut,Denſas agricolæ ſtringunt

ſtringũt frondes.&,Fragili *cum ſtringeret or dea culmo. Quod ad uulnerationem aliquando poëta tranſponit:* ut,Partem etiam Turni de corpore ſtrinxit.Stringere,percutere,cõcutere,quod ad mentem pertinet: ut, Animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.Nec improbaue rim ſtrictum nudũ eſſe:quale dicitur, Alij ſtrictis mucronibus imas Obſedere fores. &, Stat ferri acies mucrone coruſco Stricta, parata neci.Sed id quoq; à communi uſu ſtringendi non diſſentit, ut ſciamus cum uulgari quoque ſermone quædam literata cõuenire. nam ideo ſtrictos enſes, manu ſcilicet apprehenſos & euaginatos,ad necem paratos, demonſtramus.

Georgic. 1. ubi pro cum, legitur, iam.

Aeneid. 10. ubi ſic uerſus hic legitur: Tandẽ *etiam magno ſtrinxit de corpore Turni.*

Aeneid. 9.

Aeneid. 2.

Stagnum etiam profundum maris:ut, Imis ſtagna refuſa uadis. *Aeneid. 1.*

Serus,grauis:ut Seraque terrifici cecinerunt omnia uates.Et Saluſtius,Serum bellum in anguſtijs futurum : id eſt, graue. Serus pro magno: ut, Ille etiã ſeras in uerſũ diſtulit ulmos. *Aeneid. 5.* *Georg. 2.*

Seruo,pro incolo,obtineo:ut,Centum quæ ſyluas,centum quæ flumina ſeruant.&, Seruãtem ripas (de colubro ſcilicet) alta nõ uidit in herba.Seruo,cuſtodio:ut, Longè ſeruet ueſtigia coniunx.primum enim de loco certo, hoc autem de cuiuslibet loci mutatione. nam obſeruo, ut in ſua litera dictum, magis intendit, callidè cuſtodire uel aduertere ſignificans. *Georg. 4.* *eodem.* *Aeneid. 2.*

Sæuus,magnus : cuius epitheti ſignificatione ſæpè Virgilius utitur in magnis, uel dijs, uel hominibus : ut, Maternis ſæuus in armis Æneas. *Aeneid. 12.*

Sidus,ſicut ἀστὴρ græcè, & unica ſtella eſt &

constellatio, cuiusmodi ἄστρον quoque à græcis dicitur: hinc Virgilius, Astrũ, quo segetes gauderent frugibus. Sidera igitur, ex quibus signa sunt cœlestia: hinc Cicero de Natura deorum, Nam cum duo sunt genera siderum, quorum alterum spacijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum unquam cursus sui uestigium inflectit: alterum autem continuans *conuersiones suas, ijsdem spacijs cursibusq; conficit.

In Marri.

Lib. 2. Conuersiones duas legitur.

Sylua, nõ solum arborum, uerumetiam herbarum: ut, Subit aspera sylua, Lappæque tribulique.

Georg. 1.

Siliquæ, omnium frumentorum leguminumq; folliculi: quale est, Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset. in quibus satis de aristis intelligitur.

Georg. 1.

Sinistrum, neutraliter positum, quidam prosperum esse uoluerunt: à sinendo dictum, eo quòd nos aliquid agere sinat, uel hortatur ad faciendum. Sed illud idem arbitror pro læuo ueteres accepisse, si sit datum desuper. nam nobis lęuum est, quod à superis dextra parte portenditur, uti superius in L. litera posuimus: ergo & sinistrum pro eo pariter, quod nos facere desinamus. Sinister certè ut aduersus contrariusque semper ponitur, quod Satyricus probat: ut, Dijs ille aduersis genitus, fatoque sinistro.

Solus, est non familiaris, & quasi syluanus: uti solitarium sæpè locum dicimus, fertilem tamen, ut arborum herbarumq;. quale est, *Ipse sinu portãs prę se iuga longa subibat Solorum

Aeneid. 11. ubi præ se portãs: & pro subibat, petebat, legitur.

rum nemorum: non tamen incultorum, siue desertorum penitus. nam à pecorum pabulo dicta sunt græcè nemora. Vnde & Terétium in Andria dixisse creditur, Venit alicunde meditatus ex solo loco: sicut ex rure. Solum uerò pro deserto: ut, Heu malè tum Libyæ solis erratur in agris. Et, Solo in littore secũ. quæ quidem loca inculta penitus existimãtur. Solum etiã dicitur, quod unicuiq; rei subiacet: ut solum aër auium, & solum mare natantium. unde dictum, Subtrahiturq́; solum: cum de nauigantibus loqueretur, non autem de terra: quale est, Terræq́; urbesq́; recedunt. Georg. 3. Georg. 4. Aeneid. 5. Aeneid. 3.

Solium, propriè cathedra est, ex uno facta ligno, hoc est non sutili, sed integro: ut cõtrà de cymba Acherontis, Gemit sub pondere cymba Sutilis: cum tamẽ & cymbas in scapharum morem insutiles uideamus ex uno cauato ligno, aut caua Indica nauigantes. Solium autẽ, in quo reges antiqui sederent uel concionarẽtur, ad tutelam corporis dictum, quasi solidum: ideoque abusiuè sæpè pro regia sella suscipitur. ut, Septa armis solioq́; altè subnixa resedit. quod opulentissimæ reginæ delicijsque Carthaginensibus non conueniret: ut, Aulæis iam se regina superbis, Aurea composuit sponda. Aeneid. 6. Aeneid. 1. Aeneid. 1.

Sonorus, pro grauissimo, epitheton est tempestatis: ut, Tempestatesq́; sonoras. Aeneid. 1.

Sublegere, furtim aliquid excipere: ut, Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper. In Mœri.

Subigit, impellit, urget: ut, Ipse ratem conto subegit. &, Subigitq́; fateri. Subigere, acuere: ut, Subiguntque in cote secures. Et terra Aeneid. 6. Aeneid. 7.

subigi

ſubigi dicitur, unde & ipſa ſubacta, cum ſemẽ accepit, perinde ac uirili compreſſu mulier grauida facta.

Adelph.act.5. Scen.4. Subducere, computare. Terentius, Nunquã ita quiſquam bene ſubducta ratione ad uitam fuit: id eſt, cõputata. Subducere, in terrã deducere: ut, Quaſſatã uẽtis liceat ſubducere claſsẽ.

Aeneid.1. Sudum, non à ſudore, ſed quaſi ſemiudum. *Georg.4.* Serenum uer eſt poſt pluuias: ut, Ergo ubi uer *Aeneid.8.* nactæ ſudum. &, Arma inter nubem cœli in regione ſerena, Per ſudum rutilare uident. ſudũ ſine udo, hoc eſt ſiccum, non humidum.

Aeneid.11. Suffuſi, equi dicuntur, qui uulgò ceſpitantes appellantur: ut, Quorum alter habenas Suffuſo reuolutus equo dum colligit.

Georg.3. Sufficere, ſubminiſtrare, ſubſtituere: ut, Generando ſuffice prolem. quo ſermone frequenter utuntur hiſtorici in magiſtratuum ſuffectione, cum alius ſuccedit. idem ferè ſubſortitus, qui alicuius occupati fungitur officio, ex quo ſubſortitores iudices appellati. Suffire uerò nõ ut ſufficere, ſed ut ſuffumigare: quale eſt, Aut *Georg.4.* ſuffire thymo. ad apes ſcilicet refertur.

Aeneid.2. Succeſſus, felicitas. nam in malis non ſuccedi͏tur, ſed bonis: ut: Atq; hic ſucceſſu exultans animiſq; Corœbus. In malis dicitur prolabi, unde caſus, ad infelicitatem ſpectans.

Aeneid.2. Superare, ſuperuiuere: ut, Superet coniunx- *Georg.2.* ne Creuſa. Et ſuperare, ſuperfuſum eſſe: ut, Superat folijs oleaſter amaris. Supereſt, conſe- *Georg.3.* quens eſt: ut, Superat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges.

Georg.2. Sulcus, foſſa: ut, Auſim uel tenui uitem dimittere ſulco.

Super-

Superbum, etiam ueteres pro cruci affixo, quidam & pro mortuo uoluere. Sanè quale Mercurius apud Plautum comminatur in Sosiæ perniciem, intelligendum est. Et superbus, nobilis, magnificus: ut, Hinc populum latè regem belloq; superbum. Nec pudet insignes heroas, ut Herculem Achillemúe, superbos appellari. *Amphyt.* *Aeneid.1.*

Suspicere, mirari: ut, Fastigia suspicit urbis. quod non est sursum aspicere. Æneas enim ex alto magis in imum despiciebat. nam legitur: Iamq; ascendebant collem, qui plurimus urbi Imminet, aduersasque aspectat desuper arces. & illico, Miratur molem Æneas, magalia quõdam. quod idem ferè contingit uti Florentiã, & cæteras id genus urbes, per montes procul adeuntibus. *Aeneid.1.*

Summa pręceptorum rerumq; collectio: ut, Nauiget, hæc summa est. Idẽ ferè, Quo res summa loco. Sanè differt hoc substantiuum ab epitheto: ut, Summis stantem pro turribus Idam. *Aeneid.4.* *Aeneid.2.* *Aeneid.2.*

Scitus à scio. Tullius, Scitum est illud Catonis. Cæterùm & pulcher elegansque significatur à Terentio: ut, scitum puerum natum è Pamphilo, qui per infantiam nihil scire potuerit. *De Amic.* *In Andr.*

Scrupus, & scrupulus, lapillus, qui pede calcatus nocet. ergo scrupeum, asperum: ut, Spelunca alta fuit uastoq; immanis hiatu Scrupea. *Aeneid.6.*

Spargere, miscere: ut, Spargens humida mella, soporiferumque papauer. non quòd humi proijceret, quale est, Spargite humum folijs: quod est terram implere. *Georg.4.* *Daph.*

Spectare,

Lib.5. Spectare,probare:ut Cicerò in Tusculanis, Non igitur ex singulis uocibus philosophi spe ctandi sunt.ergo spectatus,ptobatus:ut, Vidi
Georg.1. lecta diu,& multo spectata labore, Degenerare tamen.

Specimen,pro argumento & documẽto:ut,
Georg.2. Tale dedit specimen.

In Andria. Spernere,fastidire.Terent. Tot modis spretus,contemptus,facta,transacta omnia.Quòd si spernere semper foret cõtemnere, non simul iuncta uideretis.

Spiramẽtum,exitus:ut,Certatim tenuia ce-
Georg.4. ra Spiramenta linunt.Aut certè foramina, per quæ uentus spiret,apibus contrarius.

Spicus & spica, folliculus aristæ frumenti: unde uerbum est inspicare inGeorgicis,in mo
Georg.1. dum spiculi.

Aeneid.2. Squalens,sordidus:ut,Squalentem barbam Hectoris.nam subdidit, Concretos sanguine crines.Squalens,splendidus:quale est, Squalẽ tiaq; arma.utrunq; à squalore, fulgore scilicet, & munditie. nam idcirco squamæ piscium,serpentium,& thoracis,uel loricę &armo
Aeneid.11. rum in equis,à splendendo:ut, Thoraca indu-
Aeneid.9. tus, ahenis Horrebat squamis.&, Quam nec duo taurea terga, Nec duplici squama lorica fidelis,&c.quo satis apparet, thoracem loricã ue eodem sensu accipi solitum ab antiquis.Itẽ,
Aeneid.11. Spumantemq; agitabat equum, quem pellis ahenis In plumam squamis, auro conserta, tegebat.

Stricturæ,crustę sunt ferri in massam coacti:
Aeneid.8. ut,Stridun tq; cauernis Stricturę chalybum.& à stringo dictæ,quæ sunt cæsæ prius,& amputatæ

tatæ ex ijſdem, quæ fiunt armamẽtis, cum forcipibus circumdantur à fabris, quæ ſic dicũtur fieri ſolidiores.

Studere, placere. Saluſtius: Neq; ſtudere, neque odiſſe.

DE VOCABVLIS AB LITEra T. Pars XLIX.

TAbulata, etiam rami ſunt effuſiores, per quos uites aſſurgunt. Virgilius: Summas que ſequi tabulata per ulmos. Tabularia, in quibus acta publica continẽtur, quæ ſcribæ uel tabularij ſcriptitant: ut, Nec ferrea iura, Inſanumq; forum, aut populi tabularia uidit. *Georg.2.* *Georg.2.*

Taberna, generalis appellatio omniũ in urbe domiciliorum, ubi uẽditur & emitur, ex eo dicta quòd claudatur. de quibus ſæpè Liuius, Clauſæ tabernæ, iuſticium indictũ. & inde tabernacula dicta.

Tactus, afflatus, leuiter fulminatus: ut, De cœlo tactas memini prędicere quercus. Et Tullius, Tactus ille eſt, qui hanc urbem condidit Romulus. nam fulminis eſt afflare, urere, ſcindere. Sed in prima ſignificatione frequentius, elegantiusq; ab auctoribus memoratur, cum tactum quid è cœlo dicunt. *Tityro.* *in Catil.3.*

Tardus, ſtultus, rudis: ut, Tardi uenere ſubulci. ſiquidem porcorum eſt ad ſtabulationẽ ante alium gregem reuerti. Cæterùm teſtis eſt Terentius: Tardus eſt, ſtultus, iners. *In Gallo.* *Eunuc. Act.4. Scen.9. aliter.*

Tempeſtas, uentus, pluuia, tempus qualecunq;: ut, Tempeſtateſq; ſonoras. &, Atra ceu tempeſtates que columbæ. nam & alibi dixit, *Aeneid.1.* *Aeneid.2.*

Vnde

Aene.9. Vnde hæc tam clara repentè Tempestas? Et Salustius, Fuere ea tempestate, qui dicerent, &c.

Tenere, scire, intelligere. Cicero de Oratore: Hæc ego ita teneo, uti qui docent. Et Terētius, Nam Andriæ illi erat nomen. cui subdidit Sosia, Teneo: id est, intelligo. Tenere, possidere. nam in usu frequētiori est manu tenere: ut, In medio mihi Cęsar erit, templumq; tenebit. Tenere, defendere, militare uerbum: ut, Stabat pro templo, & capitolia celsa tenebat: hoc est, defendebat. Quo in loco nostri Manu, & quidem superfluè addiderunt: ut, Manu tenere, quasi defensare. Tenere, implere: ut, Iuuat euasisse tot urbes Argolicas, medioq; fugam tenuisse per hostes. Et in tertio, Ni teneant cursus: id est, impleant. Tenor, est continuatio: ut, Aliumúe habuisse tenorem.

Lib.1. Georg.3. Aeneid.8. Aeneid.3.

Tendere, tentoria habere: ut, Hic sæuus tendebat Achilles. quod in præterito habet tetendi. idemq; compositum: ut, Cæsar magnis itineribus contendit. Et contendere, urgere, postulare, infestare, insequi, contendere, disquirere, disputare, altercari.

Aeneid.2.

Aeneid.2. Tento, adgredior: ut, Extemplò tentāda fuga canit æquora Calchas. &, Quę tentare Thetim ratibus, &c.

Pollione.

Terra, elementum: tellus, dea poëticè. terræ uerò nomine aliquæ significantur: Tonitru tremiscunt, Ardua terrarum & campi.

Aeneid.5.

Tergiuersari, deliberare, dubitando tempus terere. Cicero pro Planco, Quid taces? quid dissimulas? quid tergiuersaris? Terere igitur, consumere tēpus frustra, ut conterere: ut, Qua spe Libycis terris ocia teris?

Aeneid.4.

Tergum,

Tergum, corium seu lorum, ex corio multiplici factum: ut, Tergum Getuli immane leonis. &, Taurino quantum possent circundare tergo. *Aeneid.5.* *Aeneid.1.*

Testudo quoq; clypeorum cōnectio, in modum scilicet testudinis tectum habens: ut, *Facta testudine Volsci. Inde etiam dicta est machina militaris, qua ueluti ferreis cornib. mœnia concutiunt: & cuniculus dictus, quo eadem subterraneo itinere peruia faciunt: & ala equestris cohortis à fouendo, sicut fœtibus suis incubat auis. Ad hoc testudo, camera, & maximè templi, quòd fornice testudinea fieri soleret. *Aeneid.9.* *acta pariter habet poëta.*

Testor, iuro: ut. Vos æterni ignes, & nō uiolabile uestrum Testor numen, ait. quod certè aliud est quàm testificari. *Aeneid.2.*

Tingere, demergere: ut, Quid tantū oceano properent se mergere (uel tingere) soles Hyberni. Cuius & illud est simile: * Iam flumine Phœbus Hibero Tingat equos. *Georg.2.* *Aeneid.1.* *Iam gurgite.* *Aeneid.11.*

Tollo, finio, remoueo: ut, Tollite cuncta, inquit. Et tollere, alere, educare. Terentius in Andria: Quicquid peperisset, decreuerūt tollere. Et in Hecyra, Puerum ut tollam. *Aeneid.8.*

Tonsus, cæsus, minutus: ut, Ipse caput tonsæ folijs euinctus oliuæ. &, Tonsisque ferunt mantilia uillis. à tondeo utrunq;. Tunsus uerò à tundo, non cum o, sed cum u, quod in o etiam sæpè uertitur, ut tondendo, quod est pro tundendo: ut, Luctantur marmore tonsæ. *Aeneid.5.* *Aeneid.1.* *Aeneid.7.*

Toruus, terribilis: ut, Torua leæna lupum sequitur. *In Alex. Virg.*

Torquere, cum impetu lacerare: ut, Soliti

Aeneid.7. torquere cateias. Aliquando pro torquere iaculum:uelut,Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.Et torquere,sustinere:ut, Axem humero torquet stellis ardẽtibus aptum. nec minus politum,quod in usu est oratorio. Aliquãdo pro trahere. Vergilius, Torquetq; sonãtia saxa. Torquere,celeri gyro rotare est. Vergil. Ast illum ter fluctus ibidem Torquet agens circum.

Aeneid.4. *Aeneid.6.* *Aeneid.1.*

Aeneid.4. Torreo,uro,unde tostus:ut, Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos.

Georg.3. Torus etiam pulpa; sed non cum aspiratione:ut,Luxuriatq; toris animosum pectus.

Aeneid.2. Trahere,cum festinatione adducere:ut, Pastores magno ad regem clamore trahebant. Trahere, cum labore & cum angustia uiuere: ut,uitam trahere.cui & illud consonat: Vitamque extrema per omnia duco. non est improprium.

Aeneid.3.

Georg.1. Tractus,plaga,regio, non epitheton. Tractim,iugiter,sine intermissione:ut, Tractimq; susurrant.Sunt & trahæ,genus rustici uehiculi,& piscatorij retis.

Aeneid.4. Trãsmittere,celeriter transire:ut,Alia de parte patentes,Trãsmittunt cursu campos:de ceruis dictum, quem locum Seruius increpat, Africa ceruos non alente : sed Virgilius tanquam pictor, in pariete tamen, ceruos apposuit.

Macrob.Satu. lib.3.cap.7. Transenna,pro fenestra.Salustius: Sedenti in transenna coronam imponebat. Cato in libro de Originibus, Vno in loco quasi per transennam prætereuntes aspeximus. Et transenna,laqueus & funiculus.PlautusBach.E transenna

ſenna hic turdus lumbricum petit.

Trabea, toga augurum & regum, qualem Latinus oſtendit:ut, Regni trabeamq́ue inſignia noſtri. *Aeneid.11.*

Tranſcribere, in aliam ditionẽ reſignare:ut, Et tua Dardanijs trãſcribi ſceptra colonis. &, Tranſcribunt matres urbi, populumq́ue uolentem. hunc ſermonem de pecunia traxerunt. *Aeneid.7.* *Aeneid.5.*

Trepidus, pauidus: ut, Continuoq́ue animos uulgi * nec trepidantia bello Corda. Et trepidare, feſtinare, ut ſuperius dictum in litera P. Præcipitate uiri. &, Dum trepidant alæ, ſaltusq́ue indagine cingunt. Et ſic trepidus, feſtinus: ut, Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt. Et trepidare, contremiſcere, palpitare. Ouidius in Metamorphoſi, Sentit adhuc trepidare nouo ſub cortice pectus. *Georg.4. ubi & trepidãtia, pro nec habet.* *Aeneid.3.*

Triſtis, amarus:ut, Triſtisq́ue lupini. Eſt enim genus amari leguminis, quod tamen dulcis aquæ ſedula confectione fit eſculentum. Triſtis, auſterus, ſicut cuiuslibet ſaporis non dulcis, ut poëta ait, Media fert triſtes ſuccos. Et triſtis, nocens:ut, Triſte lupus ſtabulis. Et triſtis, ſeuerus, grauis:ut, Triſtisq; ſenectus. hoc ad animi languorem, id eſt triſtitiam communem, poëta retulit. At illud Terentij de Critone ſupplebit exemplum, Triſtis in eo ſeueritas:id eſt, grauis. *Georg.1.* *Georg.2.* *Palæm.* *Aeneid.6.*

Tumulus, quælibet terra tumens: ut agger & tumulus ob id ſepultura.

Turpis, magnus:ut, Cui turpe caput. &, Turpes paſcit ſub gurgite Phocas. *Georg.3.* *Georg.4.*

Turba, multitudo hominum uel pecorum.

Aeneid.1. Virgilius dixit de ceruorum agmine, Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam. Et turba, turbatio: cuiuſmodi Terentius, Si quicquam hic turbæ feceris.

Turbo, turbinis, uentorum uolubilitas: ut, Aeneid.1. Terrasq; turbine perflant.

DE VOCABVLIS AB LITE-
ra V. Pars L.

VAccinia hyacinthi, quos purpurei ſeu ferruginei coloris eſſe conſtat: licet Virgilius nigra dixerit. ut, Sunt, & uac- In Gallo. cinia nigra. Nam præter album, ueteres omnẽ colorem nigrum appellauerunt: Roſam itidem nigrã, quæ ſit purpurei coloris. Ac Homerus ſanguinem Menelai cum flueret, nigrũ deſcribit, quem mox in phœnicei coloris comparatione monſtrauit: ut rurſus mare purpureum appellant, quod nigri potius cæruleiue coloris exiſtit.

Vber, pro fœcunditate: ut, Terra potens ar- Aeneid.1. mis, atq; ubere glebæ.

Vdus, humidus, unde modò ſudũ diximus, Georg.3. quaſi ſub udo, id eſt ſerenum: ut, Nigra ſubeſt udo tantum, cui lingua palato.

Vligo, aliud quã fulligo, ſeu quaſi fuligo, naturalis eſt humor terræ: unde ager uliginoſus, Georg.2. id eſt humidus, & ſic fœcundior: ut, Dulciq; uligine læta. Fuligo autẽ magis eſt ſqualor quidam, rebus adhærens, quas ſæpè manus tangendo uel fumus, uel puluis labefactat: ut Iuuenalis, Et hœreret nigro fuligo Maroni.

Aeneid.2. Velare, coronare: ut, Delubra deûm miſeri, quibus

quibus ultimus esset Ille dies, festa uelamus frōde per urbem. &, Victori uelatum auro, uittisq; iuuencum. *Aeneid.5.*

Vector & qui uehit, & uehitur, Lucanus ostendit: ut de nauicula, Vectoris patiens, tumidum supernatas amnem. Et idem, Sola caussa timoris, Vectorem non nosse suum.

Venire, crescere, surgere: ut, Hic segetes, illic ueniunt felicius uuæ. Gratior & pulchro ueniens è corpore uirtus. *Georg.1.* *Aeneid.5.*

Venenum, ut in litera L de lacte dictum, pro colore aliquando est: ut,* Tyrio fuscatur lana ueneno. Ideoq; suis locis, sicut pharmacū aut medicamentum, succus, uirus, noxia, salutaria ũe dignoscuntur. *Georg.2. ubi Alba nec Assyrio, &c.*

Venia, beneficiū: ut, Hortatur pater ire mari, ueniamq; precari. Et uenia pro pace: ut, Cuncti nam lectis nauibus ibant, Orantes ueniam. Et pro indulgentia: ut Terentius, Da pater ueniam: id est, parce, condona. *Aeneid.3.&1.*

Vergere uel inuergere, uerbum sacrificale gentilium, ad libationem pertinens, cum uina pateris inuersa sparguntur manu: ut, Frontique inuergit uina sacerdos. *Aeneid.6.*

Veternus, morbus intercus. ergo uetus, uietus, ueternosus senex comicè, & illius morbi patiens. Virgilius, Nec torpere graui passus sua regna ueterno. *Eunucho.* *Georg.1.*

Ver, nouum anni initium: primo enim mense dicitur uer nouum, scilicet Martio, secundo adultum, tertio præcipitatum. idem de æstate, autumno, hyeme. Qua quidem comparatione solstitiales annos cum tropicis computamus. Sunt enim duo solstitiales, & duo tropi-

ci,per transuersum duodecim signorum. Sed Hispani totam etiam æstatem cum autumno, uernale tempus appellát peculiari quodá modo & gentilicio.

Aeneid.10. Versare,considerare:ut, Secum uersat quos ducere contrà. Nec minus politè, uersare sæpè

Aeneid.8. uoluere:frequentatiuum à uerto: ut, Versantque tenaci forcipe massam.

Verrere,trahere:unde uerriculum,rete magnum piscatorium,aucupatoriumúe,quod ad

Aeneid.1. lunam per stipulas uerrunt:ut ,Quippe ferant rapidi secum,uerrantq; per auras. Aliàs quidē uerriculum est quotidianum tergendę domus instrumentum.

Georg.2. Versus,ordo uel numerus:ut,Ille etiam se-

Aeneid.8. rás in uersum distulit ulmos.Et alibi idem cō-

Aeneid.5. sonat,Brachia tollunt In numerum.&, Triplici quam pubes Dardana uersu Impellunt. Hic Gualengus senior: iampridem de Virgilij copia mirabundus ac lętus:Videris mihi,inquit, ô Guarine,totus in Virgiliana peritia consistere, aliorum paucissima exempla commemorans.Idē enim sæpè dicis,& fortè nō memineris te eundem sæpè uersum adducere. nam & alios &hos uersus citasti,Cum quid serū esset, hoc est magnum : & de ordine nobis ostenderes,modò etiam de uersando & uersu. Cui Veronensis:Igitur etiam atq; etiam aduertere licet,hunc omnibus auctoribus in uocabulorū aptitudine longè copiosiorem & disertiorem existimandum,cuius tanta sit in eloquendo facilitas,ut idem carmē duobus aut pluribus sæpè exemplis accommodetur.sed ne meum turbetis ordinem,iam finis adest.

Verbena,

Verbena, quælibet herba, sumpta de loco sacro, de qua sæpè historici in sacrorum commemoratione. Sæpè etiã & ipse Virgilius, Et uerbena tẽpora uincti. Et, Verbenasq; adole pingues. Terentius, Sume hinc ex ara uerbenas, quæ alterius etiam generis herbæ esse potest, quæ ab longo caule frondentes uerbenæ uulgò nominantur. *Aeneid.12.* *Pharm.*

Vescus, epitheton rei esculentæ, præcipuè minutæ: ut, Vescumq; papauer. *Georg.3.*

Vesta, ignis, terra, religio, sed præcipuè ignis, sine quo nullum ferè sacrificium: de quo sæpè Virgilius. Vestis, barba: ut, Aurea cæsaries ollis atq; aurea uestis. unde inuestes mulieres, id est imberbes. Idẽ & in uerbo significat: *ut, Tum mihi prima nouo uestibat flore iuuentus. *Aened.8.* *Aeneid.8. ubi pro nouo, genas: & pro iuuentus, iuuenta legitur.*

Viburnum, omne uirgultum breuissimum: ut, Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Victor, propositi & uoti cõpos: ut, Qua me quoq; possim Tollere humo, uictorq; uirûm uolitare per ora. *In Tityro Virgilius.* *Georg.3.*

Virgo, iuuẽcula, & omnis mulier quæ sit uiridioris ætatis, & adolescens, etiamsi peperisset liberos: unde & matres matronæq; stupratæ, sępè uirgines appellãtur. nam de Pasiphaë legitur, *Heu uirgo infelix, quæ te dementia cepit: cũ de adulterio insuper accusaretur. & Terentius de Philumena uitiata per Chęream. *Sileno, ubi Ah pro Heu legitur.* Virago, mulier uirilis ingenij uel roboris: ut, *Belli metuenda uirago. *Certè, Iuturna uirago legitur Aeneid.12.*

Virosus, à uiru, non uiro, uel uiribus, homo est uenenatus: ut, Virosaque pontus: epitheton est. *Georg.1.*

Viſcera,non inteſtina tantum,ſed quicquid
Aen.1. etiam ſub corio latet:ut,Viſcera nudant.quod
pro excoriatione ſuſcipitur. Et hoc uiſcus uiſceris, dicitur ipſa caro : uiſcum uiſci, ad aucupium.

Aeneid.1. Viuus, naturalis : ut, Viuoque ſedilia ſaxo. nam idcirco uiui lapides uulgò dicuntur ad laterum differentiam, quos artificioſe conficimus.

Vilis,epitheton,unde uilitas plurimũ abun
Georg.1. dans:ut,Vilemq; faſellum. cuius contrariũ eſt carus,ut caritas à carendo:ideoque uile exiſtimant,ac uilis conditionis hominem, quod populare ſit atq; uulgare.

Georg.2. Via,ratio:ut,Sunt alij,quos ipſe uia ſibi reperit uſus.

Vinitor,non à uino, ſed uineis, ſicut uinea-
In Gallo. rum cultor uel cuſtos magis propriè: ut,Maturæ uinitor uuæ.nec enim ad aliud officium rectius ac frequentius adhibetur.

Violaria non à ui,ſed uiolis,ſicut roſaria, po
Georg.4. maria,& eiuſmodi:ut,Irriguumq; bibant uiolaria fontem.

Vnguen unguinis, omnis fructus ſiue ſuccus ad unctionem uel glutinationē idoneus, ſicut de ueneno,pharmaco,lacte, ſępè dictum:
Georg.3. ut,Idæasq; pices, & pingues unguine ceras. Inuenitur præterea & hoc pingue, huius pinguis,non epitheton. Porrò quæ unguenta antiqui,uel odores,nos fumificationes,uel irrorationes, aut ſparſiones appellamus. nam ex
Satyr.2. herbarum florumq; decoctione ſtillatitia eius generis unguēta conficiuntur. de quibus Iuuenalis,Hirſuto* ſudant opobalſama collo. Et à

*ſpirant,non ſudant.

Vir-

Virgilio ſæpè de unguētis ſiue odoribus mentio fit: ut Georg.4. Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffudit odorem.

Vnus, non ſolus tantum, ſed præcipuus, inſignis, nobilis, clarus: ut, Iuſtiſsimus unus, Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſsimus æqui. *Aeneid.2.*

Volutabra, non inſtrumenta domeſtica, ruſticalia, à uoluendo: ſed loca cœnoſa, ubi apri prę ſertim uolutantur, ut: Sæpè uolutabris pulſos ſylueſtribus apros. *Georg.3.*

Volare, auibus, hominibusque pariter accommodatur, quemadmodum & alacritas, cū ab alis deriuetur: unde Liuius de Regulo Veientinorum, quem cum uolitantē uidiſſet Cornelius Romanus eques (hoc eſt, ſtrenuè diſcurrentem) interemit. & Virgilius de Pallante, Raptoque uolat telo obuius ipſe. Sed quid mirum, ipſæ quoque haſtæ, non ſagittę ſolum alatæ, & tela forti manu contorta, uolare dicuntur, qui ſermo tam in ſoluta quàm metrica oratione conſpicuus. Volare præterea non ab alis ſolum, uel celeritate dictum, ſed etiam intra uolam aliquid tenere, ut nonnulli eo ſenſu dictum uoluerunt: Prædam pedibus circūuolat uncis. &, Paſcentes illę tantum prodire uolando. Si à uola capiamus, à ueterum augurali ſuperſtitione, ideoque uolema, pyra grandia, quòd manum impleant, dicuntur. *Aeneid.8.* *Aeneid.3.* *Aeneid.6.*

Volucris & uolucre, quodcunque celeritatem indicans: de fluuio namque Virgilius, Volucremque fuga præuertitur Hebrum. Ita minima quoque inſecta uolatilia eadem uolucria ſunt, ut apis, muſca, culex, formicaque pennata: non aues tantum, quod nomen plu- *Aeneid.1.*

mato generi duntaxat apponitur.

Vrere, & de frigore dicitur, & de calore, uti de utroq; Virgilius: Rapidiúe potētia solis Acrior, aut Boreę penetrabile frigus adurat. Nec impolitè Lucanus: Vrebant montana niues.

Georg. 1.

Lib. 4.

Vros, boues syluestres, itidē ab urendo dixere: non quos alio sermone bubalos in Hetruriæ partibus potissimè uidemus, intortis cornibus, atroq; colore: sed inter mōtes Gallicos & Hispaniæ generari. de quibus uris à Marone fit mentio: ut Geórg. 2. Syluestres uri assiduè, capræque sequaces.

Vsus, exercitium: ut de Iapyge Virg. in 12. Vsumq; medendi. & illud in 8. Arma acri facienda uiro, nunc uiribus usus. Quidam pro necessario, sicut opus esse, intellexere. Vsus, fructus, utilitas: ut, Nec minor usus erit.

Georg. 3.

Vua, pro uite: ut, Turpes auibus prædā fert uua racemos.

Georg. 2.

Vxorius, uxori deditus: nam uxoratus, maritus est. Ergo in Æneam, Pulchramque uxorius urbem Extruis.

Aeneid. 4.

DE VOCABVLIS AB LItera Z. *Pars* LI.

ZEphyrus, græcum est, de quo sępè Virgilius & Homerus pro uento quolibet: aliquando sicut Auster accipitur, Latinè Fauonium dixere.

Zetas, secundum Plinium minorem, qui multa de suis scripsit ædificijs, quaslibet partes, quasi zonetas, id est, regiunculas accipimus. nonnulli putant ea fuisse tortuosa transitoria

Alij apud Plinium, Diætas legunt.

toria quædam, uelut occulta domicilia ad literæ z imaginationem, quale Virgilius intelligit: Limen erat, cæcæque fores, & peruius usus Tectorum inter se Priami, postesque relicti. Alij autem partes domus inferiores autumant. nam idem Plinius ad Amianum inquit: Hinc turris erigitur, sub qua * zetæ duę. Quidam existimant loca cum subterlabentibus aquis, sicque cloacarum instar sordibus excipiendis, deseruire. At Hispana lingua zotheas quasdam domus partes nō infimas, sed eminentiores appellant, non minus ad totius oppidi circumspectionem quàm æstiuationem accommodas, easque flexuoso gradu uti testudinea fornice reuolutas ædificāt, fortè ab ipsis zetis Plinianis, uel alio barbarorum more uocabulum trahentes. Cuius auctoris memini & alia super eiusdem ædificijs legisse, à græcis tamen pro maiori parte transumpta, ut diætas, locos in domibus * lætiores, quos legetas, uel saletas uulgus appellat. Apodyterium, pro camera uel conclaui, ubi uestes reponerent ad balnea uel unguenta descendentes, ab exuendo dictum. Stibadium, locum herbidum, ut toros in hortis & arboribus æstiuos. Criptam, porticum subterraneam, forniceumque deambulatorium. Hypodromum, si cum ypsilo, stratam pedibus uiam, quasi cursu dispositam: nam cum duplici p, sine ypsilo, locum ad equorum cursum intelligemus. Sic hypocaustum cum ypsilon, esse hybernaculum cum igne supposito, ad calefaciendum, ut stufam populariter dicunt. sed ea statio cum igne occulto, aper-

Aeneid. 2.

Nunc, diætæ apud Pliniū est.

forte, latiores.

aperto autem pro camino accipi poteſt, cui itidem ignis ſubijcitur.

Xyſtum locum ſecretum perpolitum, fruticibus & oluſculis delectioribus conſitum: ad hoc ſiphunculos, uel clepſydras, aquarum deriuationes irrigationesque, & id uoluptati genus accommodata uocabula. Sed quid à me nunc amplius expectatis, ô ſocij? Videor equidem ſatis antea de homonymorum genere uobis collegiſſe, & fortè alia ſuperant, ſed non æquè Virgilianis exemplis teſtificata: quem poëtam idcirco in ſoluta oratione præceptorem à me inductum non admiremini, quòd ubique ſuis in operibus oratorij muneris, proprietatisque ſcientiſsimum non ignoramus. Tum Ioannes Gualengus ſenior exurgens: Immò ſatis ſuperque, inquit, abs te Guarine, de omnibus memoratū, ut uoluimus. Quin nos nunc potius ad irrigationes meas tam uinarias quàm aquarias, & hortenſes delectationes accedimus.

PRO-

PROLOGVS QVINTI LIBRI, AD PIVM SECVNDVM: IN QVO DE GVARINI

ni Veronensis, eorumq; laudanda diligentia præceptorum, qui ex antiquè scriptis quædam præceptu digniora uocabula in literarum ordinem collegerunt, aliisq; pariter ad idem præceptionis & elocutionis genus iter aperuerunt.

PARS LII.



AXIMO uelut opere cõfecto leuatus sum, Pie pastor altissime: quanq̃ & alia insuper Veronensis summi pręceptoris documenta, & quidem memoratu digna, superfuerunt. neque uerò nescius sum, in tertio quartoq; superioribus libris difficiliorem atque præcipuam literariæ politiæ rationem exoluisse: quam idcirco medio libri uolumine perinde ac certissimam, inexpugnabilemq; grammaticæ possessionis arcē imposui, ualidioribus oratoriæ dignitatis armamẽtis munitissimam: ad quæ, si cætera desint undique subsidia, tanquam ad tutissimum receptaculum confugiamus. Etenim tempestate nostra plerique extitere, qui hoc in eloquendi genere uolumina componerent. Sed cum nõnullos longè à re dissentire uideremus, popu-

lari

lari duntaxat gloriatione contentos, unde nobis potius seu pro erratorum castigatione deplorandum est, seu per sermonum elocutionem magis locupletanda disquirendũ, quàm ab eo tandem peritissimo dicendi magistro, qui non ueterum morem obseruauit, sed docuit, discordare. Sed ex Virgilio potissimum, Cicerone, Terentio, Salustio, totius eloquentię principibus, fidissima ante oculos ponat testimonia. In qua re æquè mihi magnis laudibus extollendi uidentur, & qui ueterum primi elegantissimè scripserunt, & qui eorum scripta diligentissimè colligentes, alijs ad bene dicendum iter magis ac magis aperuerunt. Quapropter maximæ Veronensi gratiæ semper habendæ, cuius ingeniosa sedulitate perfectum est, ut hanc, quam sępè dico, emendatissimam propriè loquendi consuetudinem, unà cum Laurentianis eruditionibus facillimè consequeremur. Agebantur sanè cùm in præsentia ab omnibus doctissimæ cõmendationes, tum postridie magis cum redijsset: quorum Ioannes Gualengus, ut æuo maturior, sic antiquitatis studiosus, adiecit.

Laurentij Vallæ libros elegãtiarum, eum intelligere arbitror.

DE PONDERVM MENSVRArumq; ratione. Pars LIII.

QVandoquidem omnia ueterum monumenta calles, ô Guarine, edoce potissimum, quidnam illæ characterum figuræ significent, quas in Verrinis orationibus sępè ostendimus: huiusmodi HS cum de sestertio Tullius sæpè mentionẽ facit: & quid sestertium

tium ſit, quomodo ſcribi conueniat, cum plurimi per x, quidam per s indifferenter ediderunt: adhoc quidem talentũ, pondo, mina, ſeu libra quoq; unciarũ ſignificationes habeátur. Tum Guarinus hilarior: Nempe hoc, inquit, literarum ſignum, quod ex Verrinis modò protuliſti, ipſum ſeſtertium eſt, ſeu ſeſtertius antiquiſsimè. nam ſeſtertia in plurali numero frequentius inuenias, duarum librarum cum dimidia: uti dipondiũ ſeu dipondius, duorũ uel duûm pondo, ſiue duarũ eſt librarũ: nam & ipſum pondo, as eſt, ſed pondo indeclinabile. Rurſus as, uel ut quidam dicunt, aſsis in recto caſu, ipſa libra eſt duodecim unciarũ: unde aſſipondium, uel aſsipondius idem dicitur, uſq; centuſſem. & cum omnia ponderũ uocabula ad quælibet ponderabilia adhiberi ſoleant, ſolum tamen ſeſtertiũ ad pecuniam pertinebit. Cæterũ, ut ad ſeſtertij characteres redeamus: primæ quidem duæ lineæ ſtantes, ſeu in rectũ primæ productæ, duas ſignificant libras: S aũt litera retrò adhærens, pro eo quod ſemis eſt, uel ſex indicatur, mediam intendens libram. Qua ratione fit, utrouis modo ſeſtertiũ ſcribi poſſe, quod dubitabas. Tranſuerſum uerò deducta linea nihil præter literarũ ſeu characterũ coniunctionẽ oſtendit, uti ſi C uel M, uel fortè geminatas literas, ut C C. M M. aliqua ſuperductione uel tranſuerſione centum, aut bis cẽtum, mille uel millia ſignificabit. Quòd autem pro duabus uncijs & dimidia ęquè accipi poſſit, ratio non extat: quippe quòd à Cicerone ijſdem in locis potiſsimum de ſeſtertijs, non uncijs, mentio feratur: ac quanquã ſemuncia,

quæ

quæ ſemis eſt unciæ, ab eadem litera s incipiat, in ſeſtertij tantum computatione non conuenit, quam ſæpè etiam pro ſemipondio intelligi uoluerunt eadem ratione, ut ſeſtertiū cum ſemis, uel ſex præcedat in relatione, & duo ſequantur pondera, ſiue pondo, quę libræ dicūtur: ut apud Varronē, quamuis poſtremò ſcribatur. Nam ſic antiqui numeros cenſuerunt, ut aliàs dixi, à minori libentius incipientes. Inde eſt ſemitertius, & ſemiquartus, & id genus: quæ ratio iterum perſuadet, hunc ſermonem tam x, niſi euphoniæ modus obſtaret, quàm s ſecundò deſcribendum. ſic ſeſtans ſcribitur cū s, cum quaſi ſextans indicetur, & ſeſtanus eadem ratione: nempe ut pro eo charactere ſex uncias omnino, non ſemiuncias colligamus. Quòd ſi cum s potius ratione prædicta ſcribēdum acceperunt, ab eo tamen quod ſemis eſt, deduci conueniet, quod ſemilibram indicat: uel ſex, non uerò ſemunciam. Ita ſeſtertiū dictum, quòd in eo tertium uel tertius, & ſex uel ſemis, hoc eſt, medium uel medius cōtinetur, cuius character tertio loco ſit poſitus pro tertio pondere, quaſi dicatur ſequens tertium: nō quòd tria præcedant librarum ſigna, ſed ut clarius eloquar, ipſum exiſtēs tertium & ſequēs. nam ſequitur duas libras, quo dempto charactere de linea, pro duabus libris relinquuntur. Has autē quidem intra unam minam, ut nos dicimus, Græci in μνᾶ rectiſsimè iota colligi uoluerunt, ne longius à ſeſtertio differret. Sed eſt ſumma, frequentius ſeſtertium minis duabus cōputari. Ita unius libræ mina fuerit quartę portionis, ſeu aſsis cum quadrante penſata.

Quod

Quod quidem minæ nomē apud uulgares remanſit, heminam tantum dicere uolentes, pro ſemiſtario in frumentaria menſuratione duorum uel duûm quaternariorũ: cuiuſmodi menſurationem apud antiquos pro modio, quaſi medio ſtario acceptam eſſe cenſuerunt, nō cuiuſmodi nos modios multo grandiores habeamus. nam quòd hiſtoriæ memorant, duos modios annulorum ex Cannenſi ſtrage Carthaginem miſſos, unum tantum ſeſtarium fuiſſe cōprehenditur. Tertiò mina, & pondio & dipondio, cum ſua auctione tripondij, quadripondij, & ſimilium, uti modò de aſsipondio dicendum: ſed noſtro more, cum nos tantum maiorem modium faciamus. hactenus de ſeſtertijs & mina. Antequam uerò talenta diſcutiam, placet in primis unciarum & libræ ſeu ponderum fundamenta ſerioſius inquirere. Omittamus an * Sylon quidam Argiuus, an quiuis alius, pondera & menſuras primus excogitarit. Sanè primũ omnium ſiliquę minutiſsimi ponderis nomen apud antiquos reperitur, apud nos autem eſt grani hordeacei aut triticei. Eandem uerò ſiliquam plerique phyſicorum fabā græcam appellauere, ſiue arborum fructus, ſiue leguminis genus, frumentaceo certè grano prȩſtantius. Quòd ſi ex arbore ſit, quam alij ſiliquaſtrum dicunt, unde ipſa ſiliqua, iunipero ſimillima, ſed paulo maior, frugis dulciſsimæ, parē eius glandem, uel os interius eſſe duriſsimum, quemadmodũ ex carice dactylóue proijciunt, quo quidem in ponderibus uterentur. Plinius autem eam fabam grȩcam λωτὸν arborei fœtus autumat, ſic à Græcis appellatā: Dio-

Phidon, Plin. Sidon Eutrop. habet.

Agrifolium nõ legi apud Dioscoridẽ, sed Plinium. nã Dioſco. uidetur paliurum appellare.

ſcorides eandem arborẽ * agrifolium, Arabes neſſem. Ita ſi leguminis uel arboreæ glandis ſit genus, non eſt fabæ Italicæ communis quã titate deterior: ſed hoc multo diſtantius, cũ ſit ab Auicenna duorum obolorum, hoc eſt granorum uiginti quatuor hordeaceorum: à Serapione, optimo inter medicos autore Arabicæ linguæ, duplo magis æſtimatũ. Sed quorſum tot de ſiliquæ ſeu fabæ græcæ quantitate repetita, ut intelligatis penitus antiquorum unciã itidem libram longè noſtra fuiſſe præſtantiorem? cum nos à grano quidem exiguo, ipſi à glande numerum minorem inciperent, ut paulo antè etiam & minæ argumento demonſtratum: quanquam & apud ueteres maiores minoresq; libras fuiſſe percipitur. unde libra libellaq;, & uncia atq; unciola, ab ipſis ſæpè deſcribuntur: tametſi Donatus libellam uelit unciam eſſe duntaxat, quòd libræ ſit particula.

Iuuenal. Sat. 1.

Certè Satyricus unciolã Proculeio, quòd uix unciam miſerandus, cum alter ferè libram accepiſſet. & uidemus adhuc alias alijs maiores libras ciuitatibus noſtris æſtimari. Obolus

In Andria.

inde, ut frequenter legi uideo: & Terentius, Piſciculos obolo emptos. quamuis uel librarij literam mutare potuerunt, uel obolus quaſi obelus dici monſtretur: & quidem obelum apud Græcos oſtenditur nec pro ueru ſolum capi, uerumetiã hac ponderis ratione: & ὀβελίζειν pro eo, quod ſit quempiam minimi facere: unde obeliſcus, tam apud nos quàm ipſos * per antiphraſin. quo patet huius generis pondus inde nominatum, iudicioque meo fabæ græcæ præponendum, ſiquidem duodecim tantum

**Per antiphraſin, quia obeliſcus diminutiuum oboli, ingens ſaxum ſignificat.*

rum granorum extaret, ut illi crediderunt. Cæterùm cum idem obolus à Græcis scrupulus pariter appelletur, ideo nunc succedit, quòd quincupulum magis, hoc est, sex siliquas accipiat. Ac ex eo iam tempore pro siliqua, obolo, drachmaque argentea, monetam computantes, ærea etiam pondiuscula librauerunt, uti nos pariter ab æreis crustulis incipientes, seu tenui bracteola granorum trium uel plurium pondus adimplentes, ad multarum usque librarum, seu ærea pariter seu saxea pondera distribuimus. nam aureum numum regalis luxus excogitauit: unde Philippeos sæpè legimus, ante Romanos, ante Tarquinium Priscũ, & quidem ante Superbum, non apparuisse creditur: à quibus etiam triumphandi usus cœptus, & pecunia aurea, potissimum bigatæ, quadrigatæque notæ, aureæ, argenteæque, uti descripti reges in curru aureo argenteoque triumphantes. Drachma subinde duplum auxit, ab istorum itidem minori quãtitate dissentiens, qua eam granorum octo, & sexaginta duntaxat æstimauerunt. At uetustiores decem & octo siliquis siue scrupulis eam incluserunt. Post hanc * minus, idemque argento conflatus, maior dictus, atque denarius, quòd decem exiguos, & quidem argenteos comprehenderet: & sanè decimam unciæ partem longius excedit. ijdemque denarij dicti, quòd eorum decem maioris precium amplecterentur: atqui non sufficiente semper argento, tum pecunia ex ære mixtim argentoque fieri cœpta: quanquam ut uolunt quidam, & existimant, æream pecuniam prius

numus, legendum puto.

Agrifolium nõ legi apud Dioscoridẽ, sed Plinium. nã Dioſco. uidetur pa liurum appellare.

ſcorides eandem arborẽ * agrifolium, Arabes neſſem. Ita ſi leguminis uel arboreæ glandis ſit genus, non eſt fabæ Italicæ communis quãtitate deterior: ſed hoc multo diſtantius, cũ ſit ab Auicenna duorum obolorum, hoc eſt granorum uiginti quatuor hordeaceorum: à Serapione, optimo inter medicos autore Arabicæ linguæ, duplo magis æſtimatũ. Sed quorſum tot de ſiliquæ ſeu fabæ græcæ quantitate repetita, ut intelligatis penitus antiquorum unciã itidem libram longè noſtra fuiſſe præſtantiorem? cum nos à grano quidem exiguo, ipſi à glande numerum minorem inciperent, ut paulo antè etiam & minæ argumento demonſtratum: quanquam & apud ueteres maiores minoresq; libras fuiſſe percipitur. unde libra libellaq;, & uncia atq; unciola, ab ipſis ſæpè deſcribuntur: tametſi Donatus libellam uelit unciam eſſe duntaxat, quòd libræ ſit particula.

Iuuenal. Sat. 1.

Certè Satyricus unciolã Proculeio, quòd uix unciam miſerandus, cum alter ferè libram accepiſſet. & uidemus adhuc alias alijs maiores libras ciuitatibus noſtris æſtimari. Obolus

In Andria.

inde, ut frequenter legi uideo: & Terentius, Piſciculos obolo emptos. quamuis uel librarij literam mutare potuerunt, uel obolus quaſi obelus dici monſtretur: & quidem obelum apud Græcos oſtenditur nec pro ueru ſolum capi, uerumetiã hac ponderis ratione: & ὀβελίζειν pro eo, quod ſit quempiam minimi facere: unde obeliſcus, tam apud nos quàm ipſos * per antiphraſin. quo patet huius generis pondus inde nominatum, iudicioque meo fabæ græcæ præponendum, ſiquidem duodecim tantum

Per antiphrasin, quia obeliscus diminutiuum oboli, ingens saxum significat.

tum

rum granorum extaret, ut illi crediderunt. Cæterùm cum idem obolus à Græcis scrupulus pariter appelletur, ideo nunc succedit, quòd quincupulum magis, hoc est, sex siliquas acci piat. Ac ex eo iam tempore pro siliqua, obolo, drachmaque argentea, monetam computantes, ærea etiam pondiuscula librauerunt, uti nos pariter ab æreis crustulis incipientes, seu tenui bracteola granorum trium uel plurium pondus adimplentes, ad multarum usque librarum, seu ærea pariter seu saxea pondera distribuimus. nam aureum numum regalis luxus excogitauit: unde Philippeos sæpè legimus, ante Romanos, ante Tarquinium Priscũ, & quidem ante Superbum, non apparuisse creditur: à quibus etiam triumphandi usus cœptus, & pecunia aurea, potissimum bigatæ, quadrigatæque notæ, aureæ, argenteæque, uti descripti reges in curru aureo argenteoque triumphantes. Drachma subinde duplum auxit, ab istorum itidem minori quãtitate dissentiens, qua eam granorum octo, & sexaginta duntaxat æstimauerunt. At uetustiores decem & octo siliquis siue scrupulis eam incluserunt. Post hanc * minus, idemque argento conflatus, maior dictus, atque denarius, quòd decem exiguos, & quidem argenteos comprehenderet: & sanè decimam unciæ partem longius excedit. ijdemque denarij dicti, quòd eorum decem maioris precium amplecterentur: atqui non sufficiente semper argento, tum pecunia ex ære mixtim argentoque fieri cœpta: quanquam ut uolunt quidam, & existimant, æream pecuniam prius

numus, legendum puto.

excussam ex bifronte Iano pecorinoq;, ac nauali signaculo, Ianuariam, Saturniamq; cognominatam. siue id æris genus in numismatibus, siue nummis numerabilibus extiterit, apud Græcos certè antè hanc æream pecuniam, quã χαλκὸν ipsi dixere, ex ære scilicet, uel ærea mixtura, argenteæ usus fuit: quam ijdem ἀργύριον frequentius dicunt, unde philargyria, ipsa pecuniæ cupiditas. Sanè Lucani sententia percipitur, argenteam aureamq; prius fuisse pecuniam, quàm æream: ut, Primus Thessalicæ rector telluris Ionos, In formam calidæ percussit pondera massæ: Fudit & argẽtum flammis, aurumq; moneta, Fregit & immẽsas, coxit fornacibus æra. Cæterùm ita prouisum, ut duo superadditi nummi, æquo tamen pondere, sed plure argento decem priorum uicem argenteorum exæquarent: quorum uocabula solidi solidorumq; in Italia præcipuè, citerioriq; Hispania adhuc permanent, necnon in militari expeditione potissimum, ubi stipendij continua numeratione opus est: quòd uidelicet argentei nummi maioris solida rataq; permaneret auctoritas: aut certè, quòd gemini æris facta simul cõsolidatio, ob eandemq; rationem apud

ἀπὸ τ͂ στύφειν.

nõnullos stipendium dicitur, *à stipando græco latinoq; uocabulo, quòd ex multis nũmis maiori denario stiparetur, hoc est suppleretur, uel ut ex æris impensione hominum multitunem in exercitum admoueremus. Quanquam & ipsius solidi uocabulum in ponderum nominibus annumeratur, drachmam cum dimidia significans. Ita pecuniam dictam à peculio uoluerunt: itemq; peculium à pecunia, quam

patri-

patrimonium appellauerunt, uniuersam quidem substantiam, quia ex pecorali fœnore caperetur: unde maius à ueteribus uectigal habitum. Monetam autem, cuius etiam M.T.Cicero meminit in Philippicis, à monendo appellauere, qua de precio eius admonemur, uti Liuius quadrigatos sæpè nummos interponit. Et miramur post tot secula, unà cum gentium moribus, principantium quoque animos, iura, arbitria, atq; omnia uenalia in deterius ruere, ac retrò sublapsa referri, nisi iterum etiamq; sufficeretur exportata, adulterata, commutata, circumcisaq; pecunia. Vncia, proinde semuncia, & id genus ponderum cætera, uel inuenta, uel certè diligentius corrigi sustineriq; cœpta, ac tam argentea quàm aurea pecunia singillatim ponderibus examinari: ipsaq; unciarum nomina duodecim, quæ libræ portiones ac quasi membra sunt, denariorum ordinem & modum inierunt: ipsiq; denarij in unciarum & ponderum digestionem, examinata utriusque precij ratione, uti libram nos adhuc solidorum uiginti nominamus: qua ratione argenteum maiorem nummum precij denariorum duodecim, ut dictũ, siquidem uiginti pro libra pensitentur, ex dimidia uncia quatuordecimque siliquis, & quarta siliquæ parte constaret: ipsum autem minorem nummum seu argenteum primum siue post æreum uicissim denarium dictum ex octo siliquis, cum dimidia & decima siliquæ portiuncula. Quarum quidem unciarum ista certè sunt nomina frequentiori usu quæ sequuntur, à uarijs auctoribus passim celebrata. Singulæ enim sua que-

que nomina sortitæ sunt, non omnes unciæ dictæ. Itaque uncia octo drachmarum constitit, ut plurimum: quidam nouem esse putauere, sed octo conuenientius, sicuti nunc. Marchum, unciarum octo prodiderunt. Ab uno dicta est uncia, uel unica. Semiuncia, quę semis sit unciæ. Secuncia, uel ut antiqui sescunx, est uncia cum dimidia, eadem ratione à semis deducta: quod medium rectius sonat, non sex. Itidem selibra, una libra cum dimidia, non semilibra dicitur: pro qua tantũ semis est, & semodius, non semimodius, unus modius & dimidius. Sestula melius cum s, quatuor fuit scrupulorum, seu quatuor & uiginti siliquarũ, ita duæ sestulæ tertia unciæ pars: quo pacto quartam portionem, & cætera minutissima per siliquarum rationem computabuntur. Hæc de uncia. Vnciarum autem nomina, quæ deinceps enarrabimus, certum est à ueteribus masculino genere describi, ut sciamus denarios siue nummos ab uncijs nomina suscepisse: sic uncias suis nominibus masculinè nominatas, exceptis in a terminatis, ut uncia, semuncia: ita sescunx masculinè, sescuncia muliebriter uariatur. Sestans, uncia secunda est, duas uncias amplectens: sic dictus, quasi sextus uel sextans, id est sexta pars assis. Quadrans, quòd quarta sit libræ pars, unciarum est triũ. Triens igitur, quòd tertia sit pars unciarum, est quatuor, tertiam assis partem continentiũ. Quincunx, uncias quinque comprehendit. Semis, sex uncijs terminatur: non à sex dictus, sed medio, quòd mediam contineat libram, quasi semis as; aliquando accipitur pro media libra.

bra. Septunx, quòd pro septem uncijs accipitur. * Bissis, uncias octo significat, tanquã bis tris, pro bis triente diceretur. Dodrans, uncia nona est, ergo nouẽ cohibens: sic dictus: quòd sonet demptum ex asse quadrantem, hoc est, tertiam assis portionem. Dextans, decem ambit uncias, utique dempto sestante ex asse, hoc est uncijs duabus, ut suprà. Deunx uerò undecim circumuenit, siquidem una uncia ex asse dempta: ita as, uel assis, uel pondo, nomina libræ completæ, duodecim unciarum: quibus animaduersis, & quæ de sestertio modò minaque prædiximus, erit cognitu facilius, cuius ponderis talenta constarent: nam duplicis quidem rationis maius & minus extiterunt. Tũ Ioannes senior interpellans: Equidem satis habere uideor, Guarine, de unciarum ordinibus, quàm diligentissimè nunc abs te numeratis, Cæterùm antequam ad talenta progrediare, hoc tamen mihi quod restat ambiguum in unciarum iterum nominibus, uelim prorsus expedias. Legi nonnunquã, ut in Suetonio potissimum, de illorum principum testamentis, quæ facerent antiqui: quos admiror eosdem potentes dominos, qui opulentissimi forent, in testamentarijs legationibus, ac mutuò quidem quosdam uti sestante, alios quadrante donatos, nonnullos etiam uncia sola, usqueadeò exigui muneris inter tantos amicos largitiones impẽsas. Cui Guarinus: Si memoria tenes, quæ paulo antè de unciarũ denariorumq; simul ratione proposui, quod nunc maximè requiris, indicatum est. nam ut denariorum computationem antiqui unciarum rationibus

Bessis melius.

incluſerunt, ſic omnem pariter rerum ſuarum æſtimationem eis unciarum nomina accommodantes, ſeriem diſtribuerũt. Ita cum ſeſtante quadranté ue donarent, non duabus tantũ, aut tribus libræ portionibus, ſed omnium bonorum hæredem donatum intellige, quæ per duodenarium numerum forent compartita. Exemplum eſt, Pecunia defuncti regis duodecim milium numûm aureorum æſtimata: ipſe autem teſtamento legauerat uxori trientem, filijs uerò æquis portionibus quadrãtem: quod reliquum ſuperfuit, cõſtruendo templo diſtribuerat. Ita reginæ quatuor miliũ numûm, non quatuor unciarum pars eſt: filiorum trium milium, quinque milium autem templi conſtructio. Pari tenore, ſed paulo diſperſius, ſi decem duntaxat, uel nouem millia numûm extiterint, qui tamen in duodenas partes adſignabũtur. Quinetiam ueteres ſolebant, ut in iuris ciuilis libris perſpicitur, & nos idem ſimul, unciarum nominibus bonorum hæreditates impartiri, ſi de uniuerſa rerum poſſeſsione legaretur: ſed hęreditatem uncia uel deunce donare, uel aſſe, ſi omnem dandam inſtituerunt: alium ueſte, alium libris, alium argẽto campóue, aut pecore, uti per licitatorem in duodenas partes licitatũ eſt. Qua ratione planè conſtabat, quid cuique legato deberetur, niſi aliæ rurſus controuerſiæ exortæ forent, quæ iudiciali arbitrio, legũmque cenſura diſſoluuntur: ut ſi numus uel pecunia, quæ publica dicitur principantis notatione impreſſa, in argenti uel auri ratione caperetur: ſi cubiculi ſtrata, hærentiáue parietibus ornamenta. nam dixit Virgilius:

lius: Arte laboratæ uestes, ostroq; superbo. denique si omne instrumentum lineum uel sericum pro ueste habenda sint, si syluæ, pascuaúe in agri uel cāpi mentione cōsisterent. Ad hæc & aliam *minus rationē præter abaci consueti characteres à Græcis quandoq; maiores nostri desumpserūt, quam ij psephophoriam*catalogumúe, nos græcè latineq; Arithmeticam rationem dicere possumus, in uncijs librisq;, & cæteris ponderibus designandis ordinem grecorum characterū prosequentes: nisi quòd sexto quoq; loco aliū characterē barbarū, qui in ludo abaci pro quinquenario recipitur: ita gradatim numerum augendo multiplicandoque characteres ferè in speciem abaci composuerunt. Sed iam de talētis exequendum, quæ dupliciter dixi, magnum & paruum appellata: quorum ratio à Plinio, Liuio, Varroneque pręcipuè cognoscitur. Plautus etiam duo talenta dixit libras centum & quadraginta. Sed subtilius, si uultis, de magno & paruo dissertādum. Atticum maius appellarunt, minus seu commune, Euboicum uel Eubœum. Maius pēsum est trium & octoginta pondo, seu librarum & unciarum quatuor. Ideoque Liuius auctor est, Romanos sanxisse, ne talentum octoginta minus penderetur, quod de magno dici liquet, cum pluris aliquanto fuissent existimationis: & hinc argumentum est à maiori precio. A minori quoque idem testis est, Senatusconsulto decretū, ne præter libras ternas & quaternas uncias singulis talentis demeretur. Quibus rationibus constat, talentum maius, ut dictum, octoginta trium librarum, & unciarum qua-

Aeneid.1.

Num i orte re ctius.

Forte calculū, aut calculatoriū legendum.

tuor aliquando fuisse. Idemq; alio loco de talẽto maiori loquens historicus: Magnum talentum Atticum, librarum octoginta triũ, & paulo plus: quod pro triẽte suscipitur. In Phormione Terent. de magno talento memorat: ut, Siquis daret talentum magnũ. Sed hic interea uideant, quàm diligẽtissimè fecerint, Quintum Curtium in uernaculum transferentes, ut alia errata prætereā, qui pro triginta milibus põdo, hoc est, libris, à Dario in suorũ redemptionem promissis, totidem talenta transcripsere, idem pondo & talẽtum fuisse apud antiquos autumantes. Videant & nonnulli ætatis nostræ oratores, qui scriptis suis prodiderunt, Decem milia põdo talentûm, seu decem milia librarum, talentûm, pondo. nam quid unum cum altero sermone complicant? utroq; librarum dixerunt numerum indicante. si enim põdo sunt, talenta non: si talenta, non põdo: quasi decem milia libræ librarum, quod insanientis est magis quàm ignorantis. Curtius autem cum de triginta duntaxat milibus libris auri mentionem intulerit, dicens pondo: illi uerò octogies & ultra triginta librarum milia posuerunt, talentum exponentes. Igitur ex græcis bonis latina fecere non bona. Sed sequar ego propositum. Paruum uerò talentum, auctore Varrone, sexaginta librarum esse dignoscitur, qui uel dixerit quatuor & uiginti sestertijs æstimatum: quo constaret, Plautum de magno potius quàm paruo intelligi uoluisse, nisi mediocre dixerimus inter magnum octoginta & minus saxaginta computandum. Sestertia autem, si meministis, duæ libræ sunt cum dimidia

dia ſignatæ. Feſtus Pompeius auctor eſt, talentum Euboicum mille numûm fuiſſe. Sed hoc incertius ob numorum differentiam, uti uidiſtis, quorum aliqui trientales, alij quadrantales eſſe potuerunt: tametſi de maioribus denarijs intelligendum foret, centenos numos non * ſuperat libras quinquagenas *Superat, irrep* ſingulatim facientes. Ergo & hoc talentum *ſiſſe uidetur.* paruo * minimum: nec Homeri quidem in *Minus, ut pau* ludis Patrocli funebribus de talento enume- *lo pòſt.* rationem planam intelligimus. Quidam ob id minus etiam paruo fuiſſe temporibus illis exiſtimant, quòd ultimo uictori duo talenta, primo autem bouem tantum aſsignat. Sed illud obſtat pluris etiam fortaſſe quàm talenta duo magna, heroas illos ſiue calcochitones, bouem eiuſmodi honoratiſsimum æſtimaſſe: neque Entellus, ut in ludis eſt Anchi- *Aeneid. 5.* ſeis, bouem ſuum amictu aureo conſtratum, hoc eſt, uictoriæ laudem, cum duobus talentis paruis magnisúe mutaſſet: ut non miremur bouem uel equum inſignem tãti factum, quãdo noſtri uolucrem ab aucupio maioris etiam æſtiment. A Virgilio de talentis paruo magnoq́ue memoratio uidetur, ſed maiori ſanè diſtantia, dum aurea argenteaq́ue propoſuerit. Quòd ſi utraque in pondere pro talentorum more conſtarent, quòd aureum foret: longè tamen maximum cenſeamus, niſi paulo plus argento aurum interfuiſſe apud antiquos arbitremur. At iudicio quidem meo, aureum talentum longè maius argenteo, longè non diſtaret: ſiue enim Atticum, ſiue

militare potius appellemus. Erant talẽtorum multa nomina, Ptolemaicum, Syrium, Tyriũ, Antiochenum, Atticum, Babylonium, Æginęum, Euboicum, Rhodium, Neapolitanum, Siracusium. Pondere quidem pari omnia, ſed ad numum collata differũt. Atticum Tyrio æquale, ſed plus quadruplo ualens quàm Ptolemaicum. Euboicum quatuor milia denariorũ ualebat, Rhodium quingentorum: Neapolitanũ ſex, Siracuſanum trium denariorum: minimũ libris quinquaginta, maius LXXII. maximũ CCXX. faciunt. Ineptè quoque ab Homero decem auri talenta legeremus, ab Agamemnone reconciliando Achilli miſſa, ſi de paruis an magnis intelligendum ſit, ambigatur, uel ad argenteorum precium examinanda ſint. Nam quid tantum regem, tantaq; munera inferri decuit, filiam inſuper cum regni parte pollicentẽ, de auroque magis quàm argento gloriantem, ut ipſa ſubinde talenta pro communibus, non pro maximis accipiamus? nec enim declarat Ouidius in Briſeidis epiſtola, auri tantum bis quinque talenta memorans. Quo magis intelligendum eſt, ea ex magnis fuiſſe, ubi controuerſia non apparet. Sunt & aliorum ueterũ teſtimonia, quæ nunc uti lõgiora prætereo: quorum recitatione percipimus, aureum talẽtum pro maximo, quemadmodum uncia auri, argẽti unciæ præſtaret, argenteum pro Attico uel Euboico deſignatum. Sed iamdudum ueſperaſcit, ſtationique meæ quãtus hic dies fuerit, ſatisfeci. Ad quem Nicolaus Strotzia: Ergo iampridem de ſermonum proprietatibus plurima abs te ſuſcepimus, & modò de ponderũ menſu-

mensurarumque ratione copiose. Exoptamus insuper omnes, qui laudum tuarum apud Leonellum maximi fautores sumus, ut cum crastina luce in statione successeris, edoceas quid singularum literarum aut syllabarum figurę significent. nam quasdam ab alijs didici, quas frequenter in libris, sæpenumerò in tumulis uel parietibus, æreisq; præcipuè numis & signis inspicimus. Ita cum superueniente nocte cæteri in stationem successissent, ad cubile principis sequenti die, quæ sine febricitatione pręterijt, Veronensis regressus, huiuscemodi orationem integrauit.

DE PRISCORVM DICTIONIBVS, *quæ per singulas literas uel syllabas scribi solent, æreisq; monumentis.* *Pars* LIIII.

PLurimi generis figuræ sunt, ô præstantissimi uiri, ut hesterna disputatione petijstis, ac uarijs ambagibus positæ. Cæterũ ex antiquorum monumentis repetens, quædam arbitratu meo superaddam: ne tamen à more discessisse uidear, à prima litera ordinẽ incipiã. A. Aulus, uel sic, AV, Aurelius. AVG. Augustus, pro Octauiano, non mense. Græci quidam syllabã intercepere, Agustos dempta litera V. proferentes. B. non habetur. C. Caius, frequentissimè: aliquando centum, sed à proximis est discernendum. D. Decius, simpliciter positum: nonnunquam diuus, aut fortè dominus. nam ut diximus, domini nomen solus Augustus abhorruit: quo satis constat illius tempestatis magnos heroas dominos etiam

tiam appellatos. Habet & domini appellatio illam extensionem, quæ rei alicuius proprietatem posſidet. Cæſar uerò Auguſtus noluit dominus, hoc eſt tyrannus uideri, cuius imperium proprium uideretur; & in quo tyrannidem exercere præſumeret. ſed cum N litera ſociatur, ut in numiſmate aureo nuper uiſum eſt Dominus noſter, aut fortè nobilis dicitur. inde ſequebatur Theodoſius Aug. ab uno frontis eius latere, ab altero pater patriæ: quem & imperatorem, & conſulem ſæpenumero ſenatuſconſulto deſignatum accepimus, & ſingulis quidem literis, ut iam declarabimus. In E non habetur ex proprijs, aut quandoque pro Helio ſignificatur, ſed ineptè, cum aſpiratione melius, ſiquidem à ſole, grecè ἥλιος dictum uelimus, aut ab Heli ciuitate: alioquin cum diphthongo ſcribitur, ut Ælius, uel Ælianus. Helias & Helia cũ aſpiratione, barbara ſunt. F. Fuluius aliquando, ſed filius plurimum, ſi cum alio charactere ſeu ſyllaba, uel dictione iũgatur, ut A.F. Auli filius, P.F. Publij filius frequentius. nam aliquando contingit explicari paterfamiliâs: materfamiliâs autem non ſimili auctoritate ſcribitur, neq; matrona. Q. F. Quinti filius uel filia, ſed rarius, ſi tamen de muliere præponitur. FL. Flauius, non flauus epitheton. hoc autem genus fuit Ænobarborum, id eſt, barbarum rutilarum, à colore faciei tractum: ex quo genere Nero Cæſar indignatus, à fratre nondum accepto principatu Ænobarbum ſalutari. Litera G nõ eſt in uſu antiquorum, præterquàm de A. Gellio, uel Gallo: quanquam non nullis placeat, Augellium potius coniunctè

quàm Aulum Gellium appellari, ut ſit unus ſermo. Quòd ſi aliquando K ſcriptum offenditur cum proprijs nominibus, C potius accipi debet, ut Caius ſuprà, & hoc culpa deſcriptionis. Nam in marmoribus antiquis ſeu codicibus, uel numiſmatibus aliquando erratum inuenitur. Græci cum K litera ſcribunt, ſic Cnoſion & nonnulla, quem nos Gnoſium pro Cretenſe accipimus. Gaſpar & Gabriel quia ſunt barbara, in hoc genere non accipiuntur. H δασεῖα, id eſt, aſpiratio eſt, non litera, quæ alia tamen forma & ab eis, & à nobis breuiore deſcribitur. Cæterùm ne in hac quoque ſpecie maiuſcula, tametſi apud græcos E longum uideatur, apud nos in uſu non eſt huius, quam nunc exponimus deſcriptionem.
De I. litera non habetur in proprijs. K. non noſtrum eſt, ſed græcorum, pro qua litera nos C. ſemper utimur, uel uti debemus. Ideoque malè à quibuſdam uocabulorum compoſitoribus fit, cum K. literam in alphabeti ordine recenſent: malè & ab eis pædagogicis præceptoribus, quicunque eam primi in alphabeto noſtro miſcuerunt. nam ſiue latinæ dictiones, ſiue græcæ, ut calendæ latinis literis deſcribendæ ſunt, nunquam K. ſed C apponi conueniet. L. Lucius. M. Marcus, nunquam Marcellus, uel Metellus, ſiue Macrobius, uel Matthæus: niſi in multa horum nominum repetitione, in qua primis tantum literis uti liceret, utpote in libris logicalibus, uel de iure ſeu medicina tractátibus, ne totiés eiuſdem nomen herbæ uel ponderis deſcribatur. N. non eſt inter propria nomina, ſed aliquando

quando cognomina,ut CN.Cneus, quaſi dicatur Caius & Cneus: uel ut in tumulis uidemus,pro nepote uel natiuitate, aut natali annorum in ſequente numero,ut hoc pacto: A.N.S.anno natalis ſui. nam eodẽ more L pro luna,& S pro ſole in ſepulchralibus poſuerũt. Eorum etiam imagines, ſolis in ſummo lunæ *uiuo ſaxi margine figurantes,quos deos manes itidem literis his D.M.in dandi caſu deſcripſere. O non habetur. P. Publius frequentiſsimè,nonnunquam Paulus,ut ſi Æmilius ſequeretur.nam ſunt eius generis uocabula longo uſu notiſsima,aliàs ad populum, ad remp. ad patres & pontifices, ac patriam referenda: nunquam uerò Petrus,uel Paulus,aut quiduis aliud ætatis noſtræ repræſentãt.unde ſi quoſdam uidemus,qui Petri uel Pauli prænomine uocitentur,aut fortè duplicato,ut Petrus Ioannes,qui ſibi P.literam anteponant, inani quidem dolo uel gloria id fieri dicimus, quo magis ab imperita multitudine pro Publio quàm Petro dictitentur. Q. Quintus in proprijs dico nominibus,nunc ordinarijs,ut quintus,uel quartus,aliquando Quinctius. T.Titus .Ty. Tyberius. V.nõ habetur,neque alia deinceps alphabeti litera. P.P.Pater patriæ. P.P.P. primus pater patriæ,quod datum Auguſto auſpicacius quàm Cæſari,& ſecundum caſuum rationem interpretandum: aliquãdo publicam pecuniam ſignificat. R.P.reſpublica: & mutatis literis,populus Romanus rectè interpretatur:ſed commodius caſum pręmonſtrante ſyllaba deſcribitur,ut Rei,uel Re, uel Rem P.ſic de populo.non enim quærenda eſt obſcuritas

Imo melius.

in

in breuitate,sed quædam cum breuitate polita distinctio,quę delectet. PRAEF. pręfectus: nam libentius antiqui diphthongis usi sunt. IMP. imperator. IMPP. imperatores. COS. consul. COSS. consules. PR. prætor. P.PR. per prætores: & PR. populus Romanus aliquãdo: sed ex anteriore discernitur. QVAES. quæstor. QVAESS. quæstores. DR. Drusus. S. uel SA. sacrum, sepulchralia sunt. Hæc uti modò de dijs manibus dixi. nam deos manes umbrarum dominos appellarunt, non à manẽdo uel manibus digitorum, quia corriperetur, sed à mane nouo, quod producitur, feliciter augurãtes. SF. sacrum fecit. S.B.M.F. sacrum benemerenti, uel benemerentibus fecit, uel fecerunt. Itidem S.C.F. sacrum communiter fecerunt. nam solum communiter fecisse nõ procedit in tumulis, quos quisque non communi, sed pręcipuo, quo poterat honore nobilitauit: quippe quod sæpè legi, contingat matrem patremq́; uel duos fratres, aut uirum uxoremq́; sepulchrũ alicui uel aliquibus suorum statuisse. Quo argumento quidam putauerũt ideo à græcis κινοτάφιον appellatum: sed ratio liberior est eam appellari sepulturam, qua multi conuenienter integuntur, seu nobiliorum, ut eiusdem familiæ necessarij: siue ignobilium, ut in miserorum sæpè cõtingit sepulturis, aut militantium necessitate cogente: unde etiam κοιμητήριον propriè dicitur locus defunctis sacratus, ubi multi communiter infossi, quasi dormire uidentur. S.P.D. salutem plurimam dicit. hoc habetis in Tullianis epistolis frequentissimè. SEX. Sestus, si cum altero S. sester-

tium significat, sed nō Sestius. nam Sextus proprium nomen est, Sestius cognomen: propria autem non breuiari solita. S. P. Q. R. senatus, populusq; Romanus. S. C. senatus consultum. S. C. P. senatus consultum plebiscitum. hoc sæpè in æreis numis & tabulis. P. C. patres conscripti, in singulari numero non utuntur. C V. Centumuiri, uel clari uiri. Ideoque ad differentiam quidam C L. pro claro posuerunt: aliquando C L. Claudius significatur. nam pro numero, ut nos, C L. centum & quinquaginta rarò in antiquitate reperitur. S E R. Seruius, non seruus. nam magis est inter cognomina Seruius, ut Ser. Sulpitius, quàm inter propria, ut Seruius, Virgilij commentator. S P. Spurius. C A E. uel C A E S. Cæsar, sic cum diphthongo. nam à cæso matris utero nonnulli uolunt, & eiusmodi natos Cæsares appellari. P R O C. proconsul: sic P R O C C. proconsules, aliàs etiam scribitur P R O C O S S. A E D. ædilis. A E D D. ædiles, si ab ædilibus, qui demoliendi ius habuere. nam ab edendo dictum pro publicando, uel emittendo: cum e longa duntaxat, non diphthongo describendum. T R. M. tribunus militum: sic T R. P L. tribunus plebis. eodem modo T R. E Q. pro tribunus equitum, qui etiam magister solet inscribi. unde Virgilius, Ter centum, scutati omnes Volsente magistro: Romanum morem imitatus. C O S. D E S. Consul designatus: C O R. Cornelius. P. uel P O. M. pontifex maximus. I V. O P. M A. uel singulis etiam literis, I. O. M. Iupiter optimus maximus.

Aeneid. 9.

ximus. CAL. ad calendas pertinet:hoc eſt quod à noſtris cum K malè ſcribi ſolet, niſi fortè iactarent per differentiam apponi, ne pro Calphurnia ſcriptum appareret. nam licet calendæ à uerbo græco καλέω dicatur, quod uoco ſignificat, latina tamen ſcriptione notandum eſt. Accitus enim populus admonebatur antiqua ſuperſtitione ab eorum pontifice conſpecto nouilunio, quod adhuc infideles Mauri faciunt, inter Hiſpanorum Chriſtianos habitantes, ut ſcirent quot dies nonas uſque celebrandi ſequerentur: unde Calabra ipſa aduocationis curia. Sed Calabria regio, gręca tamen ratione quaſi bonum fluẽs dicta. * Quod ideo nomen adduxi ad latinarum ſemper literarum teſtimonium, cum nos græca in latinum traducimus excepto ypſilo. Ad hoc quoſdam etiam ſermones pro communi uſu literis tantum primis antiqui notauerunt, quo celerius dicta comprehenderent, quæ nunc à nobis intelligi non commune uel plebeium exiſtimabitis: nec ab re grandiori charactere ſignabantur, uti modò in prænominibus demonſtratum, quorum ratio in ſacris publicis & pontificum monumentis, nunc iuris ciuilis libris apparet. Sed quæ pro cuiuſque arbitrio & mutua cognitione priuatim fierent, infinitum comprehenſu eſt, quemadmodum adhuc barbara quadam characterũ ſpecie fieri uidemus, quod genus ziphras appellant uulgò: quæ uerò publicè cognitu ſunt neceſſaria, adieci. Nam interdum ueterum monumenta cognoſcenda

Vel bonis affluens, uel fertilis.

Forte, cuius quidem rei.

sunt,cuius * in dandæ rei maximè studiosum ferunt quendam ætatis nostræ celebrem uirũ Cyriacum Anconitanum,græcarum rerum studiosissimũ, ob id cupidè etiam Græcorum antiquas longinquasq; nationes adeuntem. Igitur A.V.C.ab Vrbe cõdita,pro quo uocabulo semper Romana urbs intelligenda. V.R.urbs Roma. P.E.R.post exactos reges:uel E.R.exactis regibus. E.R.eques Romanus. C.R.ciuis Roman. V.F.usus fruct⁹. V.P.R.ueteri possessori redditũ uel reddẽdũ. V.A. Veterano assignatũ. COL.Colonia uel Coloni. C.E.C. coloni eius coloniæ. MV. municipium uel municeps. N.L.nominis latini.* I.R. imperij Romani. L.C. Latini coloni. S.N.L.socij nominis latini. L.P.C.R. latini prisci ciues Romani. Sed iam ad minus necessaria cognitu peruenimus,non utiq; intra politiæ nostræ terminos incidẽtia,cum in arbitrio cuiusq; uideatur,huiusmodi singularibus literis uarios sensus annotare. Sequar tamen morem antiquissimũ. Æ.A.A.ære,argento,auro.nam ut dixi, apud ueteres diphthongorum plurimus usus fuit. I.N.Q.iustis nuptijs quæsitos uel quæsitis. S.Q.S.S.Q.E.Q.N.I.S.R.E.H.C.L.N.R.siquid sacri sanctiq; est, quod non*iuri sit rogatum,eius hac causa lege nihil rogatur. L.I.D.A.C.lex Iulia de adulterijs coercendis. Q.E.D.R.F.P.D.E.R.V.I.C. quod ea de re fieri placeret, de ea re uniuersi ita censuerunt. Q.F.E.I.S.F. quod factum est in senatu,ferunt. D.C.S. de consilij sententia. T.P.Q.N.S.Q.E.V.A.P.F. Tribuni plebis, qui nunc sunt,quod eis uidebitur, ad populum ferant.

Vel, nõ liquet, quod in iudicijs usurpabatur: uel non licet.

Forte, iure.

S.F.S

S.F.S.ſine fraude ſua. Præterea in legum actionibus hæc: A.T.M.D.O. aio te mihi dicere oportere. Q.N.T.S.Q.P.quando *negant, te ſacramento quingennario prouoco. Q.N.A.N.N. quando neque ais, neque negas.nam aio pro aſſeuero uel confirmo eſt:unde Gnatho in Terentio, Aiunt,aio:negant,nego. S.C.S.T.D.E.T.V. Secundum cauſam ſic tibi dixi,ecce tibi uindictam: quæ pro liberatione ſæpè accipitur, ut apud Perſium, Vindicta poſtquam meus à prætore receſsi: hoc eſt,per uirgam prætoriam.Nam alioquin uindicatio,ut ultio potius diceretur. Q.I.I.T.C.P.A.F.A. quando in iure te conſpicio, poſtulo an fias auctor. I.D.T. in diem tertium,ſiue perendinum. A.L.A.arbitrium *legi æſtimandæ. Q.B.F. quære bonum factum.

Negas, melius.

Satyra.5.

Litis, rectius.

Q.R.F.E.V. quod rectè factum eſſe uidebitur. V.B.A.uiri boni arbitratu. D.M.F.V.C.dolo malo fraudisúe cauſa. I.D.iudicium dabo,uel iuriſdictio. Q.E.R.E.T.P.I.R.D.T.Q.P.D.D.D.P.F. quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo,teſtibusque publicis decem duntaxat denunciandi poteſtatem *facit. Q.S.S.S.quæ ſuprà ſcripta ſunt. I.C.V.iuſta cauſa uidetur. N.C.C.non calumniæ cauſa. C.C.conſilium cœpit, uel cauſa cognita. F.C. fraudare creditorem, uel fidei cauſa, uel fidei commiſſum. P.C.pactum conuentum.Item, P.C.patres conſcripti, ut modò dictum,uel pecunia conſtituta. S.T.A.F.E.D.ſine tutoris auctoritate factum eſſe dicatur. H.S. hoc ſit, uel hora ſecunda. Q.A.quemadmodum. Q.M.

Faciam.

quo modo, uel quo magis. P. P. L. V.
Iudicatũ ſolui. pro præda litis uindiciarum .I S. * iudicium ſolui.

DE MEMORABILI LAPIDE PYramidis quadrangularis, qui adhuc Romæ ſtat iuxta templum Petri apoſtoli, uarijs ambagibus ab indoctis interpretato, qui Iulij dicitur, aliàs Acugia, ſecundum uulgarem opinionem: ac de eiuſdem inſigni epigrammate. Pars LV.

TVm Ioannes ſenior, qui Romæ ſæpè fuerat, Credo te quoque, inquit, Guarine, aliquando Romam adijſſe: nam ex Italicis ego neminẽ ritè literatum & antiquitatis ſtudioſum exiſtimo, qui eam urbem nunquam uiderit, de cuius reliquijs memorabilibus, quoniam à nonnullis noſtræ tempeſtatis hiſtoricè tractatum, ea omnia miſſa faciamus: id unum nunc euoluentes, quod nec à præſentibus noſtris, qui utique poſtremi & auidiores in colligẽdis reliquijs eſſe uoluerunt factum: neque à Plinio maiore, quod monſtri ſimile liquidò percepi, cuius potiſsimum principis, uel cuius ſacri aut religionis ij cineres ſint, qui ſummo cacumine admirandiſsimi lapidis, æreaque pila antiquitatis more continentur. Cuius rei quæſtio ideo nunc in mentem magis incidit, quòd modò te de ueterum ſepulchris, & ipſorum * epigrammatibus diſſertantem audiremus. Enimuero antequàm Romæ fuiſſem, fama omnium audieram, tumulum eum Iulij Cæſaris prædicari, de quo Blon-

Epigrammatibus, pro epitaphijs.

Blondus in Commentarijs suis ita dicere uidetur, ut Cæsaris cineres obelisco insigni positos existimet, qui cernitur in territorio triumphali, aliàs Vaticano: idque etiam auctore Suetonio confirmans, Mausoleo Cæsaris cineres reconditos secundum Tyberim, quo constat de quodam alius formæ monumento, magis quàm hac pyramide dixisse, quæ satis distat à flumine. Hanc autem à priscis Iuliam ipsam petram dictam multi arbitrantur, quæ nunc uulgari corruptela Acugia dicitur, quasi acus, quòd in acutiorem eminentiam extendatur. Cæterùm cum inscriptas in ea literas grandioris formæ conspicerem, quæ à lateribus duobus imo margine eiusdem exempli sunt, Iulij Cæsaris mentionem in primis aduerti, subinde Tyberij Augusti. id uerò uisum ambiguum, quorum uel cuius ij cineres, eiusque lapidis monumentum extare uideantur, cum tamen omnes una sententia Cęsaris reliquias existiment. Quid sentis, ô Guarine? num Iulij Cæsaris, an alterius arbitraris? Tum Veronensis: In rem profectò deuenimus ambagibus refertam, de qua ipse etiam aliquando dubitaui. Nam cum à ueteribus Romanorum lapis ille Romæ statutus, nostraque etiam ætate integrum opus conspiciatur, ab ipsis tamen quopiam literarum monumento declaratum constat, quàm quod epigrammate solo discernitur: atque adeò ambiguo, ut ne adhuc à nostris satis intelligi uideam. nam siqui de memorabilibus urbis scripsere, nullum tamen testimonium perhibuerunt, tametsi magnis molibus & obe-

runt, ipsi gentium mori contrarium: cum perspicuum sit, tuq; in primis Ioannes, mirè ædificator, noueris magnorum operum fundamenta plurimis ingestis lapidibus aut ingentibus saxis extrui solita. Præterea in hoc lapide concauitatem non esse, sed soliditatem, nulla uocalis tinnitus repercussio facta significat, cuiusmodi Ouidius de uocali turre describit. Ridiculum quippe illius ætatis uiris, seu Ægyptijs, siue Italiæ principibus, quod solidum penitus esse uoluerunt, opusq; grauissimum, ipsum lapidem perinde ac tibiam cum lancea penitus terebrandum. Congestum uerò, coagmentatumq; esse, temerariè creditum est, cum Romę & alijs in ciuitatibus eius generis lapidis coagmentati, sed eiusdem cinerei coloris columnas, ingentia labra & bases uideamus, quotidieque ex eis in noua rursus opera tanquam trabes resecari. Denique eò popularis ineptiæ stultitięque peruentum, ut cum eum lapidem intueantur, non colore, sed ipsa materia scalpris etiam ferreis resistentem, resilientibusque fauillis: crustulas tamen excidunt, iterum atq; iterum ultrò olfacientes, manuq; librantes, postremò palàm blacterátes, non humana ui, sed necromantiæ maleficio, artibus magicis, Virgilianisq; cantationibus id opus effectum esse credunt: quod etiam magis crederetur, si reuolutos scirent montes, maria constrata, ut Salustius asseuerat. Igitur pilam æneam summo lapidis uertice impositam, & ut par est, concauā ad cinerem, tumulus uerisimilius apparet, quā ad horarum uertiginem, indicio præsertim epigrammatis, quod sic inscriptum memini literis

Initio libri 8. Metamorph.

Pharm.

teris

teris antiquorum grandioribus: DIVO CAESARI, DIVI IVLII, F. AVGVSTO. & hoc in prima linea, in secunda uerò: TYBERIO CAESARI, DIVI AVGVSTI, F. AVGVSTO. & paulo inferius: SACRVM. Quod ideo epigramma ad sepulturam conuenientius quàm horoscopium pertinens, à duobus lateribus eiusdem exempli posuere, ut altero sicubi uetustate casuro, alterum legi potuisset: sicut in fornicibus lapideis, quos arcus triumphales appellant, eadem ratione prouisum. Et sanè quod ad meridiem latus expositum est, continuis austri uaporibus procellisque indies magis exeditur: tantumque æuo nostro corrosum architecti, geometræque deprehenderunt, ut ducentorum ferè pondo diminutionem à summo margine in imum factam arbitrentur: cuspidem uerò ferream, ex pilæ cuspide prodeuntem, præ uetustate ad palmum ferè*curuatam. Sed ut ad tumulationem, seu græcè ἐνταφίαν redeamus, uidetis nihil eos cineres, neque pyramidem ipsam ad Iulium Cęsarem pertinere. nam quamuis à diuo Cæsare incipiatur, ordo tamen orationis ad solum spectat Augustum: hoc est, in prima linea, qui se diui Iulij filium inscribit, & eum Cæsarem appellamus: in secunda parte (nam instar gradationis est) ad Tyberium respicitur, se quoque Augustum nominatum, diuique Augusti filium. Vter autem eorum illum lapidem ad alterius etiam memoriam seu communiter extruxerint, alij censeant. nam quod ab Augusto memorant lapidem ingentem aduectum prius, qui soli dica- curtatam.

dicatus esset, apud Ægyptios eius postea magnitudine uel religione territum erigere, non ausum intactum humi reliquisse. Constantinũ demum & posteros erexisse, non satis isti petræ conuenit: ita eadem causa, ipsaq; temeraria est, quòd ad Iulij Cæsaris honorificentiam positum tumulum existiment, Iuliamq; appellent, ad Cæsaris insuper piscinæ similitudinẽ, adeò ut qui eum lapidem fortè non uiderint, uersum desuper posita pila uulgauerint:Ære sub hoc modico clauditur orbis herus. nec tamen ullum carmen ibi conspicitur. Cuius rei nunc admirabilius uisum, ut aliquando cõcludamus, tot secula opus adhuc integrum superesse: non Neronis autem, & quorundam Cæsarum malitia epigramma saltem commutatũ, præterea non insequentium pontificũ contraria religione demolitũ, refectúmue, aut in aliud opus transformatũ: qui bene agere putantes, multa ueterũ præcipua monumenta, ipsas etiã pulcherrimas bibliothecas, absumpserũt.

DE VETERVM CORONATIOnibus deorum, heroumq;, ac coronarum imperatorum & militariũ formis, uocabulis, ætatibus, partim ad morem antiquorum, partim ætatis nostræ. Pars LVI.

CVm omnes Guarini præceptis acquiescerent, iamdudum Ioannes æuo maturior, ac præ gaudio ferè lachrymans, inquit: Ita dij deæq; omnes, Veronensis, tibi benefaciant, quemadmodum planè iucundeque ad hoc monumentum mihi disseruisti. Hoc enim à Leonello principe elegantissimo, poli-

tiæ

tiæ nostrę repertore, politius explicari potuisset: neque ego præsens Romæ id opus tam expresse quàm nunc abs te recognoui. Cæterũ Titus Stroza, adolescens generosus, de quo in prologo, idemq; Guarini discipulus, præceptorem orabat, ut quoniam de coronis ad uirginis Corinthiæ tumulum mentionem paulo antè cœpisset, pergeret porrò coronarum genera recensere, quemadmodum à ueteribus peregregiè uirtutis meritis, & partæ laudibus insignibus haberentur. Tum Guarinus ueterum uoluens monumenta, quæ ex græcis latinisq; scriptoribus percepisset: Primùm, inquit, multa sunt coronarum genera, nec temerè impositarum, ut in natalibus & sacrorũ festis ex uerbena absynthioq; uisæ sunt, & ex nardi fronde laudatissimæ: hinc Iuuenalis, Quale coronati Thrasea * Heluiciusq; bibebant. In funebribus etiam ludis ex cupresso, & hymenæis ex florigeris etiam herbis ac myrto: quas nimium foret enumerare. quin ipsę militares coronæ multiformes apparuerunt, ut ex ijs nobiliores non facillimum sit ex tempore recitari. Cæterùm quas pro assidua lectione comprehendimus, in primisq; pręceptore Plinio, dicemus: antiquissimè nisi dijs seu deorum simulachris nulli datam esse coronationem publicam, Homerumque seruasse eam cœlestibus tantum, seu sacris uiris, uniuersæque militiæ designatam. nam & ipse Chryses, Phœbeius sacerdos, cum corona affuit, uel certè stemmate, cum nondum laurus erat, ut inquit Ouidius, quod idem Homerus σίφανον appellat: licet infulam sacerdotalem coram Agamemnone, magnisq;

Satyr. 5.

Heluidiusq;.

Iliad. lib. 1.

gnisq;

gnisq; Græcorum principibus habeat. Hoc antiquissimum ex grçcis habetur, ac post Homerum, illud quoq; Archiæ poëtæ carmen de coronationibus Olympiorum uetustissimũ habetur, pentametro pede distinctum, ut memini ex græco sermone me habere: ex quo quatuor interpretamur in Græcia ludorum certamina diuis fuisse dicata: cæterùm duo mortalibus, & Latonæ filio, hoc est Apollini: præmia uerò luctantium oleastrũ, poma, apium & pinum. quidam disputant ipsam pinum populũ esse, quam Herculi præcipuè dicauissent. Sed de ludis Herculeis nulla in uersibus fit memoratio. Virgilius in Bucolicis eas pastorum uult esse coronas: nec ab Homero quidem pastorale uocabulum abominatum, quod sæpè magnanimis ducibus assignat. Itaq; noster inter

Sileno. lauros & hederas atque apio dixit, Crines or-

Palæm. natus amaro: &, Pinuq; caput præcinctus acuta. &, Malo me Galatea petit, quod parum differt à coronatione præposita: nam seu pomo-

insectatione. rum * insertatione, quod sæpè rustici faciunt adolescentes: siue ramis pomorum frondentibus coronarent, tum pastoriæ laudis, tum uirtutis heroicæ ea fuit insignis celebratio. Nullas sanè præter huius generis coronas ex Græcorum auctoribus præstantiores accepimus, quamobrem ad nostras procedamus. Ita cum à deorum ueneratione ad mortalium, sed præstantissimorum tamen heroum commendationes descendissent, quas æquè Panegyricas tam diuorum quàm principum pro diuis habitorum, esse uoluerunt, cũ primùm imperatoriç militaresq; coronæ cõpertæ sunt. Sed in India

prius

prius Bacchũ ferunt præter pampineas hastas & coronas è uitibus, præterq́; regũ diadema, cuius ipse repertor dicit̃, sibijpsi ex hedera serta sumpsisse: quã malè poëtę sibi quoq; desum pserũt Liberi patris tutela uenerabiles. de qua in primis Maro benemeritus cõcinit: ut, Atq; hanc sine tempora circũ Inter uictrices hederã tibi serpere lauros. Quarũ usu uel honore cum adhuc antiqui caruissent (nam dixit Ouidius, Nondum laurus erat) apio, pinu, pomis & oleastro coronabant̃, quòd oleam fortè ueterata superstitione diuæ Palladi seruatam piaculũ esset excidere. Nostri certè deinceps oleagina coronati sunt, ita Bacchũ publicè per Oriẽtis oppida frondoso curru incedentẽ, & in sacris eadem corona pampinea hederaceaq́;, ac suos in templo sacerdotes uti solitos memorant. At in Hispanijs Herculem populea fronde coronatum, quam ea gens habet omnium arborũ altissimam, cum uterq; diuus Ioue genitus, alter per libidinem, & in solis ortu: per uirtutem alter, & in occasu æqua ferè laudis præmia tenuerint. inde gradatim Alexandrum Persica fronde redimitum, non solum Dariano diademate ex diuersis coloribus albis, ceruleisq́; fasciolis ad Hispanum ferè morem intexto: nec lõgo pòst tempore apud nostros magis quàm barbaros. Triumphalis, obsidionalis, muralis, castrensis, naualis, coronæ institutæ feruntur. Est insuper corona Oualis Romanorũ. nã maiore semper cultu q̃ cæteræ nationes oẽs antiquæ, floruerũt: de quarũ formis & qualitatib⁹ ultrà dicetur. Est & Oleagina, qua uti cœpere, qui imperatoris sui triumphum procurantes, pręlio

Pharm.

Metam. lib. 1.

prælio tamen non interfuissent: iustitiæ & pie tatis insigne: tantumque illi honoris ueteres tribuisse auctor est Plinius, ut turmas equitũ idibus Ianuarijs olea coronarent. Quin & minoribus triumphis ouantes olea coronantur, quam ferè consuetudinem nostri calendis Maijs obseruant. Sed ex omnigena fronde, ut antiqui sacris in certaminibus alibi querna tantum, quam sæpè imperatores nostri, sed ex ilice quercus simillima ductoribus, ductorumq; militibus egregiè pugna defunctis imposuerunt. Cæterùm uel imperatorum siue poëtarũ omnium uenerabilior semper extitit laurea corona, quam sacram uel sacratam appellauerunt. ut Ouidius: Tempora sacrata mea sunt uelata corona. hoc est, Apollini, Iouiq; dicata: haud ignaua superstitione, quòd hanc arborẽ non frigoris, non superantis æstus uis exurat, ne fulminea quidem tela cõtingere audeant: ad hoc perpetuam uiriditatem, usumq; medicinæ, eiusdem frondis oleo baccisque: hinc & sapientis fructum uel certè musarum dulcedinem atque fragrantiam percipimus. laurea igitur tutela Iouis Phœbique uenerabilis. Sanè apud Ischinum Ferentanorum oppidum titu-
PVDENTI. lus indicat, L. VALERIO *PRVDENTI L. F. cum tertium & decimum annum ageret Romæ, certamine sacro Iouis Capitolini, lustro sexto, claritate ingenua coronatus est, inter poëtas latinos, omnibus sententijs iudicũ. ita de laurea potius intelligitur, cum eidem insuper adolescenti uniuersa municipalis plebs Ischinensium statuam ære collato decreuisset. Porrò lauream in simulachris proprijs impera tores

tores Romani semper habuerunt, & ipse Cæsarum Cæsar gestare uoluit perpetuam. Sed superstante lasciuia imperatores demũ solo Cæsareo nomine triumphãtes, ex auro coronam portauerunt, radiantibus tamen folijs ut lauri. Nostræ uerò tempestatis imperatores dicti à regendi quidem maiestate, non militari semper imperio: quorum alia ratio est quàm antiquorum: licet etiam Augusti Cæsaresque decora appellatione dicti, auream Romæ pinnatamque, uel certè in picturarũ honoribus pinnas cum signo crucis demonstrantem, ferreã, *Mediolani ex tenui bractea, paleaceam Alexandriæ, nostræ de more gentis, accipiunt. Hinc iam ad coronarum formas & qualitates accedimus. Cæterùm aliam regum cum pinnulis eminentibus, ut quotidianæ præ se ferunt imagines: quanquam ne illorum quidem principum qui ab Oriente Hierosolymam adorationis causa descenderũt, propriè coronæ sint, ut populari opinione figurantur. non enim illi reges fuere, sed magi, quorum nullum legitur diadematis insigne, nisi cum per fraudem aliquando, ut apud Herodotum est atque Iustinum, id magistratuum genus, sapientiæ nomine, apud eos appellatum, regnum sibi uendicarent. De regibus dictum: aliam principum coronam descripserunt. Sed cuiusmodi regũ primogeniti, seu magnorum principum filij natu maiores, uti nunc duces Insubriæ, uel Sabaudiæ dicti, coronã quidem auream, sed sine pinnulis accipiunt, intra circuli sui exteriorem tamen marginem cælaturam duntaxat ostentãtem. Suæ etiam summis pontificibus, ut uide-

Alij Modoetiæ uolunt, quæ Monza hodie dicitur.

tis, cum pinnis ac triplici coronarum ordine: suæq; minoribus coronæ, seu mitræ cum redimiculis datæ, quę propterea à poëta quandoque reprehenduntur in temporalibus, ut aiũt, dominis, cum id Barbatarum mulierum sæpè fuerit, & adhuc sacerdotum insigne gestamen, præter capitum rasuram, quam de patrio sermone pleriq; coronam appellant. Sed ad ueterum coronationes accedamus, quas à circuitu & ambitu coronas nominant: unde corona armatorum in muris, poculaque uino coronata. Solebat autem uetustissimæ coronæ uocabulum cum aspiratione describi, quam inde chorea dicta retinuit, corona deposuit. Strophium uerò græco uocabulo, strophiolaq;, præter stephanationem, ut sic dixerim, à ramorum frondiumq; intorsione, sertaq; dicta, à florum insertatione: quos cum hyberna tempestate negaret humus, ex fronde tamen uiridi intextas, coronas hybernas appellauere. *Nec dubium est Coriolani cognomen à coronatione. quinetiã stemmata aliquando dixerunt coronarum genus, quibus antiqui nobilitati sunt. Eodem Iuuenalem uocabulo haud dubiè usum pro coronis affirmamus: ut, Stemata quid faciunt? hoc est, ueterum coronæ, quæ nobilitatis insignia demonstrant. Quippe ob eam causam stemmata quoq; dicta sunt epigrammata, quæ tumulis inscribuntur, tanquam eorum nobilitatis coronæ quædam. de quibus Martialis: Tristia saxorũ stemmata delet herus. Cæterùm triumphales coronæ laureæ fuerunt, quibus imperatores exercituum in triumphis usi, atque sacrificijs. Obsidionalis est, quam obsidione libe-

Imò à Coriolis oppido expugnato, Coriolanus est appellatus, ut Liu. & alij testantur.

Satyra 8.

liberati liberatori suo donant, ut ex D. Sillano. T·R I. M. cognouistis, cui præter oblatos centum boues coronam imposuerunt: ea quidem graminea fuit, obseruariq; solitum, ut ex eo gramine fieret, intra eum locum nato, ubi clausi obsiderentur. Hac corona graminea S. P. Q. R. Q. Fabium donauit bello Punico secundo, quòd urbem Romam obsidione difficillima liberasset. Ciuica corona appellatur, quam ciuis ciui dat, à quo seruatus est in prælio, testem uitæ salutisque perceptę. ea ex fronde querna fieri consueta, quòd ex eius glande cibi fuerit usus antiquior: aut iligna, quæ proxima est: quod genus arboris Hispani frequentius habentes *Helignam nominant. & de huius generis corona Cæcilius Comicus: Adducuntur, inquit, cum iligna: hoc est, corona ex ilice. unde & Terentius, Pedibus ilignis lectulos faciundos dedit in sole: scilicet æstiua tempestate, qui ad umbram tamen portaretur. Sic ego Terentij locum eum interpretor, non ut quidam, pro pedibus tantum ligneis aut ferreis: secundum alios non ex ligno magis intelligunt iligneis congeminata l describentes. At Comicus ex ilice factos mensarum pedes intelligit, uelut in longiorem ætatem duraturos, quòd arbor suis frondibus per hyemē nō spoliatur: eadem tēpestiuè resecta teredine nō absumitur, nō aqua per multa tempora debilitatur. nec à Terentiana sententia Maro dissentit, qui greges iubet ilignis potare canalibus undā: non alia sanè ratione, q̈ q, incorruptius id genus ligni haberetur. Alij quidem æsculū propiorē quercui, quā quidam tandem ilicem exi-

forté, Enzina.

Georg. 3.

existimant, uel ipsam ilicem esse ut quercũ, sed mitiores glandes efferentem: ęsculeaque ideo corona maiores natu redimitos ferunt in choreis sacris psallẽtes, quòd esset antiquius glãs fago, ut sic dixerim, coronationis genus. nec ab Ouidio incongruè dictum de Apollineis ludis, quæ Pythia nominarẽt, à serpente: Et * esculeæ capiebat frondis honorem, Nõdũ laurus erat: hoc est, in usu militari uel poëtico. At Massurius Sabinus auctor est, ciuicam coronã tantum dari solitam, cum is qui ciuem seruauerat, eodem tẽpore etiam hostem interemisset, neque locum in ea pugna reliquisset, alioquin ciuicæ coronæ ius inconcessum. Tiberiũ tamen Cæsarem consultum, an ciuica corona dignus, qui ciuem in pręlio seruasset, & hostes ibidem duos occidisset, sed locum in quo pugnauerat, non retinuisset, ab hostibus illico superatũ: rescripsisse dicit Suetonius, eum quoque ciuica dignum uideri, quòd appareret tã iniquo loco ciuem ab eo seruatum, ut etiam à fortiter pugnantibus retineri nequiuerit. Hac corona ciuica *L. Cælius, uir censorius, in senatu Ciceronem cõsulem decorari à populo Romano censuit, quòd eius opera fuissent Catilinæ coniurationes dissolutæ: quæ res non uni tantum ciui, sed omnibus Romanis saluti profuisset. De corona ciuica Lucanus ait: Lælius emeritique gerens insignia doni, Seruati ciuis referentem præmia quercum. At Virgilius apud manes, Qui iuuenes, quantas ostentant, aspice uires, Atque umbrata gerant ciuili tempora quercu. Ciuili pro ciuica dictũ, eademq; Cæsar, ut Tranquillus affirmat, aliquando donatus

Metam. lib. 1.

* *Herculeæ*

* *L. Cælium Metellũ intelligit.*

Aeneid. 6.

natus parta triumphi uictoria. Erat enim illa dignus animi magnitudine præclarissima. Videtis quanta fuerit huiusce coronationis auctoritas, quam Plinius prodidit muralibus aureisque præpositam, semel acceptam perpetuò gestari licere, & gestanti huiusmodi coronas cum inirent ludos spectaturi, senatum assurgere solitum, datamque in proximo sedendi potestatem. Cuius generis coronam Africanum de parente seruato apud Trebiam, pręanimi magnitudine recusasse dicitur, ne paternam pietatem proprię uirtutis officio tenebraret. Contrà eius generis insigne Capitolinum sexies accepisse, sæpiusque honoratum fuisse. ergo ciuicam coronam militum insigne fuisse clarissimum, multæ produnt historiæ: clementiæ insuper apud imperatores, postquam ciuilium bellorum, ut idem Plinius asseuerat, profanatio uideri cœpit ciuem non occidere. Itéq; rostratis seu naualibus ciuicam anteponunt, quamuis in duobus maximè uiris illustres haberentur, M. Varrone, in Piratico bello coronante eum Pompeio: & M. Agrippa, tribuente Cæsare è Siculis bellis, quæ in ipsa fuere piratica. Muralis corona, est qua donatur ab imperatore belligero, qui primus hostium pugnando murum ascendit, non per furtiuas, ut sæpè faciunt, insidias: aut qui equo præuectus, & iaculo portam insessæ urbis irrupit. Castrensis seu uallaris corona eiusdem honoris est, qua commilitonem donat imperator, qui primus hostile uallum seu castra ui peruaserit, eam coronam insigne ualli gestaturum. Naualis, est qua donari solitus, qui maritimo certamine

princeps in hostium nauem armatus transilisset: non eius generis, de quibus Virgilius, Puppibus & læti nautæ imposuere coronas. Illæ siquidem ad nautarum festiuitatem pertinét: hæc quasi manu rostris insignita, ut in nautica pugna Lucanus accommodat. Muralis autem & castrensis, seu uallaris, atq; naualis, ex auro conflari solitę. Testis est Suetonius, Augustum dona militaria aliquanto facilius concessisse phaleras & torques, quicquid auro argentoq́; constaret, quàm uallares ac murales coronas, quòd honore præcederent: subditq́; M. Agrippam in Sicilia post naualem uictoriam non corona, sed cæruleo uexillo donatum. hæc ille. quanquam uictores in eo ludo nauales lauro tantum, & olea coronatos etiam antiqui demonstrarunt, simul ut uetustiora ipsa minori luxu freta constaret. Oualis corona myrtea, quam habebant qui ouantes introibant urbé, quando rem leuiter & sine cruore cõfecissent. hac subinde corona imperatores usi, qui ouantes, non triumphantes urbem, ut dixi, introirent, cum aut bella non ritè indicta suscceperant, néue iusto hoste cõfecta, aut hostium nomen humile, neq; ad triumphum idoneum, ut seruorum & piratarum, aut per deditionem repentè parta uictoria, huic ministerio apta: ideo Veneris frondem crediderunt, quòd nõ Martius, sed quasi Venereus triumphus appareret, ut sponsi nostris in nationibus eadem corona quondam, nunc ex qualibet fronde arboris semper uiridantis coronãtur. Hanc ex myrto coronam M. Crassus bello Spartiaco confecto, qui seruorum dux fuit, dicitur aspernatus:

Aeneid.4.

uerùm

uerùm S.C. permiſſum, ut lauro coronarēt eū-dem argenteæ coronæ repertoré: hoc eſt, laureis frondibus intextis cum argēto, ut Plinius aſſeuerat: ac Claudium pulchrū eas mox cælauiſſe, hoc eſt auro & argento cōflaſſe. Quo quidem uelut diademate principes & duces coronari ſolitos modò retulimus: ad hoc M. Catonem M. Fuluio nobiliori cognominato obiecisse ſubdit, quòd milites non temerè ut in luctante ſic exercitu, ſed per ambitionem coronaſſet, his ferè uerbis: Nam quis uidit coronā donari quēpiam milité, cum oppidum captū non eſſet, aut direpta hoſtium caſtra? Fuluius autē contrà coronis donauerat milites frondeis, certè non aureis, quòd uallum circuierāt, & puteos foderāt ſtrenuè. Cæterùm inter ſcriptores diſceptatur. nam alij ouantes equo uectos intelligunt urbem intrare ſolitos: Maſſurius contrà, pedibus ouanté urbem ingreſſum teſtatur, ſequente eum nō milite, ſed frequēte ſenatu. Idem auctor eſt, curru triumphantes myrto quādoq; coronatos: ac L. Piſo tradidit Papyrium Maſſonem, teſtante Plinio, qui primus in monte Albano de Corſis triumphauit, myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſōlitum. Auus maternus Africani ſequentis (hic fuit M. Valerius) duabus coronis uſus, laurea & myrtea. Hinc frequentioribus enarratis, ad aliarum genus coronarum utiq; magis extraneum peruenio, ut in primis mirandum ſit, an palmariæ unquā coronæ uiſæ, cum palmæ uocabulo tam pro ipſa arbore, q̄ pro uictoria frequenter abutamur: aut ſi uiſæ ſint, cur à nullo ſcriptore ſit proditum. Sanè Terentius inquit:

Id uerò est,quod mihi puto palmarium: quasi coronæ palmaceæ gestamen, & epitheton in-
Georg.3. dicauerit: cuius auctoritatem Virgilius nunquam effugiens adducit,Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas: quasi ex uictrice palma fieri coronas expresserit. nam antea dixerat, Victorq; uirûm uolitare per ora. ac palmata quidem toga cur dicitur, si non palmea corona triumphantes usos uolumus, cum Iouiali uesti similis fuisse crederetur? Triumphãtes siquidem Iouis insignia, mitrã & sceptrũ, faciemque rubrica illitam habuere,instar coloris ætherei: nostra uerò religio palmaceos ramos sacris martyribus asignat, ueterata Iudęorum superstitione,à quibus palmarum balsami,oliuarumq; frondes in sacrorum solennitatibus consternebantur: quę quidem coronę spineæ in Dominum Deum, nouis repertoribus,quas quidem iunceas fuisse putant,exitio fuerunt,quæ cum maiori cuspide nascũtur in Pontina palude. At priscos Quirites non spinea,sed spicea corona redimitos, cum Sabinas raperent, memoria proditum inter cerealia festa:quæ mox corona in Romuleis solennitatibus relata est,ipsi quoque regi exemplum dedisse spiceæ gestandæ coronę cum uitta candida,quam suis manibus Laurentia nutrix intexeret, eandem postremò apud Albanos Latinosque inter cęteras coronas celebratã. Sed & aliud coronę gestamẽ fuit uenerabile, quod ex ludis Virgilij nauticis siue funebribus accipitur,itidẽ redimiculis, sed purpureis insigni-
Aeneid.5. tum:ut,Puniceis ibant euincti tempora tęnis. Fuit & corona populea, de qua in Herculea

laude

laude nuper attigimus,&apud poëtas sæpè repetitur:ut,Herculea bicolor cum populus umbra Velauitq; comas: quæ ex Arcadũ temporibus dependebat, ac eadẽ iuuentuti fortitudinique consecrata.hinc & poëta iuuenile certamen explicuit:ut,Cætera populea uelatur frõde iuuentus.Hæc in præsentia de coronis habui,quibus Tito præcipuè meo satisfecerem. At Titus ipse iamdudum attentissimus, memorque hanc de coronis quæstionem sui gratia permotam:Habeo,inquit,præceptor mi,& illud coronarum genus non longè à * mitreis, uti modò meministi,dissimiles,quas,si tibi uideẽ,meritò Cupidineas appellemus,à diuo suo Cupidine,nocturnas atque florigeras, quibus *dominorum ianuas coronamus, quibusque ipsas uirgines donare solemus,& ab ipsis pari munere coronari. Hic Feltrinus eques hilarior,tum adolescentibus à se dilectis familiaris,tum cognita Leonelli ualetudine salubriore,cæsariem illi demulcens: Quid tibi ego,inquit ô Tite,retulerim pro talibus eloquentiæ tuæ meritis? totus ipse potius aureus Cupido es ille celebratus, & amoris mirificus instigator.

Aeneid.8. *Aeneid.5.* *Myrteis.* **Dominarum.**

QVOD VIRGILII VERSVS OMnium clarißimus, *Stat sua cuiq; dies,breue & irreparabile tempus* Omnibus *est uitæ,&c.non rectè accipi solet,si de die mortis intelligatur:sed perfectius pro temporis,in quo uiuitur,spacio.* *Pars* LVII.

PLeriq; iam dies abierant, & triduana febricitatio in principe Leonello quiescere

cœperat,cũ mors interea nunciatur Io ānis ex Petræ ſanctæ familia.Is Mediolanenſium nobili genere oriundus, conſanguineus & æqualis meus,quo cum primis eloquentiæ diſciplinis aſſueueram,preceptore Bracigia:adoleſcẽs excellenti ingenio, uirgineoq; pudore præditus,licet maritus,cuius apud principẽ Leonellum fides eminebat, ad quem iamdudum cõfugerat,paterna factione inuidioſus,cæterùm illi gratiſsimus,ad hoc preſtanti forma conſpicuus.nam eximiæ fuit proceritatis,capilliq, iucundi:nõ principis ſolum, ſed totius ciuitatis beneuolentiam attraxerat.Ita cum eius interitus omnib. luctuoſiſsimus inceſsiſſet,magnoque proſequentium ordine funus elatum, in primis tamen Leonellum ſtrinxiſſe creditur, quòd eius menſæ iamdiu conſuetus,quòd ſtudiorum omnium ſocius,ſociorumq; omnium chariſsimus extitiſſet.Quas ob res non tã mortis renunciandæ cauſa,quàm conſolationis afferẽdæ gratia,ſimul cum Feltrino comite è nobis plerique principis cubile ingreſsi ſumus, certatim conſolationes adhibitæ : non quòd ipſum uultu mœſtum eſſe conſtaret,ſed ut pro cuiuſq; familiariſsimi ſtudio gratũ piumq; ei præſtaretur officium,quem non ſine multa ſolicitudine altiſsimũ dolorem premere noſceremus: & cum Virgilij potiſsimum illata mentione,tanquam certiore ſolatio quieturus appareret,quidam uerſum diuinæ ſapientiæ protulit:Stat ſua cuique dies,breue & irreparabile tempus Omnibus eſt uitæ:ſed famam extẽdere factis,Hoc uirtutis opus. Quo audito carmine Leonellus letior uiſus,cubitoq;innixus

Aeneid.10.

recitan-

recitantē interrogat, quónā sensu crederet poētā elocutū. At ille, Quemadmodum à praeceptoribus didici (nec enim Seruius uel Donatus alio pacto uidētur intellexisse) mortis scilicet diem omnibus praestitutam, quā nemo queat euitare. Subridens Leonellus, non spontè excepit: At ego contrarium existimo, non mortis, sed uitae diem poëtam innuisse. Stupebant omnes, uelut prae moerore amissi socij, aut longa morbi patientia desiperet. Sed princeps dulcissima uoce, ut assolebat, tunc etiam fortè suā ob gracilitatem aegrotationemq́;, contracta sedulò monere, ut Virgilianorum sermonum proprietatem aduerterent: non enim diem pro ultimo positam, nisi ultima quòd eiusmodi constituta appareret, ut de Troianorum excidio mōstrauit, Quib. ultimus esset Ille dies: uel ut Ouidius adiunxit, Vltima semper Expectāda dies homini, diciq́; beatus Ante obitum nemo, supremaq́; funera debet. cuius generis & exēpli est in primis magnus ille Pompeius. Caeterùm nec ab Ouidio pro die mortis, quin pro ultima uitae portione dictum, uti circiter extremum annum uel mensem. etenim diem asseuerabat Leonellus per se nō mortem, sicut & lucem, sed uitam potius intendere, uitaeq́; spacium: unde aliàs pariter multam uel longam diē, pro multorū dierū spacio, hoc est, pro tēpore colligi: ut, Donec lōga dies perfecto tēporis orbe Cōcretā exemit labē. q̄ꝺ si epithetō exemeris, idē cōsonare, auctore Terēt. ut, Diē adimere aegritudinē hominib. sed Virgil. addi disse, quo umbrarū desideriū exprimeret. neq; enim hoc in loco ui sentētię subintelligi aliqd oportere,

Aeneid. 2.

Aeneid. 6.

oportere,ut diem mortis concedamus, cũ de toto uitæ curſu Virgilius eloqueretur,non uitæ termino:quod eſt de reipſa,ut logici dicũt, nõ de rei fine, * uel ambitu diſputare. Ouidiũ quoq; ſic intellexiſſe uiſum:ut, Filius ante diẽ patrios inquirit in annos:hoc eſt,ante naturale uitæ ſpacium.& * Anneum Melam non minus expoſuiſſe in Hercule: út, Par ille eſt ſuperis, cui pariter dies & fortuna fuit. ſic à ſe diem pro toto uitæ tempore ſpacioſe computari. Adijciebat quoque, ſic diem mortis accipi pro eo , Stat ſua cuique dies, non procedere, quod antea de Didone poſitum miſeram ſe ante diem interijſſe, non ſanè ante diem obire potuiſſe,ſi in ipſo die mortis occubuit:eiuſdem etiam Didonis in Æneam idem exemplum apparere,Sed cadat ante diem,mediaque inhumatus arena. itaque cum dies hic pro uitæ ſpacio accipienda ſit,mortuam reginam & Æneam conſtare ante naturalem uitæ terminum,qui uolentibus ipſis, uel certè ipſa Didone,facilè adimpleri potuiſſet. Stare ergo cuique diem ſuam Marone declarante,hoc eſt, uiuendi curſum, ac ideo ſapiẽtius appoſitum, Breue & irreparabile tempus Omnibus eſt uitæ,conſtitutum,quantulumcunque ſcilicet id uiuendi ſpacium poſsidetur. Et cum ipſa dies omnibus breuiſsima ſit, quemcunque niti oportere, ut famam factis præclaris extendat: idem à Saluſtio demonſtratum,ut memoriam noſtri uitæ data breuitate quàm longiſsimam faceremus.Hanc ſanè ſententiam potiorem exiſtimari dijudicabat.quod ſi Iupiter Herculẽ compellans inducatur,quem de Pallante mox inte-

Vel obitu.

Senecam intelligit Tragicũ.

Aeneid.4.

In procemio Catilin.

interituro consolari uelit, unicuique mortis diem constitutam, irritum uideri. Neque enim magis Herculem ignorare præcipuè diuum, de Pallante aliquando morituro, quàm Anaxagoram de filio latuisset, qué sciret esse mortalem: sed patrem Iouem rogare, ut amico hospiti uita protendatur, quam Iupiter satis concessisse demonstraret ad famam factis extendẽdam, si iá de multis hostibus parta uictoria fortiter pugnando moreretur. His ferè sermonibus cum paululum respirans Leonellus acquiesceret, eques Reatinus adiecit: Quid igitur, ô scientissime princeps, de pueritia, de infantiaúe morienti senseris ? quibus ætatibus per hunc uersum sententiamúe tuam diem nõ datam uitæ, sed mortis uideri constaret, uitæ sanè cursu denegato, quo famam factis extenderet. Ad quem Leonellus: Astutè colligis, sed idem ego spacium quantulumcunque per fatorum seriem ab omnipotente distributum arbitror, cuius omnia secreta nesciunt homines: sic dies unicuique stat sua, quamuis non gestorum gloria celebranda. nec enim omnes mortales par est eandem consequi uitæ munere felicitatem, de qua poëta in persona Iouis eloquitur: quemadmodum in cunctis arboribus, quas uoluit esse natura, non propria seruatur adolescentia: sed pleræque aut humana ui, aut bestiarum morsibus exiccantur, cum adhuc tenellæ sunt, alias autem tempestas uellit & occidit: rursus, nec omnes in ijs primo uere exclusi flores mollescunt, fruges quisque suas enitẽtes, sed plurimi ante diem disparguntur: demum nec quæ nouellæ fruges restitere, ad maturi-

turitatem omnes perueniunt:cum tamen omnia hæc,quæ natiuitati contraria esse uidētur, à naturali rerum ordine, quē Deus esse uoluit, non dissentiant. Verùm enim, quibus Dei gratia concessum,ut eam factis cōsequantur, quā modò dixi gloriam, ijsdem nihilominus uitā esse breuissimam intuemini,pro gerendorum inquam amplitudine,& mortalium cupiditate:qualis Alexandro quibusdamq; simillimis, qualis Ioanni nostro cōtigisse perspiceremus, cuius spiritus florentissima ætate è medijs bonarum artium studijs, omnium etiam fauoribus ex uiuis excessisset.

VT RIDICVLA CONTIGERINT SV- *per carmen Virgilij in Bucolicis: Stultus ego huic nostræ similem,quà sæpè solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus. & super particula Terentij in prima comœdia,Ne quid nimis.* Pars LVIII.

OMnibus principem hilariter excolentibus, quòd eximiè Virgilium percepisset, æquo inter nos consilio decretum fuit ,ut pleraque deinceps solatij gratia, commouendique risus excogitarentur: non quæ trita uulgariaq;,sed noua atq; iucunda, nec tamen extra politiæ literariæ constitutum.Itaq; Titus omnium gratissimus adolescens, idemque facetus,qui nouam se habere ludendi occasionē asseuerabat, coram Leonello dixit,se sibi uideri eum quàm diligētissimè Maronem intelligere:sed non æquè ut Palamedem præceptorem,qui Bucolica pueris legens (erat enim is ludimagister ea tempestate Ferrariæ,ri-

diculus

diculus senex, uti plerunq; solent pædagogi assidua puerorũ infestatione desipere) sæpè gloriari soleret, id opus totum mente sola percurrere, quod alij fortè, & quidem docti summi uiri nescirét. At Leonellus, Quid deinde? Tum Titus: Id cum sæpè in triuijs inter ęquales meos scire iactaret, diceretq́; rei fore testimonium, si uersum unum ei prædicerent, undecunque uellent, duos & plures se protinus insequentes additurum: idq́; à nemine fieri posse, nisi qui totum opus memoria teneret. Tum ego fortè superueniens: Ecce unum, Vrbem quam dicunt Romam, Melibœe putaui: redde tu cæteros. At ille confestim in pedes erectus adiecit: Stultus ego huic nostræ similem, * quà sæpè solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus. Ast ego rursum: Non igitur stultum esse satis fuerit, nisi te etiam stultum esse sciat alter. Ita cum te stultum planè professus sis, cur non omissis potius literarum studijs ad pastores ac nostros greges accedis? cũ quibus omnium fœtus & boues educas. digna res omnibus cachinnatione uisa. Nec minores subinde iocos Ioannes senior adiecit, alterius præceptoris non ignaui responsum subijciés: cui cum filium dedisset ad Terentianum opus audiendum, tardiq́; foret ingenij, paucis pòst diebus præceptorem interrogasse dicebat, an filius probè in Terentio, & quam partem in eo didicisset: ac magistrum respondisse, Optimè quidem, eam usque portiunculam, Ne quid nimis

In Tityro.

Quò.

QVOD

QVOD FRVSTRA DISPVTANT, *logicales quæstiunculas seu magis ineptias in media oratorum eloquentia iactantes, asseuerantesq́; magis propriè dici, Fui uel fuisse, quã steti uel stetisse, cum de præterito tempore loqui uolumus, ac tãquam de exacta re, non agente: eiusmodi præterita à sto stas, stationem utique perpetuam, ut ijdem inquiunt, non præteritum significare uideantur.* *Pars* LIX.

HÆc inter sese doctissimi uiri iocabãtur, cum quidam Eugenij summi pontificis nuncius cum literis ad Leonellum, qui sese stetisse nouissimè Florentię nunciaret, aderat, & pædagogus honoratissimi equitis liberos * præ se ferens salutandi principis gratia, uenientes: qui pro sui generis more, disputandique in scholis consuetudine, dixit se sibi iam diu uideri cognouisse sermones quosdam, in quorum explicatione etiam doctissimi uiri fallerentur, eisdem per improprium tempus abutentes. Id autem cùm sæpenumerò aliàs, tum in præsentia contigisse, eum pontificis nuncium, qui scientissimus haberetur, è Florentia profectum, dixisse, se Florentiæ stetisse, cũ non stetisset, sed fuisset. Admirabantur, arridebantque præcipuè Leonellus & Veronensis, cæteris eo magis addubitantibus, quòd interdum à ludimagistris admoniti fuissent, non propriè diei alicubi steti uel stetisse, cum tota eius præteriti temporis significatione, nisi in eodem adhuc loco remoretur, quòd ij sermones stationem semper uindicarent sine motus intercessione. nam quo modo statum esse dicebat, si recessum:

Præ se ferēs dixit, pro, præ se agens & deducens.

cessum:seq; non dubitare, quin Veronensis & princeps idem sentirent. Tanta nō modò grāmaticæ communis ignoratio, uerumetiam pędagogica insania laborabat, qui logicales inter oratorias artes disputatiunculas, interq; literariam politiam afferre ausus esset, tanquam in puerorum scholis disputaret. non enim aduertebāt pleriq; addubitantes per superfluas ambages à grammaticulo, imò à grammatico ne deludi, hancq; magistrorum ludi cum pueris inanem esse disputationem. nam inter ipsos & pædagogos altercatio est, alijs auriculas tantum hominum, aures autem cæterorum animalium afferentibus, quasi & aues piscesq; non multo minores habeant humanis: & tantum poëtam dixisse constat, Vocemq; his auribus hausi. alijs mutata significatione, aures hominibus, auriculas bestijs accommodantibus. Sic de labijs, labris & labellis, quæ ab auctoribus nostris indifferenter, si ut metri fert opportunitas, inferuntur: nec aduertere nōnulli qui aderant, eos sermones, steti uel stetisse, præteritum semper tempus, ut reliqua præterita significare. Itaq; cum satis impudenter Guarinū iudicem circumstetissent, absolutionem exposcentes, subrisit ipse, pædagogum prius interrogans, cuiusnam temporis sibi uiderentur illi sermones. cui magister, Nempe præteriti. At Veronensis: Quid igitur tibi uis, aut quid nos tibi credere præcipis? non propriè dico quempiam Florentiæ uel Romæ stetisse, etiamsi nō stet, qui aliquando steterit, quo sanè præteritum tempus significatur. Equidem non inficior, etiam propriè dici, fui uel fuisse: sed cur

F non

nō ſtetiſſe,ſi ſteterit, & ad prętéritū duntaxat tempus reſpectemus. itidem apud græcos au ctores uti latinos,hunc dicendi moré frequen ter agnoſcimus, uti modò in Græcis hiſtorijs de Alexandro legiſſe recolo, cum eos milites collaudare uellet,qui in acie fórtiter ſtetiſſent, στήσατε poſitum uideo,pro eo quod apud nos ſo nat ſteteritis.item iuxtà ὁς ἔστη,quód aliter inter pretari non poteſt,quàm qui ſtetit uel ſteterit. Quòd ſi Alexandrum de his dicere militibus exiſtimes,qui adhuc in acie ſtarent,finito tantum prælio:quàm ſtultiſsimū uideatur, quòd diſputas hoſce ſermones ſtationem ſemper in dicare.Sed uide quàm tu ipſe inſtabilis ſis,qui neque hic pro more tuo nunc ſtas,uerùm geni bus ueſtigijsq́; mecum loqueris, ac trepidans commoueris.Itaq; ſi dixeris, Vtinam Romæ ſtarem,uel Romę ſtabo:nunquid propterea te Romæ eſſe intelligamus?quòd ij ſermones ſta tionem indicent. enimuero tibi ipſi contradicis,locutionem intempeſtiuam afferens. nam ſi fortè Romæ ſis,& interrogeris,aut te ipſum interroges, ubi nam locorum immoreris: reſpondebis ne,Romę ſteti?an ſto potius dicendum ſit?Sed ueſtrū genus admiror,qui in uerborum enarratione præcipitis, quædam eſſe, præteritum imperfectum ſignificantia, ut currebam:nonnulla præteritum perfectum, ut cucurri:alia ſupra perfectum, ut cucurreram. In hoc autem uerbo ſto(nam huiuſmodi neutralia pariter ſunt)non eaſdem eſſe temporum ſignificationes aduertitis:ut,ſtabam,ſteti,ſteteram.Non negabat pædagogus, quoniam tam perſpicuum eſſet quod Veronenſis aſſereret,
quàm

quàm hominem non esse asinum, licet asinum esse uana garrulatione contenderent. Tũ Guarinus: Pro eo, qui Romæ fuerit, non incõgruè dici fatearis, Romæ stetisse, etiamsi adhuc illic non immoretur. Quòd si dictum non conueniat, ubi nam, aut quo modo hisce sermonibus utemur, cum de præterito tempore dici uelimus, seu cum de futuro, quod nõ minus distat à præsenti quàm præteritum: aut quando hic sto diceremus, si pro pręsenti steti & stetisse sufficiat: aut quo modo quicquam instabile, uel quenquam non stantem accipi posit, nisi prius quodam in loco uel tempore constitisse nouerimus. Quòd si hæc præterita pro pręsentibus ualere contenditis, quia stationem significent, alia quoq; aliorum uerborum pręterita, ut amaui, amatum, perpetuum amorem significabunt. Hic Titus non uerbis solum exultans: Quid, ô Guarine præceptor, in corrigendo pædagogo tantum operę consumis? An nõ hoc persimile est, ut de caprina lana contenderetuer? umetiam lora simul ostentans, manu pędagogum apprehendebat, sæpè rubescentem pallentemq́;, ut humeris suis uelut equitantẽ coram Leonello uerberandum exhiberet. Sed Nicolaus frater obstabat, simul dictis admonens: Quid hunc hominem detectis immeritò pudendis publicè flagellandum exponimus? non decet coram principe: sed ei gratias potius agamus, cuius pædagogica disputatione effectum est, ut & Leonello uoluptatem, & nobis risus iniecerit tempestiuos.

QVO PACTO VGOLINVS PARmensis, cuncta Italia saltator nobilissimus, ob id quòd equestri ordine donatus, ut eo stultus, insanus fieret, nec non corona laurea redimitus, librum attulerit Leonello principi de instrumento, arteq; coquinaria, qui multis cum iocis ab omnibus exceptus est. Ibidem de librorum bonitate quædam egregia. Pars LX.

DVm hæc cum risu iactarent, fortè etiam contingit, ut uoluptas maior accederet. Vgolinus namq; Parmensis, Plauti fabularum, Comiciq; styli strenuus imitator: is qui supremam uitæ partem uix quadragenarius insania perdidit, peregrinantium more degés, impexo capillo, promissa barba, cum à prima iuuéta ne satis quidē sanus haberetur; ad Leonellum de coquinaria confabulatione libellū attulit: in quo nouū dictu, sartagines, ollæ, cadi, uerua, & id genus instruméta, dialogico more de eorum usu disputarent. Cæterùm eum quidem libellū uenustissimè scriptum primo aspectu diceres. Audierat quippe de literaria politia institutionem apud nos, & iam doctissimorum sermonibus celebratam: inter quos cum seipsum esse iactaret, efficaciam tamē politiæ non intelligens, summopere studuit, ut liber ille à bibliopola librarioq; quā exquisitissimè foret elaboratus. Ita cū superuenisset splendidissimum ostentans librum, omnes eum circumstetimus, erat enim is homo cuncta Italia præcipuè, riteq; in externorum principum aula psallēdi studio nobilissimus, per quod eum nonnulli

nonnulli Cercopithecum literatum appellabant.& ipse nihilo segnius regalia sæpè uestimenta Pantomimorum cõsuetudine, & equestres honores acquisierat: omnibus matronis notus, quacunq; urbe uersaretur, omnibus laruarum ludis exercitus. Quinetiã ab imperatore nostro Sigismundo, uiro in donandis ueterum insignibus omniũ facillimo, ut laurea donaretur, paucis quidem uersibus impetrauit; propter quod uulgò sæpè pro laureato laruatum appellarẽt. Leonellus igitur in primis accepto munere gratulatus, haud quaquã amici fidem damnaturus apparebat. Cæterùm cum parumper librum euoluisset, deprehensa fortè sermonum quorundam improprietate, styliq; Comici inconuenientia (nam profectò ridiculus liber & ridicula comœdia, quam soluta oratione descripsit, minimè cum ueterũ comœdiarum artificio, hoc est, interiori medulla cõparanda) Guarino legendum porrigit: omnes quippe uidere sitiebant. At Guarinus tacitè legens, subridẽsq; alij deinde cõtulit: alius Thomæ Reatino. innuebant omnes, renuebantq; uicissim alludentes. Tunc Parmensis in Reatinum uersus; Quid nam ridiculi hoc est? ludus ne ipse uideor, an liber meus? At Thomas: Vtrũq; scilicet. an nõ ideo processisti huc, ut tui operumq; tuorum uoluptatem nobiscum impertires? Num librũ nobis unctuosa fuligine, sartaginibus & coquinarijs ollis redolentẽ attulisti? & sanè multa sic ineptius posita sunt, ut incongruo loco, tẽpore & personis, opus tale deportasti; cum nihil nisi perpolitũ tam audire quã uidere proposuerimus. Tum Titus: Vide

Sigismũdus imperator qua in re liberalis.

quid agis, ô Thoma. non enim rectè hominem reprehēdis, cōgruo sanè tempore librū suū nobis afferentem, qui risum & delectationē potissimè cuperemus. At Vgolinus iamdudū iræ innixus: Credo uerò, inquit, ita contingere, ut apud Platonē de Socrate dictum ferūt. Viderat enim fortè latinā traductionē de repub. opus mei genitoris Vberti Decembrij, quędā esse animalia, quæ licet obtusioris sint uisus, ipsaq́; minima, tamen aliqua contuentur, quæ cętera & grandia acutioris uisus non aduertunt. Quā obrem non mirū, si tu quoq; Tite. nā de Thoma nunc sileo, qui alterū Senecā te esse demonstras: nonnulla uideris, quę ego uidere neglexerim. sed postulo, cū prius liber meus in Leonelli manus, Guariniq́; peruenerit, cur non eyus ipsi, utiq; literarum peritissimi, deprehenderint. Cui Titus: Nempe ut tute ais, tuiq́; exēpli immemor, quòd obtusior mihi uisus es: animo tamen inspexi, quod alij melioris acuminis uidere non potuerunt, uti modò Socraticā astutiā, tanquā foueā mihi præparabas, in quā ipse cōcidisti. Sed nunquid à Seneca fortè exēplum habes de legendis tractandisq; libris? nā mihi tu potius uideris tertius Seneca. Imò uerò, Parmēsis excepit, librorum multitudinē inprimis uitandā admonet, quòd animos distrahat. Titus: In qua tandē librorū opportunitate literariā constare politiam arbitraris? in scripturáne potius, an codicū tegumētis? Ad quē Vgolinus: In utroq; scilicet ornamēto. Titus: Quodnam igitur genus scripturæ decentius existimas? Vgolinus: Nempe ut in hoc libello conspicitis, quē summopere curaui, ut quàm pulcherri-

Vbertus Decēbrius, huius Angeli pater.

pulcherrima ſcriptoris manu ſcriberetur. Vę ti bi, Titus inquit, cũ hac tua uulgariq; ſermonũ corruptione: ſiccine ſcriptoré appellas, qué librariũ dicere uoluiſti? Vgolinus: Imò etiã à librario nõ min' impetraui, ut uenuſtiſsimè cõ paginaretur. Titus: Quid tibi reſpondeã cum tuis tot ineptijs? inſuper librariũ declaras, qué bibliopolam ſeu librorum cerdonem ſignifica re debuiſti. plenus rimarũ es, hac illac perfluis. Sed perge quæſo, an hæc librorum politia om nino ſit exiſtimanda, ſi quàm pulcherrimus li ber exterius, interius uerò perunċta uerua, ſtri dores ſartaginũ, gementes cacabos, fumificos ollarũ uapores exhalet? Vgolinus: Nã quid igi tur in equo uel re qualibet perpolitũ cenſeas, niſi quòd oculis perpolitum apparet, etiãſi na res offenderit? offendit & nonnullos in hortis abſynthium, quod oleribus tantũ nõ *indecori eſſe conſueuit. Nec enim aſinum ſuum domi nus etiam aperta uia pigrum calcaribusq; egé tem, ac graui rudentem ſomno, contempſerit. Cui Titus, ridentibus cæteris: Proh deûm atq; hominum fidem, quæ audio, & quæ nunc paria prorſus, conuenientiaq; protuliſti. hoccine eſt de politia diſputare, cum tam turpia immũ do ore uomueris? Sed non neſcimus, quanta iampridem ſeu obſcœnitatis petulantia, ſiue inſaniæ dedecore notatus ſis. at hæc miſſa faciamus. Reatinus eques excepit: De librorum potius qualitate diſputemus, nõ enim de codice nos ſeu cortice ſolum intendimus, non de chartarum leuitate uel pictura. Omnia nãque eiuſmodi, quæ exteriora dici par eſt, & oculorum imperio ſubiecta, in cunctis ferè

Forte, decori, ſeu dedecori.

uindicandis comparandisúe conueniunt. Nã etsi equus asinusúe, ut modò dicebas Vgoline: siue etiam inanimata, ut domus, indumentum, usitatissima sunt, non statim tamen aspectu dijudicantur. Quędam uerò non tam uisu, quã gustu, uel etiam odoratu: sed uisu tamẽ eadem ut plurimum ita comprehendi solent, ut si quamprimum placeãt, bona quoq; esse, & in suo genere perfecta uulgò censeantur. At in libro longè aliter. potest enim esse Liuianus codex, Tullianus, Virgilianus, uel ex optimo quoq; auctorũ numero: deniq; corruptus, & ab ignauo librario discerptus, quã descriptus magis. licet uerò quod manib. tangas euoluasq;, quodq; oculis repentè cõueniat, uenustissimũ apparet sæpenumerò: nihil tamen existimatione dignum est, nisi quod scriptura cõtinuerit: ut nisi quæ legas prius, & quæ legis intelligas, de eo firmiter iudicare nõ possis: cum accidat interdũ, ut deformis in chartá liber, optimus sit in literatura, dignusq; frequẽter legi: & qui pulcherrimus integumento uel characterum figuris, abijciendus omnino uideatur. nam si uersus aliqui deficerent, aut ineptè quędam reuoluta mutataúe, ut bibliopolarum ignoratione cõtingit, quo pacto solo uisu repẽtè dignosceres? at in asino, arcula, uesteúe, & id genus cęteris, illico cernere est, si oculus effossus, si truncæ aures, si ueternosus, aut claudicet, ad hoc si rimosæ in arca tabulæ, si in ueste macula uel tinea: longè alia ratio est, longeq; præstantior, sensus scilicet descriptionis in libro quàm in homine, quem extrinsecus, nisi pertractando uix agnoueris. ergo libri sensus ad ani-

mi iudicium non magis pertinebit, quàm ea quæ exterioribus ac ueluti corporeis rebus ſuſtinentur? Nam ſi præſtantem uirum, formoſam mulierem uideas de corpore ſolum, neq; uerò de corpore toto, niſi Paridis exẽplo, perſpexeris, non tamen de mente tibi ſit exploratio. Quo quidem argumento tantum liber libro bonitate præſtabit, quantum à poëta laureato laruatus: uel quantum hinc Platonis Ariſtotelisque opera in papyro miſereque ueſtita perpendas, illinc Scoti cuiuſdam (ut uocant) pulcherrimè ueſtita atque compacta, uter tandem magis accipiendus? an Homerum quidẽ exiſtimes de carmine ſuo, qui cæcus fuerit, ſeu aliorum poëtarum, quod ſola mentis experiẽtia percipitur, ſententiam afferre potuiſſe? niſi quid excellentius in libraria deſcriptione conſiſteret, quàm quod oculis cernitur, manuque tractatur. Erubeſcebat haud dubiè Parmenſis, alioquin philoſophiæ naturalis, logicæq; doctrinæ conſcius: cuius ſtudio meminiſſet, quædam ad corporeum ſenſum, alia ad animalem pertinere: porrò quædam de mentis intuitu eſſe, quæ communiter beluis hominibusque conueniant ſolius naturæ miniſterio: nonnulla uerò doctrinæ tantum, rationisque ſubtilioris artificio ſubiecta. quæ quidem genera Saluſtius oſtendit, alterum nobis cum dijs, alterũ cum beluis commune ſignificans. Cæterùm diſputationis finem aliò contorquens Vgolinus, ſubdidit, non opportunam ſibi datam reſponſionem, quòd à Senecæ propoſito diffugiſſet. Cui Titus: Denuò ad te, Senecamq; cõuertor. putás ne in græcis latinisq; diſciplinis *In proœm. Catilin.*

nonnullos auctores esse huic tuo libro præponendos? Parmensis: Quid ni? equidem multos tumultus hominum undiq; concludens. Ergo cum librorũ multitudo cauenda sit, ne tu quidem, nec tui generis similes in nostro politiæ consortio recipiendi, cum plurimi sanè præstá tiores existant, qui facilè tractari possunt sine tuorum operum*interpositione. Ita per risus & sales dies ille transactus.

QVOD EX OPERE CASSIANI, *seu quod de uita patrum inscribitur, perceptum est ex uerbo Adiecit, duplicem per contrarium sententiam, & id quidem facetè.* Pars LXI.

RVrsus in iocos fabulosaque cõuersi, quippe solicitam principis ualetudinem, quę tamen iampridem abierat, uarijs sermonibus reficiebant: eoq́; peruentum, ut tenuissimum uictum longasque uigilias simul admirarentur: cum unum causa fuisset alterius, super omnia quàm longissimam sitim, totiusq́; corporis ęstuationẽ, perpetuò tolerasset. Tum Nicolaus Stroza, Titi frater, natu maior scilicet: Hoc, inquit, effecit moderati uictus cõsuetudo: Catonemq́; priscum ideo sola inedia curari solitum accepimus, quòd parcissimi cibi fuisset, pharmacorum ope nil indigentem. Plinius uerò maior dicit, nihil perniciosius ad uitam hominis perdendam crapula, & simplici cibo corpora diutius contineri. Cæterùm legisse memini quoddam notabilis continentię parsimoniæq́; genus ijs libris, qui de sanctorũ patrum uita describuntur, quendam ex ijs eremi-

remicolis,cum ægrotare cœpiſſet,oleum oleribus adieciſſe:per quod deprehenditur, ſiue elixas ſiue non coctas herbas, ſine pingui condiméto antea uſum eſſe.Laudabat monachi cótinentiam Leonellus,ridebant quidam miſeri ſenis in deſerto ſimplicitatem.At Titus mirátis in modum laudabundi ſubiecit: Hui uide, quid ais frater? non enim ex hoc uerbo Adiecit,ſolum intelligamus,tum demum oleo frui cœptum eremicolam,cum ægrotare cœpiſſet, ſed oleum oleribus iterum appoſuiſſe.nam adijcere non minus ad menſæ inſtaurationé ego puto pertinere: quamobré oleo prius uſum ego cenſuerim,ſed inter ęgrotandũ, ut fit,copioſior drachma ſuſcepta, ſeu ad ſtomachi indulgentiam,quod equidem minus: ſiue ad aliam ſolutiorem medicinam,quod magis exiſtimo.

DE QVIBVSDAM ERRORIbus ludimagiſtrorum,in Ouidio Lucanoq; inueteratis: ac nonnullis ibidem per Leonellum ſcienter emendatis, ac philoſophicè diſputatis. Pars LXII.

CVm ergo de notabili potatione,utrorũque parſimonia maximè diſputarét, placuit Leonello,ut ea ſibi repeterent, quæ de placáda ſitis anxietate,ſicut expreſsius poëtæ noſtri ceciniſſent. Adhuc enim illius priſtinæ ſitis reliquiæ conſtiterant: accedebat præterea,ut in edendo aliquantulũ foret auidior, quod ſolet ex longa prius abſtinentia conualeſcentibus euenire,cuius rei cauſa ſitis maior accederet.ad quem protinus Titus Ouidiũ Metamorphoſeon, & Lucanum iuſsit afferri, ibi ſe de-

se demonstraturum pollicés de sitis expugnatione exempla precipua: quorum unum in polentæ decoctione liquida, alterum in aquæ frigidæ pleno haustu consisterent, ita cum de pestilentia fortè partem illam comperisset, ubi Myrmidonum ex ea calamitate recuperatio facta legitur, Leonellus abhorruit. Eo iam enim ex tempore tanti casus in principe repentè morituro, infelicitatisque presagia monstrabantur: dixitq; non illam ibi uideri mortaliũ in sitim expugnationem, sed sitis in homines, quibus omnino perituris neque fontes neq; flumina sufficerent. Continuoque alia portæ pars inquisita, ubi placante sitim Cerere, puerum sibi conuiciantem in stellionem polentæ conspersione mutauit. Ibi tum carmen offenderunt, quod ab omnibus ludimagistris corruptè legitur, ab omnibus librarijs itidem prauè describitur: ut, Paruaque mitior mens mala certa est. Tum Leonellus: En uidete, inquit, ut imperitorum ineptiæ passim euagentur, quas sæpenumero præcipitare necesse est. cũ enim legi scribique debeat,* Paruoque minor mensura lacerto: lacertam opinantur accipiendum. Tantam adeò unius literæ prauitas affert dissonantiam, non aduertentes ineptissimè positum de stellione, cuius mensuram poëta diceret minorem esse lacerta, cum triũ ferè lacertarũ, quas nostræ regiones in terris alũt, mensura sit grandior. Adhæc, cum lacerto legendum sit, non tamen de lacerto serpente uiridi, licet de stellione tractet, interpretandum: sed ipsum stellionem, qui & lacertus est (&, Nunc etiam uirides occultãt spineta lacertos) mino-

Metam. lib. 7.

Met. lib. 5.

Metam. 2.

ubi, parua lacerta, legitur.

minorem paruo brachio demonſtrat. Eſt autem eius generis hic error non in ſermonũ, ſed ſententiarum improprietate deteſtandus: cum nonnunquam in ſcriptoribus dicta conueniunt, quæ uidentur, niſi diligentius attenderis, in partem etiam alienam poſſe deflecti: ut in Saluſtiana quondam diſputatione apud Belreguardum explicaſſe memini, ac nonnullis Virgilianis partibus cõtrario modo ſuſceptis. Subinde ex Lucano Titus accuratè, ut ſcriptũ erat, legit, quæ de tantæ ſitis ardore in Pompeiano exercitu, ducibus Petreio & Afranio ornatè philoſophiceque pariter deſcribuntur, poſteaquam ſitim illam in Ilerda fluuio reſtinxiſſent: ut, O prodiga rerũ Luxuries, nunquã paruo contenta paratu: Et quæſitorum terra pelagoque ciborum Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ, Diſcite quàm paruo liceat producere uitam, Et quantum natura petat. Ita cum utrobique Paruo ſcriptum aduertiſſet Leonellus, hunc locum ipſe corripuit: Ecce aliud erratum, inquiens, alteri perſimile, à librarijs quàm à poëta magis, ut opinor, ubi dictũ, Nunquam paruo contenta paratu: cum parco melius diceretur, licet alterum ab altero pendeat, ut lumen à funali & lampade: inter ſe tamen diuerſa. quippe quod parcum eſt, non multum id magnúm ue appellamus: ſed ſatis, quòd à modeſtia non ſeparetur. Proinde Parco melius ſuperiori loco dicendum, ſi rerũ ordinem conſideres, per quem is poëta Romanę nobilitati perſuadere nititur, ut ſæpè Saluſtius, ut parſimoniæ conſueſcat: cum multi ſanè principes ciuitatũ, præſertimque ipſi imperatores

tores paruo, honoris gratia uiuere nō possent, quibus familia frequens, ampla domus, assiduus clientium & hospitum commeatus. Cæterū paruo sumptu potest quis assuescere parsimoniæ fræno, quam nunc modestiam accipimus, cum nihil profuse dispenditur: ideoque bene subditum, Pelagoque: licet multi indifferenter accipiant, metrica ratione contenti. sanè prius terra legendum, deinde pelago, ad gulæ scilicet uehementioris notationem. de qua
Satyr.5. sæpè Iuuenalis: Postquam omne peractum, Et iam defecit nostrum mare, dum gula sæuit Retibus assiduis, & optima syluarum terra pelagoque uorabit. Quamobrem sic aptè concluditur, Discite quàm paruo liceat producere uitā: quod à natura datum iudicatur, quodque ab illorum militum exemplo demonstratur, qui non paruo solum potationis impendio, sed etiam minimo, uitam sibi peperissent. Quippe si dictum uolueris, Nunquam paruo contenta paratu: cum isti paruo contenti essent, nō modestè procedit, urbanos ideo * temptaturos, q̃ in summa necessitate exercitus facerent: sed cum Pompeiani tam paruo salutem inuenissent, omnes propterea decere paruo esse contentos: innuitque præcipuè Lucanus antiquorum morem, qui per ea tempora cecidisset, ac pro ridiculo iam haberetur, quibus prçsertim parcissimus fuerit usus, * mulieribus nullus. Quòd si in Virgilio legitur, Paruoque assueta iuuentus: opportunè quidem ab eo conuiciatore dictum, qui contra Phrygias parcissimas gentes suum morem exaggeret, apud quas nō domi senatum, non nobilium luxuriam, nō familiæ

temperaturos, aut tentaturos

Locus haud dubiè corruptus.

Aeneid.9.

miliȩ magnitudinem fuisse demonstrat. Assentiunt omnes læti Leonello. Quibus ille subridens, tamen ne hoc à se dictum nouæ parsimoniæ causa, & solitȩ familiaritatis interdictione putaretur, omnibus condita bellaria, poculaq; liquidissimo uino coronata iussit afferri.

QVOD OMNIBVS POETIS, *antiquisq; scriptoribus minimè Iouem deum summum fuisse eum, scilicet qui Saturno parente genitus, quamuis uel sic multitudo crederet, uel sic ab eis Saturnus deorum hominumq; pater, seu omnipotens appelletur: sed solius nominis gratiam diuinæ potestati accommodatam, quia Iupiter uti iuuans pater interpretatur.* Pars LXIII.

HIc hilarius inter potandum alia aliorum uicissim poëtarum carmina referebant studiosa pro se quisque æmulatione. Tũ Augustinus monachus, ordinis Minorũ, summa grauitate præditus, homo uitæ penitus religiosæ, qui apud populum more uernaculo frequẽtes habere soleret declamationes, cum tanta carminis uoluptate, iuuenilique lasciuia perspiceret (nam fortè superuenit) ueterũ poëmata cõmendari, in Titum primùm inuectus: Itáne fili, inquit, uanis te gentium disciplinis assuefacis? non pœnitet tandem? non pudet? Tum in Leonellum doctè quidem: In primis admiror princeps, qui pij cordis diuus à nostris appellaris, quamobrẽ tantũ in explicãda excolendaq; poësi curam adhibeas, in qua nulla de ueri Dei cognitione, non purgatorij, non

paradisi, excepto Dantis opere, mentio fit: plurima uerò de gentilium ritu nefario, de dæmonibus turpiter, de inferis ad inferosque pertinentibus: ad quos penitus nos omnis illa præcipitauit antiquitas, cuius idololatriam & impietatem in deos uelut escam dæmonum, seu bonos siue malos ipsi dixerint, nostra religio detestata est. Siquidem à poëtis, & priscæ tempestatis auctoribus uel oratoribus, pro omnipotente Iouem quendam existimatũ credunt, quem illi falso optimum maximum, ac teste sępè Hieronymo ac redarguente, sæpius increpante, nuncupant, hominum rerumque seruatorem iactitant: cum nihil creauerit, ipse autẽ creatus & factus, omnibus uitijs inquinatus, mortuus aliquando, nõ aperto resurrectionis uel quopiam miraculorũ testimonio. Enimuero benefecisse nonnullos aduerto ex summis pontificibus, qui id genus ueterum scripta, & uanæ superstitionis monumenta abolenda curauerunt. Ad quem Leonellus ore submisso, uoce modesta respondit, nulla se ueterum lectione inflecti solitum, quo à nostræ legibus patriæque religionis instituto decederet: idẽ se putare nostros ipsos, in primis summos põtifices, ac nuper Eugenium, Nicolaumq; quartos facere solitos, qui nihilominus cum sacris quoque scripturis refertissimas ueterum auctoribus bibliothecas habere curarent, præceptores educarent egregios, à quibus interdũ Romanas, nonnunquam græcas historias, sæpè poëtarum fabulas audirent, in quibus pleraque de dijs & Ioue memorata: eosdemque sacros uiros talium auditores ueteres ipsos,

Eugenius & Nicolaus pontifices, eruditorum fautores.

qui

qui ea de Ioue Saturnoque figméta posuissent, seu qui Iouem Saturnumque omnipotentem uel maximum appellarent credere,non credidisse. Quòd si uulgus credidit, non doctos tamen homines uulgari opinione adhærere cõsuetos,qui scirent non Iouem ipsum magis filium quàm patrem Saturnum in cœlo positos, qui duntaxat homines fuissent: non aliquem deorum uel dæmonũ tot liberos,tametsi plurimæ matres extitissent, tam uarijs præsertim seculis generasse. Sed cum Iouem parentem fictum audirét, cuius ante Saturni secula nomé non esset inuentum eorum,quos ita uoluit popularitas Dei filios appellari,& in astrorum numerum efferri,easdem poëticas fictiones,quarũ primi Græci, mox Latini fuissent magistri, pro uulgi sermonibus à scriptoribus accõmodatas,edidisse: Terentiumq; propterea dixisse, At quem deum,qui cœli summa concutit:hoc est secundum popularem eorum opinionem. Cæterùm seu Iouis, siue Dei maximi omnipotentis,terrarum cœliq; satoris cognomina, ita maiores nostros, ut ex Homero præcipuè deprenditur,Deo non uoluisse concedi,quòd ea summa deitate,ut sic dixerim, necessariò conuenirent: sed quòd nullum eius nomen proprium sanctius, uenerabilius, magnificentius, quàm Iouis,seu Græci seu Latini,hoc est iuuantis patris,aut uno sermone, uiuificantis, excogitare potuissent. Sublata uerò fuisse nostræ religionis edicto Iouis, aliorumq; deorum uocabula,præter ea quæ in usu habentur,ut astrorũ & temporũ,ne cum gentiliũ * uetustate Christianorum nomina miscerétur. hocq; in primis uanitate.

G argu-

argumēto princeps asseuerabat à Hieronymo poësim reprehensam, quo scilicet nostros uehementius absterreret à consuetudine Iouem omnipotentem appellandi: nempe doctissimum & sacrum hominem, tot linguarum artiumq; peritum, quæ græcæ doctrinæ significatio esset, quid ueterum poëmata demonstrarent, non ignorasse. Ita Lactantium, Augustinũq; percipere potuisse, qui Sibyllinas uaticinationes testimonio adducerent. Nec minus Eusebium re & nomine sanctum piumque uirum in ijs libris, quos contra gentilium sectas scripsit, memorię mādauisse, Iouem ipsum uniuersæ gentis spiritum, non quidem ut Saturni filium ab eisdem antiquis, ubi coleretur, interpretatum. His finientem Leonellum, Veronensis excepit in monachum cæterosq; cōuersus: Decet uos cognoscere, ecclesiastice pater, ac præstantes uiri, quod sæpè hortatus sum, uocabulorum uim sermonumque, tam in sacris quàm in cęteris literarum disciplinis à Gręcis haberi, ut qui omniũ artium inuentores, uel certè cultores omnium scientiarum, magistri nobis extiterũt. Hæc igitur Iouis appellatio, in qua præsens magis disputatio uersatur, deorum patris, mundiq; satoris, seu Dei optimi maximi omnipotentis, ut modò dictum, siue quæcunq; hoc in genere uocabula conueniētius dici possint, ad unam tamen spectant Dei illius ueri quem colimus, eiusq; immensæ maiestatis significationē. unde Ouidius sapienter in mundi creatione: Quisquis fuit ille deorum. cum unũ tamen Deum summum, maximum, omnipotentem indicaret, & alium sanè Saturni filium, de

Metam. 1.

quo

quo post rerum creationem fabulosius poëtarum more proloquitur, tametsi à principio nō Iouem atque Saturnum indicauerit. cuius quidem nominis greci auctores extiterūt. nam apud eos ζεὺς simpliciter, quasi iuuans: qui à nobis postea composito uocabulo Iupiter, & quidem Tulliana definitione, uti modò Leonellus memorauit, iuuans pater appellatus. Nam quòd ab Homero ζεὺς, & πατὴρ sit additum, itidem iuuās pater interpretabitur. Nec ideo Ciceronem arbitremur inconsultè, ut nonnulli inconsultius accusant, Iouem omnipotentem accepisse pro Saturni filio: quod uocabulum illi uiro, Cretensium regi ueteres concesserūt, ab eodem uicissim usurpatum, & ab Homero cæterisq; poëtis pro Saturno positum: nominatur ob eius humanam magis in terris ambitionem, ut mos est principum, quàm in cœlis potestatem: ita ut Saturni filium alio tamē nomine composito ζηνόγονον dicerēt, à simplici distinguentes. Qua quidem ratione aliud esse uocabuli definitionem, aliud ipsum hominē existimamus. Igitur moralitate dimissa, de appellatione dicendum, in qua controuersia est. Iouis namq;, seu ζηνὸς Græcè, nominationem à uerbo ζάω, pro eo quod est uiuo, quod satis liquet: nempe correptius à Græcis atq; simplicius iuuans tantum, quàm Iupiter à nobis, sed magnificentius iuuans pater exponitur: unde ab ijsdem Zenobius nomen tractum, quasi interpreteris, Iouis uita, uel beatitudo, quæ itidē ζῆν dicitur. quo pacto Iupiter & uita beatitudó ue, eademque anima, & pro animo spirituq; rectissimè exponamus, cum uerbo iuuo,

paruo inter ſe literarum ſenſusq; diſcrimine conſtabit. nec longo interuallo Iunonem eius Iouis idcirco ſororem uxoremq; finxere, quã græcè tamen ἥραν, & nos herã eadem uoce con ſonamus, unde heroës & heroides: ſed Iunonem ſeorſum à iuuando ſimiliter appellatam. Nam ſeu ſummum æthera, ſiue inferiorem aëra conſideres, utriq; ipſorum domicilia, ad om nium rerum uel iuuamentum uel incrementũ aſsignantur. Qua ratione par eſt à nobis Ieſum Dominum noſtrum ſeruatorem, quem Græci tamen alio uocabulo σωτῆρα dici uolunt, intelligi. nam Chriſtus alia ſignificatione à chriſmate, hoc eſt unctione, qui mos ferè in noſtris inaugurandis regibus obſeruatur. Ergo cùm ueterum ſæpè teſtimonijs, tum maximè Virgilij, Iouem & deum æquè poſitum uideamus. nã
Aeneid. 1. dixit: Dabit Deus his quoque finem. & alibi,
Aeneid. 2. Iuppiter omnipotens precibus ſi flecteris ullis, Aſpice nos. nobis quid Deus ſonet, aperiẽdum. Cæterùm hoc quoq; uocabulum à Græcis duplici ſenſu definiendũ uidetur. aut enim à uerbo θεωρῶ deſcendit, quod ad perſpiciendũ ſpeculandumq; pertinet utrunq;: uel quòd eũ nos intellectu perſpicimus ſolo, uel quòd ipſe uideat. unde illi aſpirãtes θεὸν, theum, nos pro θ litera d ponentes, deum dicimus: aut à δέομαι, quod timeo ſonat, δέος timoré ſignificãs: eo quòd ſit omnibus timori, uel certè dignus timeri. quouis pacto ad religionẽ ſanè ſpectabit. nam quamuis σιὸς Æolicè dictum, unde Sibylla diuina ſciens & ſentiens, idem tamen in tendit. Iamq; διὸς, Iouis nomen, idem ut dei uo cabulum eſſe, Hiſpana appellatione, ſiue Græ-
corum

corum ipsa grammatica cognoscitur: ut ab Homero sæpè, eoq; loco precipuè, τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν: hoc est, somnium ex deo uel Ioue est. sed ipsi in generandi casu componunt. Qua ratione copulata nomina deum Iouémue manifestant, ut Diogenes, Iouis uel dei genus: Diocles, ut idem Homerus, Iouis uel dei gloria, qui ab Alpheo flumine diuinum uel generosum ortum duceret. Nam alioquin in recto casu generosus est, qui à nobis dius uel diuus nonnunquã dicitur, uelut ex Ioue uel diuino semine genitus: ab Homero sępè magnis illis heroibus assignatum, & à Virgilio transumptum: ut, Diua Camilla, uel dia: dij etiam Hectoris equi, ut generosi à domino suo compellantur. Ita Dianam Iouis filiam, ueluti Iouianã dici quis ambigat? Quis diem quoque à iuuante luce, diuinoq; munere nominari, quemadmodum dato rem uitæ uel spiritus nuper demonstratum? nam ut Diespiter itidẽ græcè latinéue dictus, * die uel lucis patrem indicabit. Quibus rationibus Iouis dei, diuiq; seruatoris, & iuuantis patris seu uiuificantis, simulq; Iunonis & Dianæ, generosi dijúe, ac omnia uidentis, uocabula fateamur necesse est consortem habere significationem, minusq; in poëtis Virgilioq; mirandum apparere, Iouem pro deo significatum, ut diuinè dictum appareat: * A Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena. Quod alij fortè superstitiose dictum existimant, ipsi magis superstitiosi. nam quæ mundi uel rerũ principia à Saturni filio crederentur? an tam stolidè poëtam scientissimum de Cretensium principe credidisse putemus? Et illud: O mihi præte-

Iliad.1.

Die, pro diei, ueteres dixerunt, ut Geor. 1. Libra die somniq; pares.

Palæm. Ab Ioue.

Aeneid. 8.

teritos referat ſi Iuppiter annos. Neminē profectò tanta facere poſſe, præter unum Deū arbitramur, cum de Medeæ magica ſatis fabuloſa ſint. Ita cum pluuiam de cœlo deſideramus: ut, Iuppiter & læto deſcendit plurimus imbri, pro Deo nō ſuſcipitur, quanquam & hoc propriè mireq; ad Iouialis aſtri naturam: quod idē Iouis uocabulum eo in loco rectiſsimè potuit apponi: ut, Dabit Deus his quoque finem, ſi metri ratio pateretur: ne miremur poëtas Iouem deumq; pari tenore pro deo demonſtrare, quem omnium maiorem & omnipotentē meritò crederent. Cæterùm religioſe pater, cū ab eiſdem modò coargueres nullam omnino de purgatorio paradiſoq; fieri mentionē, tametſi ſatis ad defenſionem ſit, eos de inferorū ſedibus accuratiſsimè declaraſſe, præſertimque poëtarum principem Virgilium, ut à nemine adhuc pictore uel ſcriptore eo in genere factū ſit excellentius, neq; tam egregiè, quo pœnarū metu uitia fugientes ſuperna peteremus: non tamen à poëta nobis ad ſuperos iter denegatur, primùm ſiquidem indicata confeſsione peccatorum. Nam inconfeſſum impœnitentemq;, imò etiam ſerò nimis pœnitentem acriter punit: ut, Quæ quis apud ſuperos, Furto lætatus inani, Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem. Proinde uia magis ad cœlos aperitur, quamuis eorum incolas paucos eſſe demōſtraret: ut, Pauci, quos æquus amauit Iuppiter, hoc eſt, ſola Dei gratia: aut ardens euexit ad æthera uirtus. & hoc ingenij bonitate, beneficiorumq; ſtudio. Ea ipſa igitur benefactorū ſedes eſt à poetis nō ignorata, quocūq; nomine, ſeu para-

Melib.

Aeneid. 6.

paradiſi an alio potius appellāda. nec enim in metro omnia cōueniunt uocabula. Ita neq; de purgatorū appellatione neceſſaria diſputatio, ſi alia uoce à multitudine, alia à poëtis purgatoria, animarum loca deſcribuntur (Quiſq; tamen ſuos patimur manes) cum ad idem nihilominus intendatur, ut poſt ſumpta diu ſupplicia ad uitales auras rurſus & exoptata gaudia deducamur. unde addit, Exinde per amplum Mittimur Elyſium. Hic tandem Guarinus orationis ſuæ cum filum expleuiſſet, eiusq́ue ſententiam cæteri frequenti plauſu ſuſciperent, ſolus tamen Auguſtinus iamdudum caput intorquens, placuiſſe quidem ſibi Leonelli Veronenſisq; de Ioue diſputationem: cæterùm nō ſatis dixit, oratorum ſuaſionibus credendum, qui nigrum in candida uerterent. Ita hi monachum abeuntem uarijs ſermonibus illuſere.

QVAEDAM SVPER DANTIS *operibus, & quod inſcienter expoſuit ſuper eo Virgilij carmine: Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames? accipiens quid pro cur, cum quid pro accuſandi caſu, ſicut quod, hoc in loco intelligi debeat.* Pars LXIIII.

SEd his à Veronēſe diſputatis, cum & Leonellus ipſe ad cœnam concedens, de cæterorū frequentia diſceſsiſſet: Titus, quo cū ego permanſerā, ſubmiſſa uoce, ac manu Guarinū tenens: Putauerā ita dij me amēt, inquit, Dantē poëtam, quanq̄ ſtyli gratia & ſermonis auctoritate Maroni minimè conferendū: tamē

ut omnes arbitrantur,de inferorũ genere, præcipuè de purgatoria cœleſtiq; habitatione,quã paradiſum uocant, exquiſitius quàm à poeta noſtro poſita ſint,memoraſſe, qui tria uolumina de eis tantum tribus generibus tot annos elaboraſſet. Cui Guarinus illudens: Exhorruiſti ne magis,inquit,ô fili ,inferorũ pœnas,quæ à Dante tuo Florentino,quàm quæ à Mantuano prædicantur? eo ſcilicet,quòd uerboſiores ſint, & ad uulgarem conſuetudinem magis accommodata,quæ ab eo referuntur? An non interfuiſti fortè,uel nõ commeminiſti,cum proximis mẽſibus à Leonello libri ferè omnes de bibliotheca neceſſariò inſtruenda referrentur, ea ipſa recitatione uernaculiſermonis auctores procul à grãmaticis cõtinẽdos,& tum præcipuè hybernis noctibus cum mulieribus & liberis noſtris lectitãdos,cum aut eoſdem amoribus lętari,admirariúe magnifica,aut flagitijs abſterrere uellemus. Tum Titus,Scio equidẽ: ſed non tibi uiſum Guarine obſecro, Dantem quàm belliſsimè & intellexiſſe, & æmulatum eſſe poetam noſtrũ?Guarinus:Credo uerò nõnulla figmentorum genera à poetis ſumpſiſſe, pręcipueq; Virgilio,reliqua autẽ ex huiuſce religionis uoluminibus: ideoq; ita curioſum opus effeciſſe,tametſi uulgare,ambagibusq; plenisſimũ,ut multos diuerſorum auctorũ latinorum tamen neceſſe ſit cognouiſſe uel audiſſe, multasque Chriſtianæ eccleſiæ pręceptiones. Sed quorſum hæc?an quia tot iſte præceperit, ut ex ijs,qui cõtinuè in eo ſciẽtię genere perleguntur, ubiq; pertractando,minimè uerũ carptim hinc inde colligere detur? quod modicis etiam

etiam diebus fieri potuit. Ita omnia ab eo dicta cognitu facilia sunt apud quenque poëtarum omnino non ignarum, ac religioso more uictitantem: ob eamque causam nonnullis fortè doctissimis intellectu difficilior aliquibus in locis uideatur, quòd utroque simul sciẽtię genere careant. Nam qui maximè poësi uel oratoriæ deditisunt, græcis & latinis artibus contenti, non religiosorum exquirunt institutiones: in quibus disputandis, præcipuè quæ ad logicam uel Theologiæ nostræ disputationem pertinent, ita prorsus expertes, ut qui uerè rudes sint & indocti, magis quã docti à uulgo scientiores existimentur. Sic religioni maximè deseruientes, easdem illas artes nostras, uti suo generi contrarias effugiũt: quemadmodum nuper monachum illum uidimus, Dantemq; ipsum, antequam Virgilium iudicio profundo perceperint: hinc fit ut sententias eorũ alieno sensu putent interpretandas. quippe cũ à Marone prudentissimè inexpleta auaritię cupiditas increpetur: ut, Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames? iste tuus imprudenter accepit Quid pro cur, non intelligens à Virgilio Quid in accusandi casu positum. Vult enim poëta noster demonstrare, nihil esse tam praui facinoris, quod non à mortalibus per auaritię famem fieri compellatur. Cui simile est Didonis illud: Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis? & hunc quoque locum ad Dantis morem plerique inepto sensu comprehendunt. Atque illud idem in Bucolicis: Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas? Dantes autem in suo purgatorio, quod isti tan-

Aeneid. 3.

Aeneid. 4.

Alexi.

ti faciunt, intellexit quid, pro cur non cogis? pro eo quod est temperas, uel reprimis, seu frenas mortaliũ pectora? perinde ac auaritiæ aut insania amoris sit, mortaliũ animos posse uel debere aliquando compescere: cum id officium ad rationem solum pertineat, quam super ueniente appetitu illi deponunt: non ad insaniam uel ægritudinem, in quam Virgilius exclamat, cuius propriũ est urgere propositum. qui quidem Dantis error, cæteraque omnium uulgariter scribentium delicta nulla magis occasione contigerint, quàm quòd plebeiæ penitus loquendi consuetudini dediti sunt eius generis auctores. Errat præterea & in eo loco Dantes, Hispaniam citeriorem, quam populari more Cataloniam nominãt, cum auaram dixerit, à doctoribus deprehensus, non auaram, sed parcissimam eam gentem demonstrare uoluisse. est enim perexigui uictus, ac tenuioris quàm Genuensis tractus, quòd frugibus oleribusq; æquè non saturetur. Et miramur poëtã nostrum à quibusdam ita solere cõtemni, qui nullum eius uersum intelligant, nec intelligi ab alijs uelint: cum qui eum maximè scire iudicantur, eius scripta studiose persequentes, talia peccata commiserint. quos tamẽ si interroges, quamobrem de auaritiæ partibus sic exposuere, asseuerent ita sese consultò facere, attestante ac præcipiẽte Marone. Tum Titus: Satis ab eo sentire uideor, præceptor mi, cum ea Maronis altitudo, pręstãtia, maiestas sit, ut aut uulgariter scribẽtibus non tutò effingi posit: aut certè, ut Macrobius ille subtilissimus indagator excepit, tantum adeò Virgilium esse cõ-
stat,

ſtat,ut neq; maior fieri poſsit à laudantibus, tametſi peritiſsimis, neq; reprehendentium imperitia comminui.ſed abeamus.

ANGELI DECEMBRII, MEDIOLANENSIS ORATORIS DE POLITIA LITERARIA, ad Pium Secundum, ſummum Pontificem, Liber ſextus. Prologus, in quo de ipſius pontificis laudibus, principiſq; Leonelli præſtantia, & de Q. Curtij hiſtoria quædam inferuntur.

PARS LXV.



IGNAM mei laboris mercedem adeptus ſum, ſanctiſsime Pontifex, ſi priora fortè literariæ politiæ uolumina tibi placuerunt.nec enim aliter cõfectum iri arbitratus ſum,ſi uerè ipſe ſis,quem politiſſimis huiuſce diſciplinę ſtudijs ab ineuntibus annis eruditũ,deinceps ornatũ magis auctũq; nouerimus:cũ antehac cœleſtẽ in te dignitatẽ nõ Italicis ſolũ,uerũ & alijs regionib. inter magnos principes claram magnis quoq; negotijs perſpeximus.Quo quidem effectũ eſt,ut anterioribus quinq; libris hos etiã duos libẽter adiungerem, in quibus nonnullæ ſuper rerum publicarum,& diſputantium moribus, diſputationes egregiæ : necnon in primis de Alexandri ſummi regis rebus, earumque ſcriptoris Quinti Curtij quibuſdam hiſtoriæ locis mira

mira uarietate, quam Leonellus ipse solus omnium excogitauit. Adeò uiuax illius ingenium ab literario munere rarissimè quiescebat, hybernis lucubrationibus multum uigilans, scribens, meditans, æstiua tempestate præter cætera principis officia plurimum lectionibus disputationibusq; laboris impertiens. Quid igitur beatissime Pater, si ipsa quoque ægrotatione, de qua superioribus libris memoratum, is qui liberalibus studijs deditissimus fuisset, nuper legendis auctoribus solertior uisus, apud quem nunquam thecæ calamariæ, alternatiq; librarij, & librorum multitudo deficeret? Nam & diurna cubilia, longæ uigiliæ, uictus continentia, sic interdum solet eruditorum ingenijs nouas, inusitatas, elegantesúe commentationes adijcere, ut alij contrà sæpè defecerint, uix medicorum præcepta, & familiarium consolationes admittentes. Amicis itaque percontantibus, quid nam potissimũ ea ualetudinis intẽperie lectitasset: respondit, historicos clariores diligentius tractauisse, Plinium maiorem, Liuium, Salustium, Commentarios Cæsaris, Iustinum, sed Curtium quàm antea studiosius. Cuius rei causa fuisset ægrotatio, ut de Alexandri morte disquireret: quàm repentè ob illius fluminis ingressum exanimatus: quanta mox fiducia, an temeritate magis poculum solicitudine plenum à medico suscepisset: utrum scriptoris de ipso rege, an regis potius tã præsens, in dubio tamẽ euentu, sententia fuisset. Quanquã non in hac de Alexandro cõtrouersia solũ, sed & alijs eius historiæ locis Q. Curtium dicebat adeò contraria inter se protulisse, ut penè à

ne à naturali uſu, ipſa quoque rerum ueritate diſſentire uideretur, * ſpectare aliquãdo ea de monſtrandi tempore affutura: aliquando inter ægrotandum clarius comprehẽdiſſe, eiuſdem ferè ſtyli uideri omnes ueteres hiſtoricos atq; Virgilium (quod mirum eſſet, cum alij inter ſe maximè differre opinentur) minimè uerò cæteros poëtas, tametſi ueteres & eloquentiſsimos, ad idem horum genus conuenire: ſed aliam eſſe Terentij Plautiq; opinionem, aliam Quintiliani uel Ciceronis, aliam Horatij Iuuenalisq; conſuetudinem, aliam etiam aliorum: in quibus tamen omnibus ut amœniſsimi uireti uarijs & fructiferis arboribus conſiti, Virgilium Ciceronemque truncorum proceritate, ramorum ordine, frondiũ intextura, tanquam geminas cupreſſos, ſpecioſius eminere. Hic cum omnes exempla nobis aperiri, remque ſeriò explicari rogaremus, Leonellus ſic exorſus eſt.

Sperare aliquando ea demonſtrãdi tẽpora.

QVOD INTER OMNES FERE VEterum hiſtoricos, atque Virgilium, eadem ſit Romani ſtyli compoſitio: atque ibidem de breuitate quadam eleganti, ſecũdum morem hiſtoricum, ad oratorium uſum opportuna. Pars LXVI.

ADuertere ſæpenumero potuiſtis inter hos, quos modò referebã auctores, certam deſcribẽdi compoſitionem, & quaſi fabrilem formulam eſſe: neſcio an à ſe ipſis mutuatam, uti fit, cum alijs alium nõ inuidia, ſed fraterna quadam oſtentatione nititur æmulari:

mulari:an de Romano ita consuetam more, perpolitè uerò non admodum. Quo in genere asseuerare ausim, inter historicos ueteres atq; Virgilium multis in dissertandi uel effingendi locis certam inesse ueluti concinnitatem. Ecce Virgilius: Si Iuppiter unam Esse uelit Tyrijs urbem, Troiaq; profectis: Misceriúe prohibet populos, aut fœdera iungi. Liuius unam hanc ciuitatem connubijs tandem factis iungi & misceri ait. Plinius autor, Cum libeat auibus insidias moliri, aut à Virgilio sustulit, uel è Romano cumulo fuit eloquentiæ: ut, Insidias auibus moliri, & fallere uisco. Idē Plinius de formicis inquit, Humeris obnixas: Virgilius, Obnixè frumenta humeris. Item de ijsdem formicis, Conuehunt: Virgilius, *Conuectat calle angusto. Cæsar de expugnatiōe loci alicuius, Frumētum cōuectū, inquit. Idē poëta, India mittit ebur: Plinius de psittaco, India hācauē mittit. Idem historicus: En unquā fando auditū esse: Virgilius, Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures. Cæsar in Commentarijs, Priusquam legiones posset explicari: Virgilius, Explicuit legio, & campos petit agmine aperto. uidetur autem quodammodo Virgilius elatior equitare, cum isti pedestres incedant. Cæsar legiones quæ uoluere, conscripsit: Virgilius, Transcribunt matres urbi, populumq; uolentē. Differunt hic in officio uerba, nō stylo. Idē in Bello ciuili Cæsar, Massilienses tantus luctus inuadere cœpit, ut urbs ab hostibus capta eodē uestigio uideretur. Virgilius de luctu in Diomedem scribens: Non aliter quàm si immissis ruat hostibus omnis Carthago. Poëta de tauro

Conuectant.
Li.10.ca.42.

tauro pulsato, Multaque gementi: cum sequatur de plagis, & id genus. Cæsar de e uteranorum rebellione, Multa Cæsarem commouebant, inde effectus. Itemq; poëta: Cũ uenit aulæis iam se regina superbis: Cæsar, Eò cum uenisset maior natu. & reliqua ad eundem ferè contextum orationis. Cæsar de Pharo insula, quæ nunc Alexandriæ cõiuncta, Hęc insula obiecta Alexandrino portu efficit nauibus quietam stationẽ: Virgilius, Statio gratissima metgis: &, Statio malefida carinis. Liuius de camelis, Et urbi præsidio essent: Salustius, Vrbique præsidio sit. & cum Salustio Curtius, Iustinus, Valeriusque, ijsdem sæpenumerò exemplis, dicendique tenore conueniunt. Sed uidete L. Florum, quo pacto Liuium æmuletur in principio Operis sui, dicens: Cum non minus operęprecium sit ista cognoscere. quasi diceret, Tã legenda esse sua perbreuia, quàm Liuij maxima, dicentis, Facturus ne sim operæprecium. Multa sanè subijci possent ueterum exempla, quorum æmulatione consideramus, parem inter se ueluti ex eodem fluuio amneque dulcissimæ orationis emanare consuetudinem. Ita dicenti Leonello cum omnes congratularentur, Nuuolonus adiecit, considerandum non minus oportere, qui ueterum illorum anteriores, quiue posteriores extitissent. nam ita posteros à prioribus dicendi exempla capere debuisse. Cui Guarinus: Scio id nonnunquam euenire, uidemusque Salustium, præterea Homerum & in grauibus æmulatum: ut in nono libro Iliados, hisce uersiculis:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δ' εἴπῃ.

Achilles Vlyſsi & cæteris Agamemnonis legatis ait, ſe illud genus hominum abhorrere tanquam inferorum aditus, qui aliud clauſum in pectore habent, aliud promptum in lingua. Eadē Saluſtius inter principia Catilinariç con iurationis recitauit. Sed nec iſta eſt de latino-rū ſtylo cōtentio, quam nos inquirimus, neq; ad imitationem artemq; dicendi pertinet. Plu rimum uerò politiæ noſtræ conducit, aſſeuerā te Leonello, ut meliores ſemper eligamus. Nū quid potius Ennium, Plautum, Neuium, quā Terentium aut Virgilium imitemur? minimè. Nam ut ab eodem principe noſtro ſcienter au diſtis, hæc dicendi cōcinnitas ſeu inter ſeipſos auctores accommodata, ſiue de Romano lo-quendi more inuicem ita conueniant: nos ta-men aut eorum mutuam imitationem, aut i-pſius antiquitatis uſum, quoquo pacto liceat, ita ſedulò decet æmulari, & prudenter effinge re, ad noſtramq; dicendi conſuetudinem peni tus inducere: quemadmodum ex ueſtimento prius caligas, demum aut capitis fortè tegimē immutando reſarciendoque conficimus, ut de patrio inueteratoque gentium more, unde edi ti ſumus, nō barbarorum ritu loqui uideamur. Cæterùm ut uoto tuo ſatisfaciam Carole, Salu ſtium, Ciceronem, Cæſarem modico tempo-ris interuallo & uixiſſe & ſcripſiſſe creditur: u-ter autem alterius ſcripta prius uiderit, incer-tum eſt, nec ad rem pertinet. nam & ſcripta ab alio prius edi, ab alio antea ſcribi uel emenda-ri potuerūt. Saluſtius iam quaſdam ſcripſerat hiſtorias,

historias, cum in philosophia nondum Cicero scripsisset: nec Cęsar sua Commētaria, si rerum seriem aduertitis. Virgilium, inde Liuium & Curtium nō multo pòst succesisse, omnes de pace uniuerso orbi concessa memorātes, inter quos poëtæ etiā insignes Horatius, Ouidius, Catullus, Tibullus apparuerunt. nam Plinij cęteriq́;, quos sępè memoramus, oratores & poëtæ post Augustum, intra Cæsarum tamen tempora cōstiterunt, à Suetonio memorantur. At Leonellus excipiens, Sic est, ô Guarine: sed sine me quæso, quò prius intenderam, peruenire. Dixeram prius inter historicos atq; Virgilium certam inesse uelut semitam ad eādem tū styli, tum sententiarum explicationem, quam superius quibusdam exemplis demonstraui: uerùm & alia est orationis inter eosdem uenustissima formula, historicis ferè omnibus usitatior, ob idq́; in breuitatis decore consistēs, qua cæteri oratores, ut in Tullio præcipuè deprehendi, non utiq; frequenter utuntur. Sed nec Virgilius abhorret, cū utriq; orationi perpulchrè conueniat. eiusmodi est, cum longiuscula quædam sermonum conglutinatio, in oratione soluta pręcipuè (nam in metro breuiorem esse contingit) seu dicendi series, loricataq́ue per accusandi casus ac participia, infinitiuiq́; modi uerba contexit, pręmisso uno sæpè duntaxat regente uerbo uel nomine: idq́; dicēdi genus ad auctoris propriè personā spectare uideo, de alia persona loquentem. ergo creberrimè apud optimos historiarū scriptores, quod miror, à nostris oratoribus rarius obseruari. Ecce apud Salustium, quod paulo antè re

recubans legisse memini, Ibi data fide & accepta Iugurtha Bocchi, animum oratione accendit: Romanos iniustos, * profundæ auaritiæ, communes hominum hostes esse, eandem illos belli causam cum Boccho habere quam secum. omnia ista & reliqua eius Iugurthæ orationis dicta à uerbo proposito Accendit depēdent. Nam utrunq; hoc in dicendi genere regere solet, tãquam à nodo quodam uel clauo dependeant. in qua quidem oratione non Iugurtha præsens agere uideretur, sed de Iugurtha Salustius, qui ea ipsa ita commemorasset. Contrà uerò Cato de coniuratis apud P. C. orans ponitur, non Salustius de Catone: ut, Longè mihi alia mens est, *ô Patres cõscripti, cum res & facta nostra considero, & cum nõnullorum sententias ipse mecum reputo. eodem modo & Cæsar in persona sua orãs exponitur. Quod genus integræ orationis sermo appellari potest magis quàm declamatoria oratio. Hoc autem, de quo proposuimus, declamatoriũ munus, ac quasi decorum orationis ornatissimũ, mediocri sua ui uocisq; tono pronũciatum. ut si nunc Salustius Catonis orationem in se conuertat: At Cato patribus conscriptis, uel ad patres conscriptos dixit uel respondit, longè sibi aliam mentem esse, cum res & facta eorũ consideraret, & cum nonnullorum sentẽtias secum ipse reputaret: sicq; totius orationis filum retexere. Quòd si quandoq; longius à proposito uerbo distare uideamur, ob longiorem fortè orationem: tunc confirmari non incongruum est, & aliquo cõsimili uerbo recreari, quo lectoris uel auditoris animus intẽtius arrigatur. & hoc

Profunda auaritia, communes omniũ hominũ, &c. habet nunc Salustius, in Iugur.

Lõgè mihi alia mens est, P. C. cum res atq; pericula nostra considero.

hoc in genere pręter Salustium frequentissimi sunt, Cæsar in Cõmentarijs, & Iustinus, ideoq; politissimi. Cicero non adeò freques ut historici, nonnunquam tamen in orationibus utitur: neq; adeò strictim & succinctè ut historicus, sed pro more suo laudandi criminandiq; largiore, ut nũc ex Pompeiana exemplũ sumemus circa laudes Luculli: Dico eius aduentu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas atq; instructas, esse deletas, urbẽq; Asię clarissimã, nobisq; amicissimã Cyzicenorũ obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnatam uehementissimè: quam L. Lucullus uirtute, assiduitate, cõsilio, summis obsidionis periculis liberauit: atq; eodẽ imperatore classem magnã & ornatã, quæ ducib. Sertorianis ad Italiã studio inflãmato raperet̃, superatã esse. Pẽdẽt omnia à uerbo proposito Dico. Virgilius itaq; eodẽ artificio, & quidẽ correctior sępè uersat: ut, Facta atq; infecta canebat: Venisse Æneã Troiano à sanguine cretũ, Cui se pulchra uirgo dignetur iũgere Dido. Nũc hyemẽ inter se luxu quã lõga fouere, Regnorũ immemores, turpique cupidine captos. omnia hæc à uerbo Canebat, quod de fama dicitur. Constat uerò perspicuè, hunc orandi morem, ut modò in metro solutaq; oratione deprehẽdistis, à Gręcis nostros accepisse. Nam ut omittam hinc inde exempla minus nobis cognita perquirere, uel id potissimè satisfaciet normæ instar exemplum, quod cum Ciceronis exemplo comparari possit, & equidem in Euangelica professione hic quotidie Græci canunt sacerdotes. Conuenerant enim bea- *Aeneid. 4.*

beatiſsime Pie, per id tempus apud Ferrariam ciuitatem Romanus pontifex Eugenius quartus, Papaq; Græcorũ, pacis cõponendæ gratia: nec non imperator Conſtantinopolitanus, nuper à Barbaris obtruncatus urbe capta; tantæ pietatis, auctore Marchione Nicolao, Leonelli genitore. Quippe cum Apoſtolicæ orationis initio dicatur, πιςεύω εἰς ἕνα θεὸν: hoc eſt, Credo in unum Deum: quemadmodum ſuprà Tullius; Dico eius aduentu, & reliqua, omnes alias ab hoc propoſito uerbo deſcendentes ſententias in accuſandi caſu componunt, uti modò ſignificaui per nomina participiaq; frequẽtia, quas noſtri ad puerilẽ magis, ut in ſcholis habẽt, loquendi conſuetudinem attraxerunt, utique in re ſacra de oratorio cultu non curantes. Subijcimus namque, Qui propter nos homines: &, Deſcendit de cœlis, &c. alia atq; alia regentia uerba cõplicantes. at illi, τὸν uel ὃν διὰ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους: hoc eſt, Propter nos homines; ſcilicet ipſum Deum: & κατελθόντα, id eſt deſcenſum: ſic nos, Et incarnatus eſt, & homo factus eſt: illi, σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπωθέντα. Rurſus nos; Crucifixus, paſſus, & ſepultus, & reſurrexit, aſcendit, & ſedet, & iterum uenturus eſt. ijdem, σταυρωθέντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ ἀνελθόντα, καὶ καθεζόμενον, καὶ πάλιν ἐρχόμενον. quæ omnia eodem ſtyli tenore ſeruato, politiusq; à nobis dici potuiſſet: Incarnatum, hominemq; factum, & pro nobis crucifixum, paſſum atq; ſepultum. Sed pro participio præteriti temporis pręcipuè in actiuis, quod Græci frequentiſsimum habent, cũ gratia inſuper aoriſtorum, nos eo carẽtes alio modo reponimus. Cæterùm illi paulo infidelius

de

de sancto spiritu sentientes, non tenent, Ex patre filioq; procedentem: sed, Ex patre solo. ut: τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. nam apud eos spiritus hoc loco in neutrali ponitur, τὸ πνεῦμα. adduntque præterea secundum pręmissum ordinem, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. quod sonat, Qui cum patre filioque simul adoratur & conglorificatur, & locutus per prophetas. cum illi dicant, Prophetarum. At intelligatis, quanta sit apud eos sententiarum simul cum uoce consonantia. nam ubi dicimus, Per quem omnia facta sunt: ipsi præpositionem suam διὰ cum generãdi casu iungunt: ut, δι᾽ οὗ. ac si dicat, Per cuius, alio casu, tunc, cum maximè de rerum auctore uel possessore sentitur. nam de re possessa seu alioquin abstracta, in accusandi casu constituũt: ut, δι᾽ ἡμᾶς, Propter nos: hoc est, nostri, nostræque salutis causa de cœlo descendisse. Itidem de omnibus ac inanimatis rebus dici liquet à Græcis: quemadmodum apud Homerum Pandarus non propter Menelai baltheũ, thoracem, uel loricam, sagittã intorsit, sed per eorum medium sagitta uehemens infixa est: ideoque in generandi casu, διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου. nos in accusandi casu poneremus: ut, Perque uterum, perque ilia uenit arundo. Cæterùm & de hoc à nobis exẽplo posito sat sit, & sæpenumerò à Veronense nostro præceptore audistis, ut pernoscatis eum dicendi morem à Græcis eloquẽdi peritissimis excepisse. Tum Guarinus finiente Leonello subiecit: Quinetiam hi sermones, ô princeps, ut fama, rumor, opinio, sententia, uoluntas, testis, auctor, literæ, Iliad. 4.

nuncius,ac pleriq;, participia ferè ut nomina, tanquam ipsa indicantis modi uerba,sæpè regunt constructionem eius generis.sit, de quo nunc disputamus,exemplo scilicet,Literas allatas esse:idem,delatam epistolam, sine adiectione:quibus uel in qua significatur, seu significantes,aut continentes eiusdem rei significationem. Aliud exemplum pono: Insubrium ducem magna cum Gallorum equitum manu Transpadanum agrum inuasisse: Venetos,Ligures ingenti metu territos cum pecoribus in arcem confugisse,quædam oppida ui capta,alia in fidem deducta,receptaque.eodem pacto constaret oratio,si initiò dixisses, Rumor est uel fama,nuncius uenit. Ad quem Leonellus: Rectè inquis, & hoc quoque dudum in mentem inciderat,admonente Virgilio:ut, Verus mihi nuncius ergo Venerat,extinctam, ferroque extrema secutam. Nec minus de hoc nomine Gloria Plinius maior apponit, pari modo regente:quem locum pridem ægrotans annotaui.ut,Est percelebris apud Seston urbem aquilæ gloria,educatam à uirgine retulisse gratiam,aues primò, mox uenatus aggerentem: defuncta postremò, in rogum eius accensum iniecisse sese,& simul conflagrasse. Sed de hoc orationis genere satis disputatum,& quiescendi tempus est.

Aeneid.6.

Lib.10.cap.5.

QVIBVS IN LOCIS Q. CVRTIVS, *Alexandrinæ historiæ transcriptor,aberrasse uisus est rerum ordine,uel certè contraria dixisse,præter humanum usum.*

Pars LXVII.

Inter-

INterrogatus postridie Leonellus, quænã in Curtio dissẽtire sibi uisa, uti pridie significasset: Hoc est, inquit, quod maximè uobis aperire cupiebam. nec enim auctorẽ ex ueteribus memini, de quo uaria magis & infelicia quædam queri possimus. Videtis primùm mirabile quiddam, quod soli omnium Curtio contigit, tanquam capite truncato principio caruisse: ad hoc, multis in locis operis sui uelut interruptum fluuium exiccatum, deficientemq; destitisse, cum tantæ sit amœnitatis cum perfectius legitur, ut metricam putes historiam. Quippe si Salustij uolumina, aut Liuij, uel Plinij maioris, siue Ciceronis, cuncta non habeantur, ex eis tamen quæ comperiuntur, legi integrè ferè possunt. Quorũdam uerò autorum scripta sic omnino sunt perdita, ac si eorum exemplaria nunquam in rerum natura constitissent. At quod maius infortuniũ apud maiores nostros pulcherrimorum operum studiosos fuit, & accipere nos decuit, ut tam excellentis historiæ, suauissimæq; orationis, quę uelut Amphionis Musa omnes mulceat auditores, unum omnino extaret exemplar, quod uix à nostris compertum per incuriam laceratum, seu uetustate & carie labefactatum, excideret. Cæterùm hanc ex Græcis historiã, præcipueq; animo cõsiderantibus, primus tantũ liber deficere uidetur. nam à secundo de Marsyę fontis ortu, eoq; montis acumine pariter incipitur. Quo constat Quintũ Curtium interpretem fuisse, ipso etiam attestante, se plura transcribere quàm credere. est autem is historicus fluidus, ac

ſcatentium fluminum elegantiſsimus imitator. Verùm ad quæ petitis, procedamus, primumq́; de ipſius Alexandri natura uel morib. diſputàndum. nam pari ſententia Iuſtinus, & cæteri ſcriptores aſſeuerant, poſtquam in ueneni dijudicatione anxius multa dubitarit, potionem tamen ebibiſſe: nempe ut medici fidẽ non damnaret, ſi uel datum à ſe poculum renuiſſet, uel alicui prius deguſtandum prębuiſſet. At quid hoc in loco penitus de Alexandri opinione ſentiendum? ſiue nemini credidit? Cur pro medico eum mori uoluiſſe credamus, qui pro Parmenone, pro Philota, pro alijs amãtiſsimis certè perire noluerit? quos ipſe magis, & quidem re incerta, ſupplicijs affectos trucidari mandauit. nam cuius fidem ille damnare uereretur, cui de turbata modò fide, uel certè ſuſpecta, planum extaret? Ecce ueneni poculum, quo abſumpto (ita enim ipſe credidit, uel extimuit Alexander) miſerrimè fuit pereundũ. nõ enim tanquã Hannibal, Mithridates, Cleopatra magnificè perijt. Si non credidit, nec id quidem timuiſſe cenſendum, quamuis alijs timendum appareret. atqui non credens, ſed Parmenonis ſimulatoris opera agi dijudicans: qui Philippo magis inuideret, uel certè de regis morte hoc totum, de quo ipſe ſolicitus, admirandiſsimum uideri uoluit: ridiculum contrà, & ambitioſa ſubornatum uanitate uideamus, ut in pleriſque à ſe planum factum eſt. quippe qui ambigua reſponſa, fontium ſcaturigines, ſomniorum prodigiorumq́ue uiſa, ipſe arbitrio ſuo compoſuerit, ſtomachari libet. Nam quid aſtutiſsimum

regem, morbi certioris causa præpeditum, nisi iam planè desiperet, spacium etiam temporis in alieno mœrore * transigere? Tot enim satellites, tot ministri, puerique circumstabant, ut alicui saltem imperandum esset: uel quippiam ultrò prægustarent ipse medicus, medicoque famulantes: qui nisi protinus ipsi degustassent, in suspicionem suppliciaque merito labi debuerunt. Ita uel minimus in tabernaculo seruus, ne catulum dixerim, uolens coactús ue, tantam regis anxietatem persoluisset. Quoquò uertatur oratio, ingens me tenet admiratio, ut res non principi, non priuato, nõ scriptoribus, non mori gentium conuenire uideatur. Nam quòd in prælijs scriptor ediderit, regem aggredi ausum, quod fidem apud posteros excederet: quia solus contra multos in murorum pinnis primus dimicaret, demum saltu intra mœnia lapsum, non utique tam incredibile est apud audacissimum quenque. Ad hoc medicos cogi remedia dantes intempestiua, parum quidem rationi, & saluti nihil prorsus conducebat. Quasi uerò ineundi certaminis occasio aliquot etiam in dies proferri nequiuisset, nec Darius propulsari saltem sustineriq; cunctando potuisset, quem tantopere debellare cupiebat. Iám quæ remedia seu antidota regi priuató ue ministrari solent, præter quæ medicinarum usu continentur? Nam in præsentia de auaritia medicorum omittendum est, si qui fortè precij libidine morborum fastigia longius extendunt, etenim apud regem medicũ non oportuit: ueruntamen ipsæ fricationes, cataplasmata, uẽtuaria, potiones, seu in plebeio

coẽgit, uel oportuit.

homine, pauperrimoq́;, siue principe & opulẽ
tissimo, necessaria fuere. Neq; uerò derepente
regem ita monentem certa sequebatur uicto-
ria, neq; pulcherrimæ mortis laus. Sed attendi
te, ipsius mortis uaria perquisitio est: aut certè
non reuera creditum, ad unguem, uti memo-
rant, accidisse. Solum enim regem in conspe-
ctu exercitus sui aquam ingressum, cum suorũ
familiarium neminem adesse uolebat: nec mi-
litem gregarium eodem sudore ac puluere fa-
tigatum cum rege simul id recreationis leua-
men inijsse, aut in prona fluminis parte procul
abluisse. neque enim eodem balnei labro laua
batur, ita ut perspicuum foret, an alij pariter
corriperentur. Quòd si eodem tempore facien
dum non oportuit, perinde ac nefas esset cum
rege lauari, at certè paulo pòst tanta experien-
tiæ causa à natandi studio non abstinuisse par
est. nam sic hominum, locorum, rerumq́; natu
ræ dignoscuntur. Quippe quod in Alexandro
contigit, in alio nequaquã, aut multo plus ac-
cidisse cognouissent. At quoniam de Parme-
none modò mentio facta, hoc loco dimisso in
alium transeamus. Interfecti commilitonis i-
ta laudes extollũtur, ut constet sine eius opera
nihil magni Alexandrũ aggressum: quę laus sa
nè ad Parmenonis cõsilia referẽ. nam si ad solã
dimicandi spectat operam, omnes & alij com
militones gregarijque milites eodem laudis
genere constabunt, sine quorum opera nihil
unquam magni uel minimi Alexãder aggres-
sus est: eosque semper obseruauit, præter id
unum de insidendis angustijs apud pylas Ci-
licas, ubi omnia Parmenonis consilia in toto
Persi-

Persico bello, omnique scriptoris opere, in ipsis maximè prælijs, & in persuadenda pace, Alexander eluserit. Ita debellato primùm Dario (id quoque aduersari uidetur) Alexandrũ nulla occasione percipere potuisse, ad quæ loca potissimum hostes confugissent: morem idcirco Persarum obstare, qui regum secreta mira taciturnitate contineant: denique nullum magis peccatum linguæ castigari, multaque eo loco philosophicè magis quàm historicè de silentij cura memorata. Quod quàm uerisimile fuerit, ipsa iam rerum uicissitudo mõstrabit. Non enim ex tanto Darij exercitu, præsertim fugiente debellatoque, tot transfugisse ad Alexandrum, qui transitare potuerint, exploratoresq; conuenire, num saucius aliquis exanimatus, inops, despectus, desperatús ue, ut in magno solet exercitu, aut prælio: pollicitationeq; persuasus, aut metu supplicióue coactus protinus indicare, ubi locorum Darius insideret, quid rerum potissimè agitaret. nam uulgò tritum est, castra portas non habere, an ut Homericis quoque uerbis fictis illudamus, eum ita deorũ nube latitãtem, ut sui uidere nõ potuerint, quemadmodum Atrides Alexandrum frustra sequeretur. itaq; contrariũ euentum aspicite. Nam cum Darius exercitũ reparasset, utrinque acie pręposita, tanta Persarum taciturnitas non fuit, ut non transfuga deficeret, Alexandrum euestigiò commonefaciens, cauendum militibus, qui penes equitatũ consternati starét. Ita cum maximè silendo Dariũ adiuuare debuissent, contrarium palàm factũ, in Alexandri suffragationem conuersi sunt.
Dicet

Dicet quis, transfugam illum ex Persarũ fortè natione non fuisse: igitur & alij ex multis, ut erant, nationibus, iamdudum aduentare potuerunt, qui Darij fugam uel stationem indicarent. Cæterùm ex humano genere ad ferinum descendamus. Affirmat historicus, animal equum ad omnia pauidum: cum fortè aliquem equum pauidum iumentúm ue præcipuè cõpertum sit, & ad omnia uel non uisa prius, uel non usitata, pauidum & sternax, sicut experimur aliquando primis fortè diebus desuetos, aliena stabula, nouosq; insessores abhorrere. At quidem de omni equorum genere, ut oratio scriptoris indicat, testatum non oportuit: quorum magis proprium constat nihil expauescere, atque aliquos ita compertos, ut si lancearum aciem contra se directam uiderent, nihilo segnius præcurrere pergant. Ergo neq; tubarum armorúm ue, & horrisoni strepitus auditu absterreri, sed ardentius inflammari solitos accepimus. Inde est à poëta moraliter, Frenos audire sonãtes: Fluuiosq; innare rapaces. Ita cum ante domandũ audacissimi sint, postquam domiti sunt nõ pauitare, sed obedire didicerunt, ideoque stimulis & habena gubernãtur. Ad homines rursus accedamus, in primisque memorabilis error apparebit, uel insignis certè confusio. ubique enim duæ omnino Darij filiæ memorarantur, ad quas adhuc puellas & Darij matrem redimendas legatos uenisse, triginta milia pondo auri pro tribus afferentes: non autem triginta milia talentûm, ut quidam ineptè in uernaculum sermonem transtulerunt. etenim uxorem nouissimè mortuam

Georg.2.

con-

constabat, quam Iustinus Gręcique scriptores asseuerant sororem etiam fuisse: puerum autē pro obside apud Alexandrum relicturos. plures ex Darij liberis non habentur. Ad hoc postulabant, quod maximè errorem aggerat, uti filiam Darij Alexander uxorem acciperet, dotem fore omne quod ab Hellesponto in Euphratem extenditur. at quæ nam illa Darij filia, cuius nulla est toto opere demonstratio? nec enim legati, nec ut alterutram ex ijs accipiant, indicarunt, neue in partibus etiam scriptoris eius mentio conuenit. Quòd si alterutra ex ijs uirginibus, quo pacto, quóue consilio legati easdem repetunt, pro eis uiginti milia pondo auri pollicentes? neque inter reges oportuit pro uxore restituenda, excepta dotali mentione, ultrà polliceri, acciperé ue tributum, quo despondendam in libertatem prius afferant, ut ciuili sit consuetudine: & hoc præsertim, si ab rege prius liberanda, alij deinde uiro matrimonio locanda sit. at hic non alij, sed soli Alexādro nuptui danda erat, in cuius iamdudum foret libera potestate. Adhoc, nō Alexander legatos ad Darium mittit, pro eis tribus corporibus redimendis auri summam postulantes, quo magis Dario sit de redemptione prius, mox de uxoria pactione deliberandum: uerùm ultrò à Dario ad Alexandrum ueniunt legati, ea millia pondo auri frustra pollicentes: ut nunc contendamus, si de uxore danda constituunt. enimuero in hoc uersatur ambiguum, ut soli dent Alexandro eandem, quæ ab Alexandro dissoluitur: cuius nihil interest, an puellam redimant, an sibi sit despondenda.

Quòd

Quòd ſi fiat, ipſa ſtatim locationis agitationẽ
ex captiuitate liberatur. Sic cum Roſanẽ ex ca
ptiua regione, plebeiaq́; familia, matrimonio
ſibi copularet Alexander, neq; ipſe rex, nec fi-
lia, de redimenda prius mentionem intulerũt.
Quòd ſi iuris periti de redemptione prius agi
tatum eſſe contenderint, nunquam tamen ab
hiſtorico declaratum conſtat. quod nos admi
ramur ſcriptoris optimi uel Græci uel Latini
negligentia potuiſſe contingere: cum tamen
neq; ueterũ, neq; noſtrorum, ut arbitror, regũ
exempla demonſtrauerint: ne priuatorũ qui-
dem, niſi cum eadem redemptione mentio ſi-
mul dotis inferatur: ut idem ferè de Scipione
magno legitur in Hiſpania, ad quem cum ſpon
ſus ipſe procederet uxorem redempturus, reie
cta in eos ſolutionis ſumma, iuſsit amplificatæ
dotis eſſe monumentum. Quibus argumẽtis
unicus huius controuerſiæ locus ad purgatio
nem reditus eſt, & is quidem ridiculus à Tul-
lio in Officiorum libris caſtigatus, cum inuio-
latæ fidei exempla de Romanorum iureiuran
do apud Carthaginenſes rectiſsimè afferũtur:
ut ſi fortè Darij legati, poſtquam eius filias re-
demiſſent, eius rei nulla mentio eſt ab hiſtori-
co facta ad Alexandrum, cum eius caſtra tran-
ſiſſent, reuerſi nouas matrimonij pactiones a-
gitare conarẽtur. Ad alia pergamus cum eiuſ-
dem Darij oratione, cum iam bis uictus effu-
giſſet. nam dixit, Bis me fugientem perſequu-
ti eſtis. abſurdum fuit, nec ueriſimile relatu, ia-
ctare nihil ſibi conſilij cum fuga eſſe, præſer-
tim cum paulo pòſt iterum repetat, Sempérne
fugiens per fines imperij mei, &c. quod eſt in
fuga

fuga perſeuerare. quaſi uerò cominus non potuerit ex curru deſcendens cum Alexandro dimicare, ſed eum auriga potius ut inuitum, fabuloſe * iunctum extemplò in diuerſa procul arriperet. Qui locus erroneus cum eodem Lucani errore conuenit, qui Pompeium nouiſsimè debellatum, fugientemq́; deſcribens, ſed tamen ut ſpontè prælio diſcedentem, deniq; ſibi bene confidentem, nihil paueſcentem: e ueſtigiò eundem turpiter fugientem exponit, adeò ut ſuorum inſequentium, & frondium uanos ſtrepitus, formidaret. Cum de eadem fuga eodemque tempore mentio fiat, uidentur ſanè hæc non ita dici, uel fieri potuiſſe, ut à ſcriptoribus referuntur. Neq; enim uel Romanorum ueterũ, dum Curtius ſcriberet, ſeu Græcorum, ſi ad primos eius hiſtoriæ ſcriptores intendimus, ſeu præſenti tempeſtati cõueniunt, quæ de rege Indorum memorantur. Quo ſatis percipitur, hunc Alexandrinę hiſtorię potius, ut ſuprà monſtraui, tranſcriptorem quàm ſcriptorẽ fuiſſe: qui uti ab hiſtorico Gręco ſumptum inuenit, de Indorum aliquo rege illius tempeſtatis ita ſcripſerit. Sed quis nam tandẽ ille rex fuit? nempe non ab hoc hiſtorico percipimus, qui ſic regis Indi mores, uitamq́; deſcribit, hominis appellationẽ nõ producit, ut tanquam unicus Indiæ rex eiuſdem ſemper uitæ conſuetudinisq́; deſcribendus uideatur quaſi phœnix: quemadmodum nos unum ſummũ pontificẽ ueneramur, cuius ſiue iunioris, ſiue ſenioris ad diuinum cultum ſpectantes ritus, cum omnium ferè ſummorũ pontificum ritibus, qui fuerũt, quiq́; demũ conſequẽtur, conueniunt,

forte uictum.

ueniunt. Sed quid ambio? nec Alexandri quidem temporibus unicus rex Indiæ fuit, si eius acta perspexeris: sed cōplures reges, reginæq; fuerunt: nec dum omnes ab Alexandro superati, quod idem auctor paulo suprà indicat, Indiæ regnum (non inquit, Regis luxuriam) ac plerosque Indorum regulos Alexandro nondum ad eos ingresso, obuiam processisse. per quod nec credibile est omnes æquè reges in tanta natione, eosdemque mores obseruare, ita ut quod de uno dictum est, pro omnibus dicendum intelligatur. Quo quidem relinqui uidetur, de quodam certo Indiæ rege, non de aliquo incerto fuisse describendum. Quòd si ea, quæ de Indorum rege ueluti communia descripta sunt, ad Pyrrhum duntaxat referenda suscipias, quem Alexander multa cum bellicæ rei calliditate simul & uirtute superarit, nequaquam respondebit: primùm, quòd Pyrrhi mētio nequaquam fit: deinde non conuenit, quæ de ebrioso temulentoq; rege significauerit, eadem optimo bellatori assignare. Quòd si Sardanapalum concedas, egregiè tamen in postremis occubuisse, idem de Pyrrho intelligi posse: utraque non conueniunt. nam & accensos rogos ultrò Indorum mulieres ingrediuntur, & ille indignus Assyriorum rex arma nō exercuit. Quid uerò de sagittandi more apud Indos intelligamus? mirū est, uel incredibile magis, quod ait historicus, arcus ita prægrandes illis esse (nam de arcubus pariter ut rege memorat, uelut per omnia tempora generaliter intelligendum) ut tendendo feriendoq; inutiles prorsus habeantur. Quod teli uel balistæ
genus

genus potissimum licet apud omnes gentes paululum forma differat, tamen ita fieri & excogitari solet ab hominibus, ut tractando feriendoq; sit aptissimum. quin apud Indos prȩcipuè usui plurimo fuisse poëta demonstrat: ut, Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris. & profectò si uerum exquiritur,* sagittandi fundis non difficultate uel inscitia opus est. Iam uerò Alȩxandri laudes in eius obitu sic amplè commemorat, ut nullus locus uitijs relinquatur, quibus suos quoque datos locos esse superius non diffitetur, quos tunc fuisse post Darij mortem dixeris, cum in libidinem penitus, amicorumque perniciem laberetur. Sed quá nam ratione postmodum ita laudes in mortuum referuntur, ut uitia nunquã fuisse in eo confirmentur? an quemadmodum orationem pro amico funebrem diceremus, ubi uitia uel tacentur penitus, uel loco uirtutum numerantur mendaci oratione subornata? nõ sat suis acta tẽporibus: sic enim superioribus expresse uitia detexit. Sic postremò non solũ tegere, uerũ etiam protegere conatur, ut alterutrum frustra poni dijudices. asserit quippe, ut cupiditatem iracundiamq; facilè per senectutem depositurum, quas prior ætas accendisset, de incerto futuroq; tempore disputans: cũ tamen potationis immoderatæ usum, multaq; regis peccata fuisse deprehendas: iracundiam quoque, crudelitatem & cædes amicorum non defuisse. Surdís ne ista canunt? proinde cum hæc Alexandri facinora defendere conetur, quæ superius multa esse testatus est, tanquã pro laudabili, uitia non * autẽ criminanda

Georg. 2.

Locus sine dubio luxatus. uidetur hic sensus esse: sagittãdi peritia Indis non diffic. &c.

fortè, tanquã.

I de-

describit. Cęterùm scire desiderem, an senes ideo iracundiam ebrietatemq; deponere soliti (nam de senum consuetudine locus est, ut de equorum natura superius) an multi, si sui iuris extiterint, in ijs uitijs, ut senectus est aquilæ. Sanè Tullius de senectutis moribus accuratè scripsit, eam qua potis est ratione defendens, non iram, iracundiám ue, ac cætera uitia à senibus remouet, quos superior ætas inquinauit. Ipsa etiam libidinosa & intemperans adolescētia effœtum corpus tradit senectuti: cum certè nonnulli uisi sint, qui antea continentes extitissent, in senectute solutiores. unde elegans illud effluxit prouerbium, ultima primis peiora fieri solita: quod de senibus dictum est. Itaq; nihil Alexandrum luxuriose, nihil libidinose ausum asseuerat, quod præter naturam censeatur. En quàm attentioribus scriptis aduersæ conclusionis non meminit historicus, ut nunc Alexandri furiosas inter bibendum desponsationes omittamus, quibus cum spadonibus et exoletis consueuit agere. nec Gręci scriptores desunt, eundem Ephestione muliebriter usum attestantes, ipsum alterum appellantes Alexādrum. Quod ultimum sanè apud bonos humanoq; uiuentes ingenio, extra naturalem usum existimatur. nam idcirco pleriq; naturali usu ad eum, qui præter naturalem etiam sese turpiter conuerterūt. equidem an quicquam aliud sit, quod præter naturam in luxuriosa uoluptate committi possit, quàm quod ab Alexandro fieri soleret, & ab ipso auctore dici, non posse crediderim. non ipsis nouarum libidinum excogitatoribus, Neroni Tiberioq;, nisi cum beluis

Paulus ad Roman. cap. 1.

uis congressum habituris, cessit. Ergo ridicu-
a scriptoris commendatio, nec ad Alexandri
laudem uel defensionem quicquam pertinet:
qui quantum in se fuerit, nihil ad corpoream
omisit delectationem. Demum magicam ar-
tem quamobrem palàm ita confutet, ut eam
nihil esse, & ad hominis leuissimi dicacitatem
pertinere contendat, non minus admiror, imò
uehementius: quòd non ab alijs solum aucto-
ribus, ut Herodoto atque Iustino, sed ab ipso
etiam magorum officia memorantur. nam a-
pud Persas & Ægyptios eius artis fuit, & astro
rum non rarus euentus: indeq; futura prædi-
cere solebant, quæ potissimum ad famem, si-
tim, pestilentiam, & ijs contraria, ut terræ uel
aquarum ubertatem prosperam, mortaliū ua-
letudinem, animantium fœcunditatem, adhęc
bellicosos tumultus, regum innouationes, &
quæ ad eorum religiones pertinerent. Quorū
ego uirorum & sententiarum cognitionem
haud magiam seu magicam artem appellare
dubitauerim, ut philosophorum philosophiā:
non cuiusmodi uulgus existimat magicam di
ci peritiam, quam & à græco uocabulo necro
mantiam uocant: quam Græci à mortuorū di-
uinatione uulgarūt, uarijs & mille fictionibus
præditam: ut mortuos in primis excitatos in-
cedere, loqui, & in choreis ad lunā psallere, cū
eius quoq; generis hominū turba, qui relictis
domi corporibus, per nocturna silētia euolare
dicunt: aliquando poëtarū, ut fert opportuni-
tas, sed muliercularū & puerorū uaria figmen
ta. Quibus quidē si Bessus ille magus sibi psua
sum iri uoluerit, Alexandrū à se posse suscitari,

haud iniuria eiusmodi magorum, imò desipientium nugas, & audaciam & temeritatem, contempsisset, quum illa omnino arte nihil tamen efficiant, nisi stultorum corda deludunt. Græci certè eius furoris homines μανιακοὺς, à magica arte denominant, quam ut maleficam exercent, iidem malefici dicti. Ita uerò à Græcis quondam ad nos tot hominum deorumq; ludibria processerunt. nam omisso nunc Curtio, de quo satis hodierna disputatione memorauimus, quis non apud Herodotũ multo plura deprehendit? ac magis quàm hoc in transcriptore reprehendenda, hoc est, minimè credenda, quemadmodum historicè referũtur. Quid ais Guarine? At ille ita esse cõsentiẽs, iamdudũ Leonelli subtilitatem, ingeniiq; memoriam, ut sępè aliàs extollebat: addiditq; huius auctoris stylum inter cæteros interpretes perpolitũ eminere, ac eloquentię cuiusdã separatæ inter historicos, uti Plinij minoris in oratorib. esse.

QVOD FABVLAE VVLGARES *sunt, credi gryphes gemmas preciosas suis locis custodientes: mirum tamen uideri, Plinium gryphes & striges negare, cum à Virgilio & Ouidio, Græcisq; auctoribus memorentur: ac nonnulla de ipsius Plinij incredibilibus. Ibidem de ueterum signis, statuis & figuris, ac arte pictoria, nõ abhorrẽte à poëtica.* Pars LXVIII.

MVltorum generum excisos lapillos annulosq;, quos Latini uernaculo sermone corniolas, Hispani miraos appellãt, gemmasq; conspicuas, & uniones ad Leonellum

lum Venetijs attulerunt, sibijpsi annulũ, uxori filiæ regiæ ad collum monile facturus. protinusq́; de gryphibus mentio orta, quos nõnulli, sed diuersim aiebant in Hyperboreis montibus, alij in India superiore, ubi pygmæi forẽt, baccas preciosas custodire more draconũ (ut poëtæ canunt) mala Hesperidum aurea seruãtium. Tum Reatinus eques, Quinetiam ego de gryphibus interdum dubitare soleo, quemadmodum tu Guarine pridem de Romana pyramide disputabas. nam cum à Virgilio pro inimicis equorum ponantur (ita enim communis fert opinio) & Seruius eodem loco ipsorũ animalium biformem effigiem planè commemoret: à Plinio tamen ita denegari solent, ut leuissimos ac penè phreneticos appellet, qui in rerum natura gryphes appellentur: eodemq́; modò de strigibus, quas ut obscœnas uolucres abominamur, addita etiam superstitione, & ueneficas anus earum species inductas per nocturna silẽtia, ut hesterna disputatione Leonelle memorabas, infantium corpuscula fascinare, spiritus etiam intercludere, ut ab Ouidio in Fastis pulcherrimè. quod mirum est, in Plinio gryphes negari, striges ue magis quàm tragelaphos, aut rhinocerotes, uel hiænas, & id genus rarissimum: cum unos à Marone, alteros à Plinio recitatos uideamus, nisi poëticè fortè ad uulgarem opinionẽ loquutos arbitremur. Tum Nicolaus Stroza: At ego magis nonnulla negauerim, ipso etiam Plinio maximo asseuerante: quanquam in cæteris omnibus eum longè disertissimum commentatorem inuenio, sed librariorũ inscitia frequentissimè confusum.

fusum. asserit nanque complures lunas & soles aliquando uisos, quæ uulgaris alicuius uel somniantis potest esse contentio, uel leuitas oculorum, cum iureiurando quidam interdũ affirmare soleant, quæ non apparent, clypeum scilicet de cœlo proiectum: ita consentiunt, ac si pariter uera sint. Item, quæ de Pompilio & uxore dixissent: adhæc, oleam Palladis, quam ipsa in Athenarum fundamentis è terra prodire iussisset, & in sua tempora uirescentem, & similia. Tum Feltrinus excipiens inquit: Arbitror pictorum lasciuia fieri, uti modò de gryphibus & strigibus Nicolae referebas. Nam ita poëtæ audent canere, sicut pictoribus licet effingere: ut castratum arietem cum alis, uolãtem facere capram, muliebri uelo redimitam: quemadmodum & in hac nunc gemma conspicietis leonẽ erectum pedibus, manibus ensem comprehendere. Quippe cum pictores & lapicidæ ea, quæ uulgò feruntur, euestigiò pingant, effingantq; in tempus non breue perdurantia: rursus alia popularis multitudo superueniens à pictoribus antiquis facta concelebrat, animalium opera præcipuè. Ita cũ inter hos annulos gemmasq; uariæ humanorũ duntaxat capitũ censuræ monstrarentur uarias, & in alijs nudorũ tantum, nõ amictorum effigies inspicerent gestientes, ac mutua speculatione certãtes, Leonellus interrogat: Nunquis quãobrem uel capita sola, quòd ijs uel in illis corpora nuda describerent, sibi percepisse uiderẽtur. Tacebant quidã seniores, non inscij, quorsum principis interrogatio euaderet, cum à iunioribus ferè eadẽ sententia illico responsum,
pro-

propter gemmarũ anguſtiam factum uideri. nam uel capita ſola, quæ maioris tamen eſſent ambitus, uel integra ideo, nudaq; ſimulachra deſcribi ſolita, quòd cum amictu uel capitum tegumẽto minus aptè crederentur: in marmoreis autem ſignis, æneisq; conflationibus, uel impreſſuris ex gypſo ideo, quòd ampliora ſpacia, maiores effigies, & eas cum amictu denotari. Hic cum Gualengus, Veronenſisq; ſeniores meliorem principis ſententiam expectarent, Leonellus adiecit, Non hoc loco ſubtiliorum uerſatur intentio: quin ipſis in cõflationibus, marmorumq; cæſuris, ſiqua ſunt excellentiſsima ſigna, ut plurimum nudata omni parte, uel ſeminuda conſpiciuntur. Ideoq; dearum Mineruæ, Dianæ, Veneris, nympharum uelata parte ſignata, interdum ipſo tranſmicante uelamento parte nuda conſtare perſpicitis, in primis opera Praxitelis & Phidiæ. ita enim Romæ ſunt nudorum hominum, ſeu certè modico uelamento nudorum equorum corpora regentium. In uico quoque proximo Corneliorum, apud Exquilias duo ingentia ſimulachra ſeminudorum humi ſtrata: unum, ut exiſtimãt Saturni ſenioris, alterum Bacchi gentilium deorum. & ipſum Herculem gigantis ſæpè ſpecie demonſtratum uidemus, ut apud nos Chriſtophorum, ac maiora corporis parte nudatum, caprino cum uelamine quàm antiquiſſimè, Ægidem dicerent, aut cum leonis exuuijs. Erat autem optima priſcorum tempeſtate de pictoribus poëtisque eadem ferè laus & munificentia. Ipſi uiciſsim artifices opera ſua demonſtrantes emendabant, quos nunc

mutua nouimus æmulatione lacessiri. Meministis Pisanum Venetumque, optimos æui nostri pictores, in mei uultus descriptione uariè dissensisse, cum alter macilẽtiam candori meo uehementiorem adiecerit, alter pallidioré, tamen licet non graciliorem uultum effingeret: uixque precibus meis reconciliatos. Igitur in ipsis gemmarum capitibus, quorum nonnulla calua, ut seniorum imperatorũ, plurima capillata, integris etiam effigiebus non tegumenta cernuntur: eo profectò consilio, ut artificum & temporum illorũ insignia opera censerentur, quæ ipsa præsertim nudata iudicantur. unde fabula de deabus corã Paride nudatis. quin ipsius etiam Veneris recordatio mirabile adducit exemplum, eãdem nudam, uixq; superiori corporis parte semifactam, nec pòst ab alio perfici unquam potuisse sic imperfectã, in diui Cæsaris templo ab Augusto statutam, dicatumque illi templum. Quippe quòd non omnis tegumenti usus, neque omnibus tẽporibus & gentibus placet, aliaque idcirco alijs calceamẽtorum genera, uel sagulorum cingulorúm ue, armorum, in ipsis picturis irridẽtur. At quod naturæ præcipuum est artificiũ, nulla temporum nouitate mutatur: quamobrem leones, aquilę, dracones, equi, rhinocerotes, & multorum generum animantes, uulgò gratiores: tum syluæ, flumina, montes, arbores, uolucres, maria, fluctus, pisces, litora, aëriæ nubes, & turres, & id genus, frequentius à peritissimis pictoribus effingi solent, quibus præter naturale uestigium nihil est magis accommodatum: ut si fortè coronatam aquilam uideris, uel

Pisanus & Venetus pictores præstãtissimi.

uel gemino utrinque uertice despectantem se, elephantem castelliferum, aut præstanti forma ceruum cum aureo monili, cornibusq; florigeris, aut pardos, tygresúe frenatos, currum cum triumphante Baccho trahentes, ipsoq; seminudo, non tantum uestis & ornatus, quàm lineamentorum oris nudi uel corporis subtilitatem contempleris, cuiusmodi nerui constét: quales * Syrenarũ ambitus, uel intẽsiones, quę cutis pilorum plumarumúe significatio: in quibus sæpè pictores ipsi minus sciunt, ineptiusque committunt, quàm popularis uaria cõsuetudo, multitudoque coloribus, lineis & fimbrijs duntaxat intenta, membrorum proportiones non aduertit. Nam quid de pictorum ineptijs? sunt & inter eos quoque, ut apud scriptores ipsos, errores: nec in parietibus solum dixerim, sed ijs etiã uestibus, quas parietibus appensas cernitis ex transalpina Gallia deductis, in quibus ipsi textores pictoresq;, quanquam id operis genus multi sit artificij, de Colchorum magis opulentia, telæq; leuitate, quã picturæ ratione contendunt. Ita uerò regali luxuriæ, & stultæ multitudini placent, cum in eis præsertim populares ineptiæ depingãtur, ut hinc Traiani principis (si tamen historiam cernetis eius) filium manibus patris occisum, quòd uiduæ filium interemisset. At quis hoc scribit historicus, tũ ipsius parentis caput post secula uiuens loquensque compertum? ac nõnulla de Gregorio pontifice anilia dictu figmẽta? quæ sic imperitis iactanda contigere, quòd in eo principe mira constitit iusticię pietatisq; moderatio. inde Alexãdri Bucephalum equũ.

Forte, Symmetriarum.

nam cuiusmodi Curtius exponit, etiam anima lis declarauit appellatio, quòd rictū bouis exhiberet: sed ut infernalem Plutonis uel Charōtis equum, aut Iasonis tauros ore flammas euomentes, cathenatis cruribus, & reliqua passim per eius transalpinę gentis uanitatē. Quòd
Hor. poët. pictoribus atq; poëtis Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas. Ita tamen audendum effingendumq́; docet Horatius, ut quàm aptissimè alia alijs respondentia, non rerum uel fabularum ordinem excedát. Ergo politius quidem fuerat, solo carbonis lineamento rectissimè uel gesta uel fabulosa depingere. Alios, & quidē paucos uideas antiquitatis pictores æmulos: qui exquisitissimi omnem prius corporis staturam, quam effingere uolunt, ita remetiuntur, ut membrum membro nullū propius longiusúe consistat, quàm ipsa naturę cō suetudo: nec minus astutè considerant, quas corporis partes contractiores, quas uerò remissiores intromissas, & quasi latentes esse deceat, ut stando, sedēdo, recūbendo: postremò, cuiusq; corporis motus uera simulatione naturalis insit aptitudo: tum demum uestimentorum, aliosq́; corporis habitus superducunt. ut si dimicantem Aiacem & Hectorem depicturus es, prius leui quodam artificio nudos effingere necesse sit, tum pro ipsis errorū gestibus, ad lineæ magisteriū computatis, suis locis habitus armaq́; disponere. Quot enim igitur à pictoribus statuarijsq́; errata cōmitti credamus, quæ oculorum etiam iudicio non facilè subijciūtur? nā hisce figmētis, quę quotidiano usui conueniunt, ut infantē, adolescentem, senem licet

cet incuruũ, pro naturali menſura ſcribere, ple riq; & imperiti iudicant, ut eiſdẽ effingẽdis, & ſpacio quidẽ corporis pro loci capedine cõpar tito. quod non mediocri fit artificio, cũ maiora præcipuè minori loco ſint imprimẽda, ut in hi ſce nũc gẽmis cernimus, in quib. ita maximè cogitãdũ, ſi ſenẽ barbatũ, totoq́; apparentẽ cor pore deſcripturus, ut æqua omnium membro rum parte cõſiſtat: ac maximè ſi foret infantis caput effingẽdũ. & quod in minimis edicim⁹, idẽ in maximis ſuprà quã naturalis ſpecies in dicat, debemus exiſtimare: quẽadmodũ ærea, marmoreaq́; ſimulachra Cæſarũ, gentiliumq́; deorum, paſsimq́; Romanæ antiquitatis ueſti gia humi reſerata mõſtrantur, alia adhuc ſum- mis aut templorũ aut turriũ uerticib. ſtãtia: in quibus licet ipſa per ſe maximæ ſint molis, lõ- gius tamẽ ſuſpicientiũ oculis ita quàm aptiſsi mè ſatisfaciunt, ut nihil ad genarũ pilos, nihil ad oris manuũq́; lineamenta pro cõmuni habi tu deficiat, ueluti eadẽ pro naturali cõſuetudi- ne facta ꝓximè cerneres: quodq́; in politia no ſtra iucundiſsimũ, cubitaliũ characterũ literas, quaſi in libro ex more deſcriptas corã legeres. At quanto inquam, perſpicacius in effigianda corporum nuditate? Quamobrem à poëtis, & ab Homero, Virgilioq́; præcipuè, omnia natu- ralia depinguntur, uti portuum, inſularum, pa ſcuorum, arborum, ferarum, hominũ, & omni genûm corporum ſpecies: ipſorũ inſuper, quæ pictura uideri nequeunt, ſed mẽte percipi, quę ſola natura pingit, tãto cũ ſtudio referunt, quo ſcilicet & ipſorũ poëtarũ ſic ars in deſcriben- do, uti pictorũ in colorãdo, * uel ſignariorũ in exciden-

*Signarios uo cat, quos Plini us ſcalptores.

excidendo, uelut ante oculos posita discerni possit: imò uerò perspicacius multo, subtiliusque. nam quæ uis pictoris unquam tonitrus, fulgura, imbres, uentos, cæterasque tempestatũ importunitates, ut poëta descripserit? Quis serpentium sibilationem, auium concentus, bellantium strepitus, gemitusque cadentum? quis tot generum sonos in rebus esse, anima carentibus? nunc purpureos, nunc croceos auroræ colores? orientem solem, atque cadentes noctis tenebras, lunamúe lucentem? & siderũ denique tot uarios motus, temporis & horarũ terminos, colorationis artificio demõstrabit? Agite nũc, scriptorum ingenia, ut rem diuinã, & pictoribus incomprehensibilem ne miremur? Ad ea redeamus, quibus humana manus assueuit. Dicimus nanque rerum nuditatem omnibus in picturis prȩualere. nam & quæ intuitu pudenda sunt, modesti tamen artificis elegantia sic aptè componũtur, ut ne oculis turpia sint, neue à naturali dignitate longius abscedant. Inde Terentius: * Noua forma oris, corpus sanguinis & succi plenum. non chlamydatum, neq; paludatum indicauit. & illud, Tȩdet me quotidianarũ harum formarum. &, quas demissis humeris matres iũceas reddũt. Enimuero in describendis tam corporũ quàm morum imaginibus uidetis, quàm sit idé poëta scientissimus: ac illud sanè Virgilij in uersu pulcherrimum, Credo equidem uiuos ducent de marmore uultus. sed hoc ad statuariam artem, quæ marmoribus & ebore, æreoque artificio facilè nititur, quod humani * coloris est æmulari. At qui uerò marmorarius in saxo, pictor

In Eunuc. Act. 2. Sce. 3. Color uerus, corpus solidũ, & succiplenum.

Aeneid. 6.

Fortè, corporis.

ctor in tabula, perſpicuos Æneæ uultus, quàm Virgilius in charta depinxit? Os humeroſque Deo ſimilis, &c. Namque ipſa decoram Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ Purpureum, & lætos oculis afflarat honores. Et illud poëtę: Ardenteſque notate oculos, qui ſpiritus illi, Qui uultus, uocisúe ſonus, aut greſſus * euntis. ſed innumeræ ſtant huiuſmodi apud poëtas picturæ, ut non ab re dixerimus, maximum omnium apud pictores & poëtas in nuditate rerum, hoc eſt naturali artificio, conſtare miniſterium. Nam quid ſeminudum, incuruum, rugoſum, & ſi Terentianè pingere uolumus, uietum, ueternoſum, colore muſtellino, &c. ac barbatũ magis quàm infantulum ſignarius ille cõflauit? ut Plinius minor de Corinthio ſigno ſtudioſe commemorat ſuæ bibliothecę. Quid auté capilli in ſene raritatem, caluitij nuditatem, artuumque, & ſingulorum membrorum ueluti tremorem quendam & infirmitatem, * lotij materiæúe paucitatem exprimere coëgit potius, quàm ueſtimento pannoſo circumdatum, ut plerique miſerandi ſenes exiſtunt, cum in minimis etiam gemmis coronatas ceruices aſpiciamus? nempe quòd corporum ornamenta, ut ſæpè repetam, quæ populo pro conſuetudine placent, poſteritati non conueniant. Eademque ſunt eruditorum oculis impedimenta, & pictoriæ ſubtilitati: annoſoque magis in corpore membrorum lineamenta, quàm iuniore demonſtrantur. uidetiſque præterea in quotidianis annulorum cæſuris domorum inſignia, heroumque circumſcriptiones figurari, locis quantumuis anguſtiſsimis.

Aeneid. 1.
Aeneid. 5.
eunti.
Eunuch.
Loci.

mis. Videtis hoc in lapillo Gorgoneos uultus colubris inuicem eluctantibus: alia in parte uelatam cum remigibus nauem in pelago, Praxitelis, ut credunt, opera, minimi sanè spacij, magniq; laboris (cuiusmodi nō minus apud Plautum Amphytrionis gemma legitur) orientem Phœbum cum quadrigis, regem in solio sedētem instar apis. ipsaq; animalium insectorū minima sæpè effingi uidemus, ut araneam cum musca, apiculam cum fuco, formicam cum triticeo grano colluctantem, nō studiose minus quàm in ipso Phaëthontiadum gummi compressa, ut Martialis memorat, mortalibus admiranda. quæ quidem ita fieri posse par est ab hominibus, ut à natura nobis data sunt effingendi quædam mira: & ut Iliadem librarius ille descripsit, auctore Plinio, quam geminis nucis crustulis includeret. Quin ijdem etiā omnium uulgatissimi poëtæ, omnia quæ uolūt, exquisitius atque subtilius quàm ipsi pictores & gemmarum cæsores effingunt. Nam quis Polycletus, aut Ephranor? quis Athenodorus ob nimiam fingendi subtilitatem Palladio nomine donatus? Quis Pyrgoteles ardētis penitus ingenij, cui Alexandrum se transcribendum permisisse ferunt, cum paulo antè quibusdam minimis effingendis sic uisus aciem intendisset, ut quàm naturali artificio figurationem aliquando uisam asseuerant, in sardonyche spacij minimi, unguis humani Phœbū cum lyra, laureaq; corona, quasi modulantem psallentemq; conciderit, seq; medium inter nouem Musarū chorum: cum aliqua totis ferè corporibus, alia dimidiatis, quædam parte capitis tantum uiserentur?

rentur? Quis inquam, in natura rerum archetypus tanta ſubtilitate retia demonſtrabit à ſe laborata, ut Ouidius noſter à Vulcano claudo, faboq́; ferrario conflata depinxit, quæ ipſa etiam aranearum fila tenuitate ſuperarent? uel ut Plinius idem maior in effingenda culicis exilitate, cum de inſectis animalibus miram naturæ ſolertiam exprimeret. Quas ob res non minor in exſcribendis iudicandisq́; minimis effigiebus admiratio fuerit, quæ mortalium ſenſus excedunt, aciemq́; perſpiciendo debilitāt, quàm illis, uti modò poſuimus, immenſæ molis hominum ſtupefactio. nam mediocria quęque pro naturali uſu facilè contemnimus. Iam dudum omnes Leonelli principis orationi cōſentire uiſi, cum quidam è ſocijs impolitè ſatis intempeſtiueq́; de politia literaria mētionem intulit: ſe quidem librorum copiam, ſed nullā eiuſmodi literarum, picturarum, ſignorumúe familiaritatem habere, quòd ad legēdum, uel edocendum hominem nihil pertinere arbitraretur: itaq; ſe mirari, cur à Plinio minore ſtudioſiſsimo ſignum illud Corinthium intra bibliothecam tanti ficeret. *Ad quem Guarinus ferè ſubiratus, quòd ille Plinio cōterraneo ſuo maledixiſſe uiſus: Aſt alij ſciunt, inquit, utroq; politiæ genere freti, cum ad unum intendant eruditionis & cognoſcendi cupiditatis incitamentum pictura ſcripturaq́; quam idcirco gręci latiniq́; pariter uno ſæpè uocabulo ſcripturam appellauēre, uti copioſo modo Leonello memorāte cognouimus, cum de poëtarum & pictorum ingenijs eandem ferè rationem demonſtraret. Sed nunquid effigies principū ſeu noſtro-

Metam.4.

Plinium iuniorem, Veronenſem eſſe uult Guarinus.

nostrorũ seu exterorũ quoq;, præcipuè recognoscere, manuq; tractare, uti nũc ex his gẽmis inspicimus, operæprecium credas, atq; iucundum in re literaria? Tum Leonellus adiecit: Nẽpe Cæsarum ego uultus non minus singulari quadam admiratione ęreis nummis inspiciendo delectari soleo. nam idcirco frequentiores ex ære quã ex auro argentoque fuerunt, quòd eorum staturas, uel Suetonij, uel aliorum scriptis contemplari liceat: nã intellectu plus percipitur. Sic finiẽte Leonello, Reatinus excepit: Imò noster princeps, à Satyrico pariter hoc di-

Satyra 2. sputationis genus astutè tractatum est, ubi cõ-

Cleanthas. tra eos, qui se Curios simulant, & bacchanalia uiuũt, subdidit: Et iubet archetypos pluteum seruare* Cloanthos. quem locum nõ ab re prætermissum Leonelle, meminimus, cum de construenda bibliotheca superiore anno dissertares.

Satyra 3. Idemque Iuuenalis alia in parte perspicuè, Occurrit qui marmora donet, Conferat impẽsas: hic nuda & candida signa, Hic aliquid præclarum Euphranoris, aut Polycleti. quo satis constat, ueterum in primis bibliothecas non sine simulachrorum & picturarum studio extitisse. Tum Ioannes senior: Et ego, Hieronymi præsertim effigiem, spinam de manu leonis euellẽtis, summa cum ueneratione domi obseruo. At Titus facetè concludens, adiecit: Et ego non ex Romanorum antiquis monumentis, sed ex Ferrariensium puellarum nouis insignibus uultum habeo uirginis, minima compactum in pyxide, uelut argẽteum cum aurea coma, pro cuius nuper interitu cum lachrymabile carmen excudissem: hoc quoque teneo perpetuæ

petuæ dulcisque memoriæ testimonium, in quo nihil uidetur præter uocem deesse. Simul hæc dicens; pyxidem uirginei uultus aperuit, omnibus dulce spectaculum.

QVOD FACILLIME DEPREHENdũtur refelluntur'q;, qui poësim & metrificandi usum, uel oratoriam ignorantes, ita tamen efficere conãtur, ut ijs artibus peritissimi existimentur: atq; ibidem de pulcherrimo epigrammate Cæsaris Germanici super Thrace puero: & de politissimi carminis examinatione, ac solutæ orationis per Leonellum quædam memoratu dignissima. Pars LXIX.

SVperuenerat quidam nationis Hispaniæ citerioris, Nicolai põtificis commissarius, ut dicitur, ad Leonellum, homo canonici ciuilisq; iuris non imperitus, Theologiæ etiam cognomine clarus: quibus artibus non cõtentus, se quoq; demonstrabat in poësi & oratoria promptissimum. Apud Leonellum cum fortè de clarissimis ueterũ epigrammatis mentionem quidam facerẽt, alijq; alia in soluta oratione parteq; metrica referrent, Hispanus illud omnino sibi pulcherrimum apparere testatus est, quod à Cæsare conditum didicisset de Thrace puero. Thomas Reatinus, metrica ratione strenuus, hominem interrogat, qui nam ij uersus forẽt, cum iam millies ipse cognouisset. At ille recitat:

Thrax, puer adstricto glacie dum luderet Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas:
Cumq; imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.

Orba quod inuentum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cætera dixit aquis.

Leonellus id carmē, ut sępè aliàs mirè cōmēdabat, tū ex auctoris excellentia tum q, satis sciret fuisse Germanici, tertiò recitatoris ueneratione. Cæterū cū in eius pronūciatione non satis cōcinna Reatinus aduertisset, hominē metricæ uarietatis imperitū, ut moris est eius gētis, non in carmine solū, sed ne soluta quidē oratione accētuū & orthographię rationē obseruare, eosq; uersus memoriter dūtaxat accepisse, alia super eodē epigrāmate tentare cogitauit. Erat aūt Hispanus ex his: qui libellū secum gestantes clausum, sæpenumero legunt, ac memoriter tenent: in quo uelut enchiridio multa oratorū ac poëtarum nobiliora dicta, & elegātiora uersibus epigrāmata descripta sunt, eo cōsilio, ut si quandoq; in doctorū confabulationes inciderent, quemadmodū tunc fortè cōtigit, & ipsi uideantur ea recitando simillimi. nouum literariæ politiæ genus, uel potius aucupiū, quod tamē firmis radicibus & oratoria dignitate careat, ut in principio pręsentis operis exposui. Igitur Reatino humaniter percōtāti, cuius nā Cæsaris id foret epigrāma: Hispanus respondit, Eius sibi uideri Cæsaris, quē in Lucano legimus Pōpeij Magni uictorē. Thomas, At qui nā fluuius Hebrus adeò frigore concretus? Idem uerò, qui nationis esset citerioris Hispaniæ, Hebrū nempe esse subiecit, quē populi nationis huius interfluēte mœnib. suis bibūt. Thomas: At quod nomē pueri? ille: An nō audisti modò? Thrax uocatus est. Tunc Reatinus iā uix risum cōtinēs: Putauerā per Deū, inquit,

non

non esse Iulij Cæsaris, sed Germanici literatissimi principis, boni oratoris, elegãtisq́; poëtæ, qui Drusum fratrẽ habuit, illius Augusti nepotis, cui Ouidius diuinũ de Fastis librũ scripsit, his etiam uersibus probitatem eius extollens: Quæ sit enim culti facundia sensimus oris, Ciuẽ pro trepidis cũ tulit arma reis. & hoc ad oratoriam satis spectat industriã sic: Omnis & ad nostras cũ se tulit impetus artes, Ingenij currãt flumina quanta tui. Vnde bene subdidit idẽ poëta Ouidius in eodẽ loco, Augurio felix totus ut amnis eat. Credidique propterea Hebrũ illũ Thraciæ regionis fluuiũ esse in Septentrione, ubi tãtus frigoris rigor. nã quẽ dicis in citeriori Hispania Hebrũ consuetudine gentis appellari, eum omnes ueteres Iberũ, non Hebrum appellãt: itidẽ Ptolemæus, Plinius & Liuius de transitu. nã talẽ in citeriorẽ Hispaniam sæpenumerò, præcipueq́; Virgilius, Iberũ dixere, e producto, non Hebrum: ut, Dum flumine Phœbus Ibero Tingat equos. cuius prima corripitur, & sine aspiratione. is enim Iberus est, ut Iberia quondã eadem regio uestra nuncupata: cuius fluuij nomen uosmet accolæ non nouistis, minimè frigoribus & glacie astringi solitus, ut Hebrus in Thracia, frigidissima tẽpestate plaustra sustinens onerata, in cuius alueo Orphei caput & lyram defluxisse poëtæ concinunt. Ergo bene Thrax puer eiusdem regionis aliquis indicatus est, non quòd Thrax proprium sit nomẽ. Obstupuit illico nuncius ille cõmissarius, q neq; adhuc de Augusti nepotib. neq; de Fastis Ouidij unquã talia, neue regionũ tract⁹, & nobiliũ fluminũ uocabula, nisi patrio *Aeneid. 11.*

 ser-

ſermone percepiſſet. At Leonellus iamdudũ cogitanti ſimilis, nec minus iucundi carminis quàm ſolutæ orationis amãtiſsimus: Hoc eſt, inquit, quod ſæpè aduertiſſe memini, & nunc coràm aperire conſtitui. Equidem poëma uenuſtum illud ſemper exiſtimaui, in quo primũ obſcœni ſermones parciſsimi ſunt. ſed eiuſmodi potiſsimum in epigrammatico & ſatyrico genere uerſantur. Ad hoc illud optimũ genus carminis cenſeo, in quo frequentiſsima texuntur epitheta, quę nos adiectiua dicimus, & ſupposita: rara autem uerba regentia, ita ut quodcunq; ſingulare carmen (nam omnia non poſſunt) eiuſdem ſonoritatis, idem præſtans, copioſum, ſonorum, dulce cenſeatur, in quo duo uerſantur epitheta, duoq́; ſubiecta conſortia, uno duntaxat interregẽte uerbo, uti modò in ſuperiori epigrammate diſputatum: Cumque imæ partes rapido traherẽtur ab amne, Abſcidit tenerum lubrica teſtá caput. Ita cum rariſſima neceſſariaq́; aliarum partiũ orationis copulatione uenuſtum eſt, ut hic, Cumq́;, ſiue Dũq́;: nõnulla autem aduerbiorum ingeſtione nimia, qua Græci frequenter abutuntur, ideoq́; minus elegantes iudicio meo: quod maximè noſtri abhorruere, ne eãdem frequentiſsimáq́; ſeu connexionem ſiue diſiunctionem apponerent. Videtis quàm creberrimum apud Homerum ſit: quo ſi noſtri pariter uterentur, id ego profectò uitioſiſsimum eſſe iudicarem. Omitto præterea hoc apud eundẽ poëtá, totiẽs eoſdem uerſus, eaſdemq́; ſententias, & iam dicta factaúe demutare, petita in omnibus recẽſere uoluminibus. nã id quoq; criminoſum in me

judica-

iudicarem,quod ego in poëta magis itidē uerbosissimo,ut omnium ingeniosissimo,reijcio. Verū enim ut de primo libro tātū eloquamur, quánam carminis uel sententiæ ratione,aut historiæ necessitate,qua licētia demū, uel auctoritate poëtica Virgilius Iouē exposuisset, mandato Somno denunciantē,quæ mox eadem in somnis Agamēnoni siue Æneę recēseret,eadē rursus Agamēnon enarraret. Credo equidem poëtā nostrū non fuisse facturū, sed inducturū regē omnino ea semel mādata referentē, quæ per somnū à Ioue didicisset,ut Achilles alibi demōstrauit in Homero.Id igitur constare dixerim,purgatissimū carmen duplici epitheto adiectiuoque,& uno regente uerbo contentū,ut modò numerauimus.quo in genere Virgilius est aptissimus in heroico, & Ouidius in pentametro,omnes deniq; qui egregiè carmē intelligūt.Igitur & Martialis simili modo legitur:ut, *Li.1.Epi.105.*

Aemula Baianis Altini littora uillis,
Et Phaëthontei conscia sylua rogi:
Quæq; Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas.
Vos eritis nostræ requies portusq; senectæ,
Si iuris fuerint ocia nostra sui.

Itēq; Iuuenalis aliquādo,tametsi satyrica grauitate constrictius: Cū iā semianimū laceraret *Satyra 4.* Flauius orbē Vltimus,& caluo seruiret Roma Neroni.Etenim plerunq; epitheta uersibus intercludunt,ut qđ in anteriori uersu deficere uisum,in altero cōsequatur. sic de regēte uerbo sit dictū.Itaq; uersus ille cōstrictior: Incidit A-

driaci ſpaciũ admirabile rhombi. uel, Contẽnit mediam temeraria læna charybdim. His uerſibus geminata uideas epitheta, ac cætera quæ propoſui. Sępenumerò duplicatur epitheton, nec uenuſtè cũ uno tantũ eius epitheto uel adiectiuo, ſi participiũ ſit pro regẽte uerbo diſpoſitũ: ut in Tibullo, Vecta eſt frenato cærula piſce Thetis. uecta eſt, pro regente uerbo ſuſcipitur, quod Græci aoriſticè una uoce reprę ſentarent. Sunt & aduerbiorũ raræ interpoſitiones non indecoræ: nõ quòd in metro necesſarium ita ſit, ut eo dempto ſententia non conſtet. proinde ſuperflua quæq; abijcienda, quæ non metrũ tantummodo deformãt, uerumetiã turpe reddunt, & quaſi ſylueſtrẽ ac dumoſam faciũt orationẽ: ut, quippe, quidem, nempe, quod, & huiuſmodi ſæpè repetita. Erunt igitur uerſificationi non participia ſolum, ut diximus, ornamento, ſed & infinitiui ſermones adiumento: cuiuſmodi Virgilius, Iuuat imbrib. actis, Progeniẽ paruã, dulcesq; reuiſere * natos. Cæterũ ad propoſiti ſeriẽ epigrãmatis accedamus, quo cęterorũ in eodẽ genere exẽpla dignoſcãtur. Igit Thrax puer, in primo uerſu, & Aſtricto Hebro, ratione pdicta bellisſimè copulantur. Eiuſdẽq; tenoris ſunt, Frigore & põdere, & Cõcretas aquas: quo epitheto mixtę cernunt. Tãta adeò uocũ cõſonãtia, ſeu gemina uocũ poſitio ſæpè cõuenit, ut pro adiectis & ſuppoſitis pariter audiãt. quale & illud carmẽ eſt, Libra die, ſomniq; pares ubi fecerit horas, Et mediũ luci atq; umbris iã diuidit orbẽ. omnia enim hic paria ſunt: libra fecerit, pares horas, die ſomniq;, in priore uerſu: in altero Libra repetitum, cum diuidit,

Lib. 1. Eleg. 5.

Georg. 1.

Nidos.

Georg. 1.

dit,mediū orbem,luci atq; umbris,magna cōpositionis cōcinnitate.Nec in hexametro solū, uerūetiā pētametro,atq; in partib.oratiōis indeclinabilib.ut Ouid.Clamabā,Sine me, me si ne mater abis?Sed huiusmodi genus carminis lusoriū est,ideoq́; iucūdū & laudabile, si perrarū:propterea nō tā heroicę dignitati,q̄ satyricę uel elegiacę cōueniēs:in quo cōficiūdo sentētiam simul cū aptissimis uerbis opus est inueniri.ut,Crescit amor numi,quātū ipsa pecūia crescit.&,*Cū fortuna uolet,fies de rhetore cōsul: Cū uolet hęc eadē, fies de cōsule rhetor. nā talia sanè licuisset,Fiet de p̄tore cōsul, tametsi de cōsule prętor in metro cōuenerat. Magna igit̄ uis est in uocabulis quibusdā,multaq́; eorū opportunitas in carmine uariādo:ut,Ipse licet uenias Musis comitat⁹ Homere,Si nihil attuleris, ibis Homere foras. nō alius fortasse poëtæ sic potuisset nomē imponi.Indicant enim huiusmodi sermōes & aliarū sibi rerū cōueniētiā.nā si dixero, Quos ego scriptores,quæ græca poëmata uolui:Alter Herodot⁹,alter Homer⁹ erāt: qs nō existimauerit,me alia quoq; Gręcorū uolumina tractauisse?Sic &Martialis alludit sæpe numerò:ut:Perridicula res est.Vis dare,nec dare uis.ut p̄noscatis huius gen⁹ carminis in iucūda q̄ graui materia magis oportere.Sed Germanici epigrāmatis sequor institutū,inquo si glacie,ut in primo uersu est,uideatur abūdare ratione præposita,ideo carmē fit exuberātius, ac plerūq;duplicata sententia perfectius.Quippe si collatis in uno uersu duob. utrinq; substātiuis &adiectiuis suo cū uerbo,quempiā interfectū ostendero, ita ut substantiuū aliud inter

Iuue. Saty.14. & 7. ubi Si, legitur,nō Cū.

se facillimum sit: quale est, Ferro, gladio, lácea, lapide, & id genus. Idem quoq; pulcherrimũ carmen, ac ex omni parte rotundum & copiosum appellabitur, uti nũc est: Thrax puer astricto glacie dũ luderet Hebro. Glacie superante, neq; uenustate solũ, uerũ & necessitate positũ apparebit. poterat nanq; uideri fluuius ille siccitate adstrictus, ut puer luderet in arenis, nisi protinus sequeretur: Frigore concretas. Atqui per hũc primũ dactylicũ pedẽ, Thrax puer, sermocinationis occasione duas dictiones cõprehendit. Hoc epigrãma quidã censent nõ ex necessitate, hoc est, rei ueritate uel historię, sed de industria fabulose cõpositũ, ut poësis picturã potius quàm rem demonstraret: in quo genere sunt & Martialis, & multorũ epigrammata. Nam quando unquã contingeret, ut de puero, seu alia re, uno in pede similia tã breuiter & aptè ligarẽtur, nisi sit Phryx uel Tros puer: sed in alia sentẽtia colligandũ. nã trux uel dux puer, ætate non cõsonant. Cæterũ senẽ fac, aut puellã aut matronam Hebro pariter*irruisse, ne id quoq; carmine tã breuiter uel aptè cõmodum erit. Quòd si in re cõstiterit, miro quodam fortunæ munere, non puerili infortunio contigisse dixerimus, ut potius apud nos tale carmẽ superfuisse, quã eum puerũ non occubuisse cuperemus. Notanturq; præterea huius tersissimi epigrammatis exemplo propriorũ nominũ expositiones, & familiarũ genera, in metricis defunctorum laudibus non admodum necessaria, nisi quàm aptissimè honorãda contigerint, aut metro pulchrè cõueniant, cuiusmodi sæpè utitur Martialis: neq; annorum aut temporis qualita-

Forte, interijsse.

qualitatem, & id genus spectes, quod solutè melius exponitur. proinde epigramma metricum, ex omni parte nitidissimum, breuiq; constare debet oratione, nec ligandum puerili sermonum consonantia, cuiusmodi legi solet à ludimagistris in grāmaticæ præceptionibus Alexandri. Itaque monosticho uel disticho sæpè Martialis elegantissimè utitur. Sed profectò non minus admiranda est in exiguo epigrammate concinna copiosaque breuitas, quàm uel pridie de minimis gemmarum impressionibus atque figuris disputaremus. In quo genere est Neronis tempestate inscriptum carmen, uti uulgarunt in Licinij precioso tumulo, quē ille contubernalem suum mirè dilexisset: Marmoreo Lycinus tumulo iacet, at Cato paruo, Pompeius nullo: credimus esse deos? Sic plerunque nostri de catello, philomela, psittaco, & id genus, funebres nisi uersiculos scripsere: sic Martialis operis sui ultimum librum facere conatus est. Cuius quidem Germanici carminis structuram, quo distinctius repetatur, uidetis, ubi pariter dicitur: Imæ partes, & Rapido amni, cum suo uerbo Trahūtur: sic Lubrica testa, & Tenerum caput, cum uerbo Abscidit alligantur, quæ ex maiori parte sunt epigrāmatis. Cæteri duo uersiculi, ut, Orba quod inuentum mater, &c. in conclusionis oratoriæ facie, *seu cantoriæ melius, ut in musarum fine cernimus, pedetentim in partes suas resecatas: quippe cum impossibile sit, ut superius innui, præsertim in multorum uersuum compositione, rerum & sententiarum uarietate in omnibus penitus eandem obseruari uariationem,

**A cantore, cātorius, fecit satis audacter: et musarum pro cantilenarum posuit, ut Virgil. Pastorum musam.*

quam non Ouidius, Tibullus, Martialis, ipſe deniq; Virgilius ſeruare potuerunt: ſaltem dimidiatos eſſe decet, uti nunc de ijs poſtremis duobus: Orba quod inuentum mater. ecce una pars. Dum conderet urna. altera: ita tamen inuicem colligatæ, ut ſenſu diuidi nō poſsint: & ſatis antiquè loquitur ac tragicè, Hoc peperi flammis. itemq; alia. enimuero huiuſce conſonoritatis iucundum eſt artificium: idemq́ue non minus cum ſentētiarum grauitate, quàm membri uel articuli coloratione. nam in eodē contexendi genere mirabilis eſt Virgilius: Ante focū, ſi frigus erit (una pars) ſi meſsis, in umbra: altera, ac ſimili diuiſione: Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum Aut numerū lupus, aut torrentia flumina ripas. uix intereſt unum epitheton, torrentia. Itemq;, Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes. nā quòd in fine præcedentis uerſus omiſerit, nullaq;, & idem epitheton, ſic herbarum elegantia utrunque carmen expoſuit, huius ueluti caudæ alterius apicis facta copulatione. intercludunt enim, ut dixi, uerſibus epitheta præcedētia modò, modò ſequentia, delphinorum inſtar inter undas eluctantium. Quòd ſi nobiliora exempla dari percupitis, Æneis pleniſsima eſt: ut, At nunc horrentia Martis Arma, uirumq; cano. ſi placet hoc poſterius, duæ ſint in metro particulæ: nam alioquin in uno ſubtrahi nō potuiſſet, Troiæ qui primus ab oris: aut, Italiam fato profugus Lauinaq; uenit Littora. alia etiam cum ſuo epitheto. Gaudent, ut dixi, poëtæ ſuo more, ubicunque poſsint, adiectiua ſubſtantiuis opponere. Cæterùm iſte primus locus exordij

In Daph.

In Melib.

Georg. 3.

ordij ideo per interſectiones uenuſtior eſt, quaſi per exiguos quoſdam grauioris alitis ſal tus ad altiora paulatim euolando ſubleuetur. In quo epithetorum genere Horatius in primis, ac Seneca tragicus copioſiſsimi ſunt. Id autem interſecti carminis genus ita uenuſtum in primis, graueq́; reputabimus, ac coronarum more florigerum & redolens, ſi rarum interue nerit. in tragico ſanè ſtylo talis uerſuum compoſitio ſolet maximo cum ſententiarum pondere ſociari: ut, Stat ſua cuique dies: & hic una pars. breue & irreparabile tempus: alia. Sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus: aliæ ſunt. Item, Naues, quæ fortè paratæ, Corripiunt: una. onerantq́; auro: alia. Simulq́; diſtinctione & alia diuiduntur: ut, Portantur auari Pygmalionis opes pelago: dux fœmina facti. Deuenere locos, ubi nunc ingentia mœnia cernis, Surgentemq́; nouæ Carthaginis arcē. Nec non lyrica modulatione multæ huiuſcemodi ſeruantur inſectiones.* ut, Regitur fatis mortale genus, nec ſibi quidquā ſpondere poteſt, Firmū, & reliqua. Quinetiā ſingularibus ſpondæis ſeu dactylis idem ordo in rebus grauiſsimis arduisq́; uerſatur: ut, Monſtrū horrendū, informe, ingens, cui lumen ademptū. Idemq́; Lyrici uerſus in epithetorum dulcedine & copia maximè cōtexuntur, quorum, ut apud nos princeps eſt Horatius, ſic in Græcis Pindaricæ cantiones efferuntur. Comici epithetis non utuntur, ſermonū nuditate tanquā candore cōtenti, dicendi uim quàm ornatū indicantium magis: in quibus mira tamen ſententiarum copia conſiſtit ordine multiplicato, uti modò de-

Aeneid.10.

Aeneid.1.

Anapæſtici ex Senecæ Octauia.

Aeneid.3.

interſectorum genere monſtratum. Ergo ſi dixeris: Poëta cum primùm animum ad ſcribendum appulit, ſibi illud negocij credidit ſolum dari, populo ut placerent, quas feciſſet fabulas. ferè eiuſmodi ſunt omnia, nullum uideas epitheton, nec in prologis ſolũ, ſed nec in materiæ tenore: ut, Vos iſthæc intrò auferte, abite: Soſia adeſdum, paucis te uolo, epithetis carent. Sed ad conſueti carminis dulcedinem redeamus. Quemadmodum de citharizandi harmonia monſtratum, loco concluſionis aptiſsimo: ſic ad magnorum præcipuè operum principia cum ſuauiſsimæ quadam modulationis ingreſsione peruenire decet, * ad minorẽ ſubinde cantilenam inter expectationem auditorum reſpiciamus. Sic ergo Virgilius primis ſeptem uerſibus finiens, Atque altæ mœnia Romæ, extemplò cantum ſuum inſtaurat: ut, Muſa mihi cauſas memora. cuius ordo carminis ab Homerica modulatione non diſcedit, tametſi Græcus à Muſæ uel deę inuocatione prius incipiat, uterque ſanè priore congreſsione propoſita altiorem ſtylum exordiuntur. Sic Statius, eiuſdem æmulator, Achilleidis initio deſinens: ut, Tota iuuenem deducere Troia: mox plectra recolligit, Soluerat Oebalio claſſem de littore paſtor. Præterea non plures uerſus opus eſſe iudicamus, abſolutos ſeu ſingulariter poſitos, ſed ab alio, præcipueque ſuperiore dependentes eſſe decet: quale eſt, Extremaque agmina caudæ Soluũtur. & addit, Trahit ſinus ultimus orbes. Ita quandoque epitheta ſuperioris uerſus cum ſubiectis in ſequenti carmine aptiſsimè ſociantur: ut, Nigra uelut magnas domini

Andr. Prolog.

Vt ad minorẽ (aut rectius) maiorem.

domini cum diuitis ædes Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo. non incongruè tamẽ distare uidentur, cum longissimè distent. nam ex tertio uersu epitheti digressione permittitur. Idem ferè, At mecum raucis tua dum uestigia lustro, Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. Interdum propius aduenient, licet duorum uersuum appositione: ut, Centumq́; Sabæo Thure calent aræ. adeò ex duobus uersibus dimidiatis unus fieri uidetur: sic, Nullæq́; Aut herbæ campo apparent. quanquam uersus est alioquin hypermeter dictus, syllaba in fine superextante,* quæ cum sequentis statim initio conglutinatur: quo genere rarissimè uti conuenit. Verumenimuero omnium pulcherrimum uersum ego censuerim, cum ita uariæ sint epithetorum subiectorumq́; uoces, & uerborum, ut nullius desinẽtia sermonis alterius terminationi conformetur: sed omnia circunquaque diuersa uoce, resultante iucunda modulatione, ut in fidibus dulcissimam efficiunt symphoniam: eiusque generis carmen apud omnes poëtas non facilè reperitur, quod ipsas cecinisse deas, ipsumque Apollinem composuisse putes. quo in genere est Virgilius princeps apud Latinos: ut, Quadrupedante putrẽ sonitu quatit ungula campũ. totus melle succoq́; circumfluit hic uersus, ut aurea cithara, aureáue tuba resonare sentiatur. & hic uicissim Vngula superat, eadem qua modò diximus uenustate & copia, de glacie in uersu, Thrax puer. in qua re falluntur, hoc ideo tam sonorum carmen existimantes, quòd totum dactylicis præter caudam constet pedibus. nam & illud

Alexi.

Aeneid. 1.

Georg. 3.

Nõ superesset syllaba, si legisset; Neq; ullæ, ut nunc legitur.

Aeneid. 8.

in

in pedibus sententiaq; persimile est : ut, Quadrupedumq; putrem cursu quatit ungula campum, in undecimo Æneidis; non tamen ubiq; uocum gratia simillimum, quòd quadrupedũ simili tono confiniant. Multaque sunt Lucani dactylica, ac nuda carmina, non ideo Virgilia-

Pharsal.1. nis comparanda: quale est, Cumq; superba foret Babylon spolianda trophæis. unum habet epitheton, uel si duo sunt cum uno substantiuo, alterum quasi superfluere uidetur. Ita ne

Aeneid.10. huic quidem Virgiliano conferendum: ut, Corytiq; leues humeris, & lethifer arcus. qui uersus tam spondæo quàm dactylo constructus, geminis tamen epithetis honestatur. ergo diuersarum uocum potius consonantia, epithetorumq; geminatione, quàm dactylicorũ numero metrificationis altitudo consistit: nec diuersarum uocũ omnino, uerumetiam syllabarum, & quod subtilius est, literarum uarietate, quibus uox ipsa loquens efficitur, ut ex eo-

Aut duriores legendum est: aut prior uox meliores. dẽ poëta percipimus, alio alijs molliores * deterioresq; faciente uersus. quod si quandoque apud poëtam plurimarum uocum parietatem audiamus, fit in a præsertim desinentibus q̃ alia terminatione magis, ac magnificè quodã-

Aeneid.9. modo: quale est, Cristaq; tegit galea aurea ru-

Aeneid.5. bra: uel, Omnibus in morem tonsa coma pres-

Aeneid.9. sa corona: aut, Ora puer prima signans intonsa iuuenta. Sed ad literarũ ordinẽ accedo. Exẽ-

Georgic.1. ubi pro curuãtur, alij formãtur, alij conflantur legunt. plum est, * Et curuæ rigidum falces curuantur in ensem. in quo uersu cum omnia sint, ut modò dixi, perfectissima, non tamen is est in pulcherrimis numerandus, ob literarũ f & l collisionẽ: cuius hic similis est, ut, Reduces illi ludunt

dunt ſtridentibus alis. Offendunt ſanè tum ſyllabæ pares, tum deſinētiæ conſimillimæ: quēadmodū & in Ouidio, alioquin metrificandi peritiſsimo, hoc ſæpè malum inuenitur, ut in primis, Sollicitos feciſti Romule ludos, Cum iuuit rapta Sabina toros. Sunt hic & uerba ordine collocata, & epithetorum numerus, ut dictum, ſed parum laudātur ipſi: at illi profectò meliores, Tityrus, & fruges, Æneiaq; arma legentur, Roma triumphata dum caput orbis erit. in quibus ſeu Tityrus ſiue fruges epitheton ipſum repræſentant, ut de frigore & pondere modò dictum: tanta adeò nonnunquam eſt duorū ſubſtantiuorum autoritas. Hic cum quidam uultu uoceq; preſſa Ouidianā laudē de Virgilio maximā innuiſſet, Leonellus aduertens, ſubiecit: pulcherrimam quidem olim fuiſſe, ſed quæ minoris nunc eſſet ponderis, erga Virgilianam grauitatem: quæ non ſolum illa felicium Romanorū tempora ſuperaſſe, uerùm omnia futura ſecula æquiparatura crederetur. Quin ab ipſo Marone potius & perpetuas & ferè æternas alijs cōmendationes dari ſolitū: ut, Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit, Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ, Semper honos, nomenque tuum, laudesq; manebūt. In primo quoq; Æneidis idem ab Ænea dictū in Didonē, *quòd mundi & rerum fines amplecteretur. Oſtendebatq; Leonellus huiuſcemodi carminis atque aliorū repetitionē, ſi rara foret, elegātiſsimam (ut in Virgilio certè perrara eſt) in ſoluta uerò oratione nonnunq̄ opportunā. Itaq; princeps continuauit: Quamobrem ſuauiora fuerunt, ac ra-

Aeneid. 1.

In Daphni.

Verū, ſed prioribus uerſibus mutatis.

ac rarissima carmina, diuersa uoce resonantia: ut cum sæpè contingat epitheton cum suppo sito eiusdem esse consonátiæ, sicut modò, Æneiaque arma, de literæ geminatione melius resonuerit, si paululum separetur: ut, Stuppea torquenté balearis uerbera fundæ. & hic participium uideas pro uerbo conueniens. Itemque uenustè separatum, Dum tenera attondét simæ uirgulta capellæ. Sic ea bellissimè, quæ modò dixi, repetita interdum coloratione. nã cum superius audiretis, Dum iuga montis aper: nũc ferè persimilem uersum accipite, Nec cum uectus equis altum petit æthera, nec cũ Præcipitem oceani rubro * lauat æquore currum. Hic autem ex præstantissimis uersibus est, ut modò significauimus in uersu, Thrax puer, cum de nomine Glacie non frustra superflu ente diceremus: sic in hoc uersu, nec ineptè, superfluit. Non igitur magis in carmine quàm soluta oratione uitiosa repetitio, neue alij in rhetorica arte tum uerborum tum sententiarum colores, si quàm aptissimè uersibus inserantur. Delectantur interdum poëtæ auri, argenti, ærisque iucunda repetitione astutè sanè, ut re charissima: quibus non absurdum uideatur, quod omnium utique mortalium animos occupat. ut, Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum, Aurea purpuream subnectit fibula uestem. Sed quàm diuersa uoce con siderate. nam aurum, auro, aurea scripsit. Item alibi: Aurea pectoribus demissa monilia pendent, *Strati auro fuluum mandunt sub denti bus aurum. Nec illud dissimile, Aurea cęsaries ollis, atque aurea uestis: ut caput & barbam poetæ

[Margin notes: Georg. 1. — In Gallo. — Geor. 3. lauit. — Aeneid. 4. — Aeneid. 7. — Tecti auro. — Aeneid. 8.]

poëtæ ex auro depingerent. Ouidius pariter: Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curuatura rotæ, radiorũ argenteus ordo. Nec minus argentum Virgilius cum auri splendore coniunxit: ut, Hæc inter tumidi latè maris ibat imago Aurea, sed fluctu spumabant cærula cano. quum sanè ex argento fuisse monstratur, ideoq; subditum, Et circùm argento clari delphines in orbem. item, Auratis uolitans argenteus anser Porticibus. Necnõ ex ære, quod Græci orichalcum uocant, nos aurichalcum, magnifica poëtæ demonstrãt opera: quale est, Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq; Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis. Itẽ in armamentis egregia opera: ut, Æratæq; micant peltæ, micat ęreus ensis. Ac in nominibus alijs itidem iucunda repetitio: ut, Omnis eo terrore Ægyptus, & Indi, Omnis Arabs, omnes uertebant terga Sabęi. quippe & in uerbis uicissim apponitur: ut, Vrit enim campum lini seges, urit auenæ, Vrunt letheo perfusa papauera somno. Quamobrẽ elegantissimi uersus fient omnibus, quæ suprà memorauimus, argumentis, ac uiua uoce resonantes. decet enim carmen efficaciori quodammodo spiritu, quàm orationem solutam constare, ut in uersibus equitantes, in alijs autem elocutionis partibus, quæ numeris carent & legibus, pedestres incedere uideamur: qua ratione fit ut uersus dicti sint, quia sæpè uertantur. sunt enim studiosissimè prius castigandi componendiq;, quàm in lucẽ prodeant, ac omni superflua uel inhonesta uerbositate purgãdi. deniq; ut Horatius ipse præcepit, mora, labore, lima, opus:

Metam.2.
Aeneid.8.
Aeneid.1.
Aeneid.8.
Georg.1.
In poëtica.

ideoq; clamat, Vos ò Pompilius sanguis, reprehendite carmen, Quod non multa dies, nō multa litura coërcuit, & quod perfectū decies nō castigauit ad unguem. quod in intempestiuos uersificantes dictum est, adolescentesque præcipuè inanis gloriæ cupidos, quibus satis uisum in conficiendo poëmate syllabarū rationem obseruare, cum in soluta oratione omnis non minus puerilitas superflua quàm loquacitas sit abijcienda. Neque enim in carmine cum opus est, frequens coniunctio eadem spernenda est, cuiusmodi uidemus à Virgilio & à poëtis Græcorū melioribus factitatum: ut, Athamasq;, Thoasq;, Pelidesq; Neoptolemus. quo cōiungendi genere sæpè Virgilius utitur, multoq; tamē frequētius Græci, spondæū in quinto pede reponentes. Sed illas ego coniunctiones odiosas esse censuerim, quas totiens imponunt, uel sæpè etiam in duobus iunctis uersibus, qui eisdem finiantur dictionibus. Quod genus poëtæ nostri potissimū abhorruerunt, ideoq; criminandū. nā à uersus principio eisdē ut in sermonibus, quod nostri sæpè faciunt, nō modò non superfluū, uerumetiā concinnū apparebit. Videntur autē, ni fallor, hæc carminum genera quæ posuimus, hoc pacto posse cōparari seu discerni lucidius (namq; sunt cū omnibus suis epithetis, seu certè frequētibus uerbis scripta) si pedestrem exoluas in orationem, uerbosam quodammodo, ac minus comptam efficiunt. Marone tamē excepto, qui tanta arte suū opus intexuit, ut in prosa resolutū eloquentissimus etiam uideatur. Sed non mirū in cæteris, ubi opus nō sit humidas aquas,

Aeneid.2.

feruen-

feruentẽ flammam,arenam bibulam, uirentes frondes inſerere, & infinita huiuſmodi, quæ numeris bellisſimè cõponuntur. Cętera uerò, quæ minori epithetorũ familiaritate,in metro minus ſplendente,eadẽ diſſoluta, copioſa, grataq; non minus,ac de comico ſtylo * prædicto uidebuntur,ſententiarum ornamentis perpolita.unde nonnullos uidemus uerſu dulcius q̃ libera oratione, & alios ſoluta grauius quàm metrica reſonãtes,ut rarisſimos inuenias, qui utroque genere polleant. Quibus rationibus omnino diuerſis non ſolum ex pulcherrimis uerſibus pulchriores dijudicare, uerumetiam ęmulari debuerint,effingere,permutare,tranſſcribere. Sic Homerus à ſuperioribus, ab Homero Virgilius,à Virgilio multi deinde ſuſcepere.uerùm hæc in præſentia ſatis ex me:cætera ex huius artis præceptoribus egregijs,& in primis Horatio,ac Ouidianis operibus maturè perdiſcenda ſunt. nam niſi à teneris annis metrificandi,poëtasque tractandi conſuetudinem imbiberimus, una hæc omnium ſententia eſt,quæ in prouectiori ætate uix queat intelligi. His finientem tandem Leonellum omnes admirari, ut aſſolebant, & ſummis laudibus extollere,præcipuè qui aderant uerſificandi periti.in quibus Thomas Reatinus,ex equeſtri ordine Franciſcus Arioſtus, Leonellus Sardus,qui paulo antè ad eum principem de obitu Nicolai genitoris, conſolatoriam heroicè ſcripſerant orationem. Ita cum & idem Hiſpanus principem aſſentatione, quàm iudicio magis afficeret, Titus & ipſe carminis cognitione peritisſimus,moræ longioris impatiens

forte deducta.

Hiſpanum appellat: Quandoquidem doctor amplisſime, tot generibus ſentẽtiarum imbutus es, edoce me quæſo (quoniam moris eſt aliquos interdum uerſus uerba mutare, effingere, tranſcribere, ut modò ex Leonello percepimus) num ludit prò luderet, exprimere posſimus: ut ſic, Thrax puer aſtricto glacie dum luderet Hebro. &, Dumq; imę partes: ſicut eũq;, & ueherentur uel raperentur, uel traherentur, & amni tanquam anni, & conſcidit aut excidit, uelut abſcidit, & hoc flammis peperi, quẽadmodum peperi flammis, poneretur. At Hiſpanus, qui totus eo eſſet animo, cum eos uerſus acciperet, ut quàm ordinatisſimè proferret, alioquin poſſem in criminationem incurrere, reſpondit: Non poſſent alio pacto mutari ſine ſententiarum & pedum iniquitate. Quãobrem magnus ille uerſificator, uti uideri cupiebat, tantiq; domini commiſſarius, qui ſuis artibus ſatis clarus haberet, alienas ſe cognoſcere iactans diſciplinas nobiliores, eſt omniũ circumquaque exibilatione perfuſus, uti qui fortè ſaltandi uel canendi ſtudio non exercitus, inter pſallentium choreas intrauerit, exẽplumq; notabile cæcus ederet de colore. ij ſophiſtarum ſeu idiotarum de genere ſunt, hoc eſt apparentium, ſed non exiſtentium, qui literariæ politiæ conſortio recipi * mereantur.

Puto legendũ, non merentur.

QVAM IMPOLITE, INCONſtanter, inhumanè faciunt, nec in literario concilio recipiendi, quicunq; orationem, uel epiſtolam à ſe amici rogantis nomine inſcriptam, rurſus uoluminibus ſuis, laudiq; propriæ tribuunt. Pars LXX.

Hunc

HVnc & eius generis plerosque uaria inter se contentione criminabantur, cum sapienter Leonellus adiecit: At quidem huic contrarium aliud est, nec indoctorum hominum genus, neq; minori reprehensione dignum: qui non aliena, sed propria superbè gloriantes, dum plurima sese laude digna uolumina confecisse demonstrant, eo minus in sua facultate præstantes, ac pauperrimi ingenij esse à doctioribus annotantur. sunt ij ætate nostra conspiciendi nonnulli. nam quis ueterum tale ausus est? qui suis orationibus, quas tamen rarissimas faciunt, Tullianis uel historicorum actionibus comparandas, atque ab alijs pronũciandas, cum ipsi recitare non audeant, iactãt, enumerant, accumulant, opera multa fecisse, è græcis latina transtulisse: quæ tamen ipsi non transtulerint, sed ab alijs transcripta prius noua, deinde prologis insertis suo nocturno labori designãt. neque enim ex hoc nostrorum quisquam reprehendendus, qui Aristotelicos Ethicorum libros ingenio suo potius instaurauit, quàm quòd ab alio perfectius antea editi fuissent. Nulla mihi cum Thuscis seu Romanis oratoribus lis est, nulla cũ Veronense præceptore meo, quorum ingenij peritiæq; egregia constant monumenta: cum alijs contentio est, qui etiam orationes edidisse profitentur. at cuiusmodi tamẽ orationes? nempe quæ Tulliana præceptione carent. Itidem epistolarum libros multos ostentantes, in quibus nihilo magis Tullium imitari uideas, quàm quòd aliorum complures epistolas suis commiscuerunt, quo matura uolumina demonstrarent:

in quorum ſcriptis ſi ſtylum aduertas, quem ſermonum improprietate, plebeio more refertiſsimum eſſe liquet, eoſdem non Ciceronianos, ſed Ceretanos fabulatores magis adiudicaueris. quo quidem expreſſe conſtat, eoſdem de Græcis minus intelligere, qui latina tot annos non perceperint. Sed de uocabulorum improprietate, palatinaque ſcribendi conſuetudine, nunc omittendum: quam ſatis meminerimus à * Laurentio iampridem, nuper etiam à Veronenſe noſtro reprehenſam, ac quantum per eos licuit, emendatam. Ad id criminationis genus accedo, unde initium ſumpſimus. ſcribunt igitur orationes, quas epiſtolarum libros nominant. Vnde hoc nempe? quia paucisſimas ſcribunt orationes, quarum cum uolumina facere nequeant, ut Tullij ſunt & Demoſthenis, ut noſtrorum etiam nonnulli, qui coram principibus, ſummisque pontificibus multas egregiè habuerunt, easque poſteritati mandauerunt: ne ſingulares nudæq; remaneant, minimis quidem libellis euaneſcentes, epiſtolarum uoluminibus ingeſſerũt: quod in Tullianis certè epiſtolis exemplum non apparet. Enimuero temporibus ingenijsque præſentibus nõ tam facile orationem eſt, quàm epiſtolam ſcribere. Ex ijs autem orationibus ſuis uel epiſtolis, ſi fortaſſe aliquam ſcribere contigerit, uti moris eſt, pro amico, & literato quidem, uerùm non adeò in ſcribendo ſtrenuo, ut orator prorſus habeatur: cæterùm precibus poſtulante, ut nomine ſuo deſcribatur oratio, quam ipſe pro ſua ſit æditurus: cur ijdem eueſtigiò tantam leuitatem improbitatemq;

Laurentiũ Vallam intelligit.

temq́; desumpserint, ut eandem orationem sibijpsis arrogét, & pro sua in uulgus emittant? Accidit sanè ad excellentes dominos, ut summum pontificem, imperatorem, regé, frequenter legatos mitti, & eos sæpè insigni dignitate præditos, uitæq́; integritate, & ætatis testimonio probatos, quorum fortè non consuetudo sit orationem exquisitam componere, tametsi alijs scientiarum generibus effulgeant. Horũ igitur siquis laude dignissimus oratiunculam ab amico, suo nomine scribendam cogitauit: quare nõ illico sponteq́; describenda, ac nullo dolo, quinimo totis uiribus benemerenti amico consulendũ censuerimus? Non enim eiusmodi amicus laudem sibi comparaturus ad amicum uenit, ut laudem detrahat, quæ quidẽ dando nõ minuitur: sed ut ex eo, alioquin laudato uiro, famam quoque sibi oratoriæ probitatis inueniat. An id Cicero tu uel familiarem tuum, seu quouis pacto insignem & laudabilem uirum, apud populum seu principem noua commendatione donandum uoluisti, ut pòst honore parto defraudares, & pro decore dedecus iniungeres, iactabundus scilicet, illã tui penitus, non familiaris orationem extitisse? At enim quid humani doctiq́ue uiri tandem sentiant, cum in tuis uoluminibus eam abs te positam deprehenderint? Siccine uulgò probari contendis, à meliore populi parte damnandus? nempe te inhumanè, superbè, quia fecisse iudicabant, simul ingenij tui rationumq́; tuarũ paupertatẽ aperijsse. Quod quidem iniuriæ genus euitandum esse uel ex eo maximè percipit, quòd à Cicerone, qui plures

fortasse scripsit orationes, quàm isti epistolas, nulla penitus alio nomine descripta comperitur. nam quod dicitur, Pro Pompeio, Deiotaro, Marcello, & id genus, non eorum tamē nomine, licet gratia factum constat, Tullio eodē auctore & perorante. Idem de hominibus antiquis, qui orationes, epistolas, & epigrammata scripserunt, dicendum est. an quia nullā unquam amici nomine descripserint? minimè: cū ad familiares etiam opera sua inscriberent, & in tanta amicorum copia cognationeq́; liberaliter & amicè fuerit faciundum. at quamobrē nullam factam apparet? quia quod semel amico clàm postulanti beneficij nomine concessissent, tanquam ab eodem excogitatū, eiusq́; opus, extare uoluerunt, nefarium arbitrantes, idem rursus ad propriam laudem præconiúmue circumferri. In quo genere tanta Ciceronis humanitas, moderatioq́; extitit, ut à se confecta uolumina in dialogorum morem, amicorum potius auctoritate, defunctorum quoque immortalitate, commendaret. Isti contrà labore alieno facta opera in suam gloriam uendicare non erubescūt. Iidem adeò in nostris regionibus literatissimi eruditissimiq́; ingenij fuere, qui quondam principes extiterunt, quantumuis Nerones ac Domitiani, iidem orationes suas factitabant, præcipuè funebres, scribarum opera non indigentes: ut nostra tempestate nihil referre censeam principū scribas, quos seu secretarios, ut uulgò nominant, siue oratores appellare mauis, orationes suis uoluminibus à se scriptas assignare, quas principum suorum nomine & iussu factitarint: cum planè no

uerimus, hoſce dominantes nec literatos eſſe, nec alterius ingenij orationem recenſere ſolitos. At enim cum in priuatorum genere multi quidem & literatiſsimi ſint, & apud populum doctiſsimi dici haberiq́; meruerint, ſi fortè nos, quod iterum repetam, id munus deprecētur, utiq; amici de noſtro ingenio benemeriti: aut penitus potiusque expoſtulant, faciendū aut denegandū magis, quā quod ultrò dederis, rurſus ad te recipias. quamobrem abijcienda excludendaque ſit omnis de politiæ noſtræ conſortio eius illaudata iactātia, ſuperbaque gloriatio, ut quicunque alteri profuturus aliquid literarij beneficij dederit, idem rurſus, tanquam munus inuitus donauerit, inuerecūdè ſit repetiturus.

QVOD INSCII SAPIENTESQVE VIciſsim *admittendi, præcipuè doctrinæ cupidi, nec erratorum in ſe caſtigationem abominātes: cæterùm præceptorem mitem ac modeſtum eſſe, non acerbum, aut conuiciatorem oportere.* Pars LXXI.

TVnc Titus, pædagogicæ nimium ignorationis & improbitatis inimicus: Imò nec recipiendi quidem ſunt, inquit, intra atrium tuum, ô Leonelle, quidam ex hac ciuitate pædagogi, quorum audienda uerboſitate multum temporis perdimus. nam ſi conſilio meo agendum ſit, eoſdem à curiæ quoque ueſtibulo ianitor pugnis abijciens, ingredi nullo pacto permittat. Ad quem ſubridens Leonellus; Ita quidem, ô Tite, politiæ noſtræ exercita

tio est,quo resectis explosisq; passim errorib. quod in ea formosius sit eligamus. Sic enim lapide ferrũ exacuitur, nec perfectissimum est, nisi quod ad unguem prius expolitur: hoc est, diligentissimam emendationem, ut nuper in carminis ordinatione tractatum, adhibeamus. Cui Titus, Sed quidam adeò obstinati sunt, ut peritorum admonitionibus non obtemperẽt: quippe qui ea temeritate adducti, se scientiores uideri gloriantur. Leonellus, Rursus & nos admonebimus: si pergent denique nullam operam adhibere, ut Horatius inquit, tum frustra obstandum non censeo, quin seque suaq; sine riuali diligant. In qua re tamen ita reprehendendos censuerim, ut non palàm semper, non proteruè, non conuiciose instigemus: ut ipsi ad parendum audiendumq; placatiores effecti, non solum debitas commonitori suo gratias agant, uerumetiam ultrò sese formandos præceptoribus exhibeant. sic utrinq; literariæ politiæ modus obseruabitur.

SVMMATIM QVAEDAM EX GRAEcis auctoribus in latinum sermonem à Veronense interpretatis, de pertinentibus ad optimum principantis institutum, felicisq; ciuitatis gubernationem, quam & ipsi politiam alio sensu denominant: idq; per septem sapientes prius in Periandri conuiuio: ac de tribus humanæ uitæ consilijs, ut apud Tullium est de Officijs prudẽtißime. Pars LXXII.

HAs ut domesticas inter Leonelli principis familiares altercationes maior subinde, uelut externa quęstionum moles excepit:

cepit: siquidem de imperãdi genere, ciuitatũq; gubernatione inter Florentinorũ Insubriumq; Ducis legatos, qui ijsdẽ fortè diebus ad Leonellum componendæ pacis gratia cõuenerãt, contentio alioquin ioco magis quã serio exorta erat: cum alteri ciuilis patrociniũ libertatis, alteri principalis domini felicitatem clementiamq; præponerent. Erat aũt Florentinorũ legatus Pogius, orator clarus: qui cũ pleraq; de Cyro suo, quẽ ex Xenophonte transtulerat, tũ plurima de Socrate, ut apud Platonẽ est, de gubernatione recensuisset, nec idoneus censor appareret nobis, Leonelli familiarib. studiũ iniecit, ut Veronensem uelut magis opportunũ iudicẽ, ac Mercurij instar mediatorẽ faceremus. Neq; enim ipse Leonellus, qui tũ fortè cũ Vgutione Contrariense cõsiliario suo secretiore aberat, in hac re Guarino futurus erat opportunior. itaq; Cõstabilis eques, & Ioãnes seniores in eũ uersi orare cœperunt, siquid huius cõtrouersiæ generis sapiẽtissimè scriptũ extaret, ex Græcis præsertim, præter ea quæ ex Platone Xenophõteq; illi memorassent, monstraret euestigiò, per quod utriq; parti consultũ iri posset. nã alterã extollere, ut ipsi conarẽtur, alterã refellere, indignũ iniuriũq; penitus apparebat Leonelli maximi principis auspicio: cui cũ cura à põtifice Eugenio mãdata foret pacis inter eos populos eorũq; principes cõponendę, opportunũ quoq; cẽseret eiusmodi oratorẽ ex nostris interesse, q sermonis cõpellatione recõciliaret. Itaq; Guarinus exorsus: Ego qui ex Veronẽsi, non Florentino sanguine, neq; Mediolanẽsium stirpe sum genitus, quæ ex Plutarcho

Pogius orator

summo

summo philosopho, atque alijs Græcorum au ctoribus nouissimè legi, uti medius inter nos, & ipsorum auctorum interpres recitabo. Erit autem illorum septem, quos sapientes omnis probat antiquitas sermo, ut quasi septem con cordātium uocum discrimina sentiatis: ita de magnanimi principis officio, deque optima ui cissim reipub. gubernatiōe tractabitur, ac bre uissima quidem præceptorum formula. Neq; uerò quicquam auspicacius interesse putetis, utrum ab uno principe potius, an plurimorū principum in ciuitate dominatu initium factu rus sim, tanquam id dignius sit quod antè, in-dignius autem quod pòst differatur. Nostis e-nim apud ueteres in comitijs eadem auspicia primò secundoque creatis consulibus obserua ri. nam ita primis ultima præstāt, ut postremis anteriora nonnunquam. Cæterùm ab eo gene re potissimum inchoandum censeo, ut in Periandri regis conuiuio ijdem sapientes sublatis mensis ediderunt: inter quos disputantes tunc etiam Æsopum fuisse constat, qui græcè fabellas scripsit, à me nuper latinitate donatus. Solon igitur primus enunciauit, regnantē tunc sibi uideri celebratione dignissimum, si regnum quod solus inuasisset, eius regni popu lo permitteret ciuiliter administrādum: Bias, si primis patriæ legibus uterentur: Thales, qui uitam naturæ obtemperantem in extremum uitæ senium perduxerit: Anacharsis, si solus sit sapiens: Cleobulus, si nulli eorum, qui præsen tes adstant, crediderint: Pittacus, si subditos suos ita componat, ut non dominantem, sed si bi timeant. At Chilon, inquit, dominantem o-
porte-

portere nihil mortale &caducum cogitare. Tũ Periandrum rogatum dicere ferunt, ſe ſentire, nullius ſententiam à prudēte eſſe ſpernendã. Æſopus demum facetè concluſit, oportuiſſe hæc ita meditari, non coram rege definire: nec ex conuiuis conſultores, qui *conuiciatores re gum apparent. Quamobrem Solon caput con cutiens, & ſubridens: Nónne ergo tibi uidetur, inquit, potiorem dominum fieri, ac tyrannum manſuetiorem, quicunque ſibi perſuaſerit, pri uatum agere quàm dominari, longè felicius eſ ſe. Tum Conſtabilis eques hæc de principe pulcherrimè, ea quæ ad rempubl. adminiſtran dam pertinent, ſubdit, ut utrunque collata ratiocinatione, quod optimum ſit, eueſtigiò indi cetur. quem Guarinus inſequens, Sic diſputabat, inquit Solon de ijs, quæ & ipſe cum Athe nienſibus ſæpè de republ. ſenſiſſet, eam ciuitatem ſibi uideri optimè facere, & politicum maximè ſtatum conſeruare, in qua eum, qui cuipiam iniurioſe fecit, nō minus reliqui ciues coër cent, quàm cui ſit illata contumelia. Secundus Bias aſſeruit, eam optimam eſſe rem ciuium, in qua omnes legem ut tyrannum timerent. Tertius Thales, eam eſſe, quæ nec nimiũ diui tes, nec nimium tenues ciues haberet. Quartus Anacharſis, in qua rebus alijs per æqualitatem habitis, uirtus res optima, uitium res peſſima uideatur, uel iudicetur. Quintus Cleobulus, eam ciuitatem ſapere teſtatus, in qua qui ciuilia exercent, magis mendacium & fraudē, quàm legem ipſam timeant. Sextus Pittacus, in qua mali homines nullum pro ſuo more locum habent, boni facilè habent. Sextus Chilō

Fortè, aſſentatores.

quo-

quoque asseuerauit, eã optimam esse rempub. quæ cum spontè legibus obtemperat, causidicos non audit. Vltimus iterum Periãder adiudicans, eam popularem gubernationẽ sibi optimam uideri dixit, quæ illi reipubl. simillima sit, quam regunt potentiores. Hæc cũ ita sint, excellentes uiri, quæ uestris altissimis mentibus satis placuisse scio, uos satis planè cognoscitis, quãta in rerum solicitudine ea sit futura multitudo, cum ex bono principe tyrãnus fit, quod ipsi penitus ciuilitati contrarium est, cuius imaginẽ etiam sæpè percipimus in brutis animãtibus. Regem suum habent apes, & quędam uolucrum genera: armenta quidem, & ipsæ feræ, ductores colunt, quibus cũ cæterorum pecus communiter agit, siue gregatim errant, uolitant, pascuntur, stabulantq;: ut à natura prorsus datam animantib. uiuendi societatem communẽ intelligamus, regemq; ideo hominibus nulla magis ratione comparatũ, quã ut ciuilis huiusmodi magister & moderator, ac defensor sit legũ, corruptores ut auertat, flagellũ malis, bonis refugiũ: quo fit ut multo turpissimum censeas, eundemq; intolerabilẽ ab eodem hominũ iura dolo tractari, per libidinẽ cuncta misceri, per fas nefasq; iniustitiã, ut uulgò queritur, de iustitia fieri. Cæterùm uti difficilius est eiusmodi regnantem euellere, quem inueterata stirpe seu consuetudine uitæ cõualuisse noueris: & nisi tãdem ab radicibus imis excidas, plerosq; ei consimiles futuros lupos intra mœnia uidebis, multiplicataq; hydræ capita consurgere: sic in ciuitate libera, si quempiam dominantem aduerterint altius cristatum

uerticem

uerticem extollentem, faciliore eum consilio manuq; demoliuntur: quod nisi euestigiò prouiderint, in eodem discrimine trepidabũt, uti modò de tyranno monstratum. Ita quantum utilis necessariusq; fuerit in ea ciuitate princeps bonus, idem gubernator, quæ sine principe agere non sit assueta: tantum in ea, quę dominantem aspernatur, reipublicæ libera administratio superabit. Quamobrem si potentissimus princeps uester, ô Mediolanenses uiri, frugi magis quàm callidi eiusmodi animi sit, ut ad qualemcunque earum de principe sententiarum, quas sapientium ore retuli, uolente populo suo, sese paratum accommodet: ipsum ęquè felicissimum existimo, qui tales habeat ciues, cuius nutum ipsi magis exequantur, quàm abrogare desiderent: & uos tali domino felicissimos, tanquam altero in terris Ioue, * qui eum potius quàm eiusdem patrię, quamque alienum regnantem habere statuistis. Vti nos quoque Ferrariensis populus, imò Aurensis, si dici liceat, magis in aurea uelut ætate degentes, sub optimo principe Leonello, illustrique Estensiũ genere felicissimè gubernamur. Suo enim quenq; bono, quod optimum iudicat, decet esse cõtentũ. Sic enim Vlyssi uisum Græcorũ sapientissimo, ut apud Hom. Ilia. 2.

Franciscũ Sfortiã primũ intelligit, qui neque Mediolanẽsis erat, nec externus, ut Aurelianẽsis: sed Italus erat.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφισὶ βασιλεύῃ.

Non bonum quidem esse multorum dominationem: unum dominum oportere, unum regem, cui omnipotens astuta consilia, sceptrumq; dedisset, & leges, ut nos gubernaret. Vos aũt pru-

prudentissimi ciues Florentini, si ijsdem consilijs, omniumq; pari uoluntate ciuilitatem uestram regitis, ut ab eisdem sapientibus memoratum audijstis: nullam ciuitatem uestram existimo, quæ & regnante careat, & regnantem cum uelit, non possit eligere. His ita modestissimè per Veronensem expositis, concordi statim alacritate omnes ij legati consurrexerunt. Tum Ioannes senior, quanquam inter cęteros iuniores & ipse festiuus: Ego uicissim, inquit, ô magnifici uiri, nequaquam scientiarum peritia Guarino comparandus, habeo uobiscum relatu dignissimum, quod hodie ex Cicerone

Lib.1. meo de Officijs quàm diligentissimè collegi, in memoriaque reposui, quodque non minus ex Græcorum fontibus oratorem ipsum hausisse existimo. Cuius lectionis perceptionem, seu ad principem unum, siue multos in urbe sua ciues attinere censeo: & quidem breui oratione, in omni scilicet actione suscipienda, nos admonet tria esse tenēda. Primū, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia cōseruādacō accōmodatius: deinde aduertēdum, quanta res illa sit, quā efficere uolumus, ut neue maior, neue minor cura & opera suscipiatur, quā causa postulet: tertium, ut ea quę pertinent ad liberalitatem, specie & dignitate moderemur. Modum autem optimum esse, decus ipsum tenere (de quo antè dictum) nec progredi longius. Horum tamen trium præstantissimum adiecit orator, appetitum obtemperare rationi. Quo quidem tenore seruato, seu principem siue rempublicam habeamus, nec iustitiam lenius in ciuitate, nec seuerius administrari posse censeo.

censeo. Talia dicenti, Feltrinus subridens procul, simul inter omnes naso manuque significans, adiecit: Imò Ioannes, eorum trium præstantissimum ego dijudico, ut neue minorem neue maiorem nasum habere, quàm facies humana postulat: sic modum esse optimum, & decus tenere, nec progredi longius. At Gualegus nihilo segnior apposuit: Imò ego iterum atq; iterum præstantissimum dixerim, appetitus obtemperare rationi. Quod si apud te præceptum ualeret, nequaquam in has derisiones incideres.

QVOD TVLLIVS IN LIBRIS OFFIciorum, *secundum Leonellum, non satis commodè posuisse uisus est inter Alexandrum Philippumq; comparationem, cum ab omnibus soli filio, non patri Magni cognomen sit attributum: deq; eius loci dissolutione, cum quibusdam Salustianis exemplis.* Pars LXXIII.

TAles tātorumq; uirorum disputationes cum è cōclaui Leonellus audijsset, apud Guarinum deinde, cæterosq; familiares, gratulatus est: inter quos denuò non repetita solū de principatus ciuilisq; rei ministerio controuersia, sed ad id peruētum propius, ut inter magnificè imperantes, tum ueterum tū nostrorum, quis magnificētior haberetur. Ita passim antiquorum præstantiores electi, quos Herodotus de antiquissimis regibus, quosq; Plutarchus græcè in comparationum morem edidisset, ex Alexandro & Cæsare, in Alexandrum, ipsiusq; parētem Philippum sermonem cōuer-

terunt. de quibus cum una ferè omnium sententia esset, multo maiorem Alexandrum: ideoq; sibi Magni cognomē inditum, siue quòd alijs eiusdem nominis Alexandris præstantior extiterit, haud sanè Philippo: nec alij Græcorum ueterum asignatū, nisi cum Homerus magnificos uel magnipotentes heroas suos appellauit. Tum Leonellus ore iucūdo, oratione placidissima subiecit, se nihilominus Tullium in libris Officiorū aduertisse, Philippo Magni cognomentum tribuisse, non Alexandro, quem turpissimū indicaret. At Gualengus: Vide mi princeps, quid affirmes, qui & omnia subtilissimè perspicere, & sapientissimè iudicare solitus es. nō enim Tullius aperuit, Alexander ne, an Philippus potius sic appellandus esset, cum prius de eis mentionem intulisset: sed pòst addidit, alterum ideo magnū semper habēdum, alterū sæpè turpissimū. Qua definitione haud dubiè percipitur, Alexandrū duntaxat intelligi, cui uult id Magni cognomē asignatū, ut ab alijs auctoribus asignari consuetum: Philippum uerò aliquando turpissimum, ut opinor, quemadmodum fortè in bellis eius cōtra Græcos minus strenuū apparuisse, uel parta de hostibus uictoria clementiam minus exercuisse, aut in re uxoria priuataq; reprehēsum. Ad quē Leonellus: Vide tu potius Ioannes, quàm errāti consilio deducaris. id ipsum nempe est, quo minus aptè Tulliū definitionē de patre filioq; posuisse censeo, per quā tecū multi pariter eodē quasi scopulo præcipitantur, cuius erroris causa sit potissima, parū acutè discernentiū imperitia: tum ipse etiam Tullius culpa nō uacat,
qui

qui hũc locum ſic adeò perplexè reliquerit, ut quocũq; modo diſtinguendũ ſuſcipias, ſeu ut tu nouiſsimè, qui Alexãdro Magni cognomen à Tullio datum opinaris: ſiue ut ego potius accipio, Philippo, non autem filio tributum, non bene conueniunt. Proinde ut rationi tuę prius ſatisfaciam, ſatis quidem conſtat, ueterum auctoritate Alexandro Magni cognomẽ aſsignatum, ſed Tullium in ea temperatione, expoſita ſuperius Philippi integritate, ut ipſe uult: depreſſa autem Alexandri conditione, quem libidinoſum auarumq; monſtrauerat, concluſurũ neceſſariò dixerim, illatis rurſus eorum nominibus, aut Philippi ſaltem, alterum ſcilicet Philippum propterea magnum, alterum turpiſsimum appellandum, quo ſatis de Alexandro dictum cõſtaret, Philippo dignius id cognomẽ emerente. Quamobrem confuſionem incongruam palàm cernere eſt, ea etiam ratione uitioſam, ut eiuſdem in ſe exemplis oratoris utar, quòd in rhetorica arte per caſuum uariationem omnes ferè Alexandro uirtutes attribuit, eiusque immortalitatem & gloriam ad aſtra ſuſpendit: de Philippo autem nulla eſt memoratio. Ita cum Alexandrum Magni uocabulo donatum non minus quàm Pompeium, Cicero didiciſſet, nõ oportuit eum ſermonem ita nudum prorſus deſtitui, ut confuſe accipi potuiſſet. nam quòd Philippum in præſentia tanquam ſubiratus Alexandro Tullius magnum potius uelit appellari, quadam ratione tamen indulgendum eſt: quemadmodum de C. Cæſare in eiuſdem Officiorum libris cum iis, quæ in orationibus laudatoriis edita ſunt,

contraria leguntur.& apud Saluſtium eiuſmo di genere contrarietates offendũtur, apud quẽ in Catilinaria coniuratione ſcriptum conſtat, in omni re fortunam dominari, eam ex libidine cunctas res magis quàm ex uero celebrare obſcurareq;. In Iugurthino bello uerò differt, animum abundè pollentem, potẽtemq; & clarum, neque fortunæ egentem. quippe probitatem, induſtriam, aliasque bonas artes, neq; dare fortunam, neque eripere cuiquam poſſe. Hæc quidem uſqueadeò diſſentiunt, ut aut à duobus auctoribus eas hiſtorias eſſe deſcriptas, aut certè ab eodem hiſtorico, fortunã poſſe, & non poſſe, dictum exiſtimes: in cuius poteſtate ſit, quaſcunq; uelit res, obſcurandi celebrandiue, ut ſuperius: hic uerò, claritati cæteriſque bonis artibus nocere non poſsit. Cæterùm ij duo loci, duorumque ſcriptorum ingenia hac ratione protegũtur. Cæſarem enim regnantem Tullius demum in libris Officiorum tyrannum fuiſſe contendit: eiuſdem probitas, induſtria, felicitas, & id genus, ab eodem oratore miris laudibus efferũtur in amicorum defenſionibus. At ſi temporum uicisſitudinem conſideres, cum illę defenſoriæ primùm orationes haberentur, eaſdem laudatorias in eum eſſe oportuit, quem deprecandum tollẽdumque patrocinij iure ſuſceperat. Mox extincto Cæſare cum Tullius in philoſophia libros cõponeret, cui de uirtutis officio ſeuerius quàm felicitatis iactantia ſcribendum fuit, illam cõtrarietatem dixeris tempeſtiuè conuenire: nec abſurdum uideri, temeritatem pro fortitudine, auaritiam pro magnanimitate, libidinem

pro

pro modeſtia reprehenſam:ergo & in Alexandro,ut in Cæſare,pariter offendiſſe. Quod quidem à Saluſtio ijs in locis de fortuna non minus factum exiſtimo,cui magiſtratū fortè depoſcenti,ut habere ſoleret,omniaque cernenti paucorum potentia ſubagitari,uiſum eſt uel fatorum urbis,uel fortunæ malignitatem accuſandam.Quibus tandem ueluti nebulis longa animi fatigatione diſſolutis, in ſecundi libri deſcriptione quietior redditus, ſapienter fortunę ludos edocuit,nihil nocere neque proficere inueteratæ uirtutis altitudini, uelut profundiſsimæ radicibus arbori,quā fruſtra nimboſæ tempeſtates hinc inde uentorum oppugnatione concutiunt.Siquidem & ipſe fateatur hiſtoricus,ſe cum à reliquis malis morib. diſſentiret, nihilominus honoris cupiditate, quam & malam appellat ambitionem,fama atque inuidia ſuperiori ætate uexatum.Illud autem arbitratu meo,quā ut facilè excuſari poſſit,difficilius uidetur,non fuiſſe ſibi conſilium ſecordia atq; deſidia bonum ocium terere: neque uerò agrum colendo aut uenando ſeruilibus officijs intentum ætatem & uitam traducere.quippe niſi eum ſermonem intentum ad ſolam uel nimiam agriculturæ curam accommodes(nam dicit Comicus,Ne quid nimis)apud Romanos ueteres,eoſdemque præſtantiſſimos uiros iniuriū cenſeatur:quib. nō minus ad uoluptatem & exercitium extiterunt agricultura uenatioque, quarum ſtudium iſte ſecordiam & deſidiam appellat, quàm rei militaris uel urbanæ adminiſtratio.Interroga Plinios,uel certè minorem, qui inter uenandum

& piſcandum libellos ſcriptos impleret, & eiuſmodi ſcriptis delectatus eſt. Percontare Mecœnatem, Virgilium, Varronē, Catonem, multos porrò ſuperioris illius ætatis ſciētiſsimos, & illuſtres heroas, quid ſibi cum rei uillicæ miniſterijs commercij fuerit: non ita deſidioſum apparet de ijs rebus ſcribere, ut in ijſdem exercitari, quorum optimus quiſque, Criſpo inſuper atteſtante, quod magis admiror, non ſine corporis uiribus ingenium exercuiſſe, niſi fortè in militaribus armis duntaxat corporeas uires intelligit. At quidem corporis uires antiqui exercentes inſtituerunt, ut partē in re militari, partem in urbana adminiſtrāda, cæterum tempus in curando rure uel horto ponerent. nec enim ab re Saluſtiani adhuc horti, Senecæque prędiuitis, inter egregias Romanorum delicias memorantur. Sed ut dixi ſuperius, ſeruilibus officijs intentos, aut intentiores fortè ruris exprimuntur: quæ res ad ſeruilem inclinat officinam, quos ſeruos continuis operibus fatigandos domini iubēt, unde ergaſtula dicta. Quod ſanè dignitati Saluſtianæ minimè cōuenire potuit, aut eo loquēdi genere Romanorū potentes, quod ſæpè facit, reprehendere nititur, qui potioribus neglectis artibus, continuè uenationi, agrorumque delicijs, ueluti pecora eorumque paſtores inſeruirent. Verùm hęc & alia uiciſsim relinquamus, ut & alijs detur diſputandi locus.

ANGE-

ANGELI DECEMBRII, MEDIOLANENSIS ORATORIS, DE POLITIA LITERARIA, ad Pium Secundum, summum pontificem, liber septimus & ultimus.

Prologus, in quo auctoris excusatio circa uocabulorum descriptionem: ibidē quæstio orta, per Guarinum de diphthongis explicatur.

PARS LXIIII.



SEPTIMVM & ultimū literariæ politiæ librum hic conficiam, sacratissime pater Pie. quippe cū satis uisum ea literis hactenus mandauisse, quæ ex optimis Leonelli principis disputationib. memoratu digniora censerentur: opportunum duxi ijs & quędam alia Veronensis summi oratoris præcepta subijcere, plurimum huiusce doctrinæ facultati conducentia, uti de diphthongorum atque orthographiæ in cæteris sermonibus cognitione necessaria. Etenim proximis adhuc contentionibus de eo genere per transitum sæpenumerò mentio facta, sicut de eiusmodi antiquorum scribendi cōsuetudine inter Leonelli familiares & Veronensem disputatum memineram. Sed cum locus non esset de ijs seriatim referendi hūc in librū,

 idcirco

idcirco totam ipſius ſcientię rationem abundè cõieci, partim latinis uerbis, partim etiã grę cis, gręcaq́; forma deſcriptis, quo lucidius artificiũ mõſtraretur. Neq; enim dubitẽ pro librorum inutilitate, qui plebeio ritu magis quàm oratorio more de uocabulorum ordinibus cõſcripti ſunt, ut in Catholicone & Compreheſorio (ſic enim eos nominãt) haſce Guarinianas præceptiones quibuſdam fortaſſe pædagogis pauciores uiſum iri, quàm pro rudiũ diſciplina ſatisfaciant. Sed in uocabulorum perquiſitione non mihi tãtum ſeu inanis gloriæ apud imperitos, ſiue ſuperflui laboris apud doctiores aſſumendum putaui, quantum in ijs duntaxat, de quorum magis opportunis orator ipſe ueteranus inter eruditiſsimos diſputare conſueuerat. Hoc nempe ab initio mihi fuit conſtitutũ, ut de politiori ac magis neceſſario in hoc Opere documento diſſertarem. A quo cõſilio grauitatem tuam, de ſtudijsq́; meis expectationem, ſumme Pontifex, non alienam eſſe cõfido. Itaq; nunc eo feci libentius, eaque præſertim tempeſtiua occaſione, quòd cum nouiſsimè de hiſtoria T. Liuij Macedonica per id tempus inter eoſdem literatos uiros, ac præſente Guarino legeretur, in eum fortè locum peruenere diſceptantes ſuper Philippi contentione, qua rex ille poſtulabat à Romanis ęquũ ſibi reſtitui. isq́; de equo locus eadẽ pagina ſępè repetitus, utrum ſcilicet de equo animali, an æquitate ſentiret hiſtoricus, dignum quidem riſu. Erat autem is liber uenuſtiſsimè Florentina manu deſcriptus, cæterũ nulla ferè cum diphthõgorũ recta notatione: cũ in multis ſcripturæ lo-

rę locis,ut fit à librarijs eius artis imperitis,aut necessariæ diphthongi deessent, aut contraria ratione descriptæ. Ita cum de equo quadrupede,an iusto magis intelligendum disceptaretur,Veronensis iucundus arridens,excepit.

QVEMADMODVM EX HISTOria T.Liuij Macedonica, orta quæstio per Guarinum Veronensem de diphthongorum opportunitate, ex ea pagina, ubi Philippus rex æquum sibi reddi postulat, cum pleriq; de equo animali inscienter,alij de æquitate dictum peritè iudicarent : atq; ibidem de orthographiæ dignitate,diphthongorumq; usu necessario. Pars LXXV.

QVid, ô Philippum uos admiramini equum suũ tantopere flagitantem? nec enim dicere caballũ uoluit historicus, aut Bucephalum, ut Curtius Alexandrinum equum nominat,cum ipse græco satis uocabulo Philippus uocitetur, quòd amans sit equorum. At enim cum hęc ioco magis quàm serio dici uiderentur, etiam atque etiam illi perconctari cœperunt, ut de equi petitione causam absolueret. At ille iam ferè subiratus : Intueminine nunc tandem,inquit, quanta sit diphthongorum rectæ descriptionis necessitas, quam ego sæpè uobis, sæpè alijs aduertendam frustra prædicaui,qui scripturam uolunt sine diphthongis facilè intelligi,neque ad orthographiam id scribendi genus attinere? Age uerò, concedimus,peritum in auctoris sententia nõ falli:nunquid tamen scriptura suo carebit in-

dumento? At quamobrem uos nunc Liuij sen sum ignoratis, nisi propter librariorum inertiam, lectorumq; tum imperitiam, tum negligētiam magis, qui libros emendare non curant? Nam ubi quis nescit, alter nolit, nihil unquam perficitur. Si ut apud priscos consueuerat, orthographia coleretur (omitto nunc prosodiarum rationem, & eam quidem à Prisciano suis formulis designatam) nequaquam in has sensuum dissonantias præcipitaretis. Ergo cū hoc in loco quod exquiritis, diphthongorum desit ornamentum, equum animal accepistis, cuius prima corripitur, nullam diphthongum recipiens, pro eo quod æquum, hoc est æquitatē sonat, cuius prima producitur, diphthongūq; desiderat. Cuius differentiæ demonstrationē ut in metro uideatis, expressa syllabarum ordi-
Aeneid. 11. natione, ecce de Camilla Virgilius: Quid tam egregium, si fœmina forti Fidit equo? Dimitte fugam, & te cōminus æquo Mecum crede solo. in prima enim parte, quia de animali est, corripitur: in secunda, quia de campi planicie, productum est epitheton. Sed quid agant metrificationis imperiti, ut si uersu fortè uel oratione soluta hunc sermonem Eque compererint, quod quadruplici modo poni solet ab auctoribus, quo pacto sine diphthongorum moderatione percipient? Stomachari libet, cū me ad ea doctrinæ præcepta reducitis, quę uos in scholis puerilibus didicisse præstitisset: ex quibus cum documenta satis opportuna non perceperitis, haud turpe censeo eadem nunc adultiores rudimenta cognoscere. Sequor igitur propositum. Vna quidem forma eque uocati-
uo

uo penitus deſcribitur,& cum ô minima lite ra ſuperius uocandi caſum indicante, ſi ab eo quod eſt equus animal dici uelimus. Quòd ſi pro dandi uel generandi caſibus in ſingulari numero,aut ſi pro recto uocandi caſu in plura li ab equa fœmina,cum æ diphthongo in po ſtrema ſyllaba longa demõſtrabitur, ut æquè. Rurſus ſi pro aduerbio æqualiter accipere uo lueris,quare non in prima e longa diphthon- gus appareat,ut æquè?nempe arbitror latinas literas hac tanquam linguæ reſonantis appo- ſitione eloqui poſſe. Vnde à noſtris latinis,grę co tamen uocabulo,hoc eſt, & in uerſificatio- ne,qua facilius etiam longæ à correptis ſylla- bæ uerſuum peritis diſcernuntur, & non mi- nus in proſarum ſerie hanc orthographiæ ra- tionem deſcriptam:quam quicunque contem pſerint, iure mihi cenſentur à politiæ noſtræ conſortio dimittendi. Talia Guarino diſſeren- te,nonnulli,tametſi indocti,qui aderant,ſimul obſtupuerunt: apud quos rara admodum in omni ſcriptionis genere orthographiæ cura fuerat,librorum duntaxat communi lectione contenti,latinis tantum,& ijs quidem pro li- brariorũ conſuetudine ſcriptis abutẽtes. Qui- dam autem, qui eiuſdem præceptoris inter- dum lectiones audierant, uel epiſtolas & chi- rographa iudicauerant accuratius, non uſque- adeò mirari, ſed ultrò eius doctrinam laudi- bus tollere, recordarique ſolebant: præterea quemadmodum ab eodem non in diphthon- gis ſolum, uerumetiam ſeruandis accentibus edocti fuiſſent,in quorum eleuatione ſaltẽ, & in uocũ depreſsione apud Græcos liberius eſt
arti-

artificium: Magna foret utilitas, aiebat, ſicut in ſextis caſibus fœminei generis, ac præteriti tẽporis uerbis, tertiæ coniugationis præcipuè, tertiæque perſonæ, & plurales numeri, ſicut legêre pro legerunt, ut ab infinitiui more diſcernatur: & in aduerbiorum, uerborumque nominum differentia, ut ténere, ac tenere: quale eſt, Téneræque puellæ. In quo ſermone uocandi caſus de puello diphthongum non recipit, ut pernoſcatis quàm frequenter in diphthongorum artificio ſit elaborandum. Ad hæc Ioannes ſenior: Equidem haud dubiè ſcio, qui ſemper antiquitatis amantiſsimus fui, ut nũc pro omnibus loquar, orthographiæ rationem, qua cum etiam diphthongorum accentuumq; deſcriptio cõtinetur, in percipiendis auctoribus non neceſſariam ſolum, uerumetiam literarũ ornamento conducere: tametſi in prolatione non opus eſſet omnino, quam ne Græci quidem in legendis diphthongis obſeruarent, id ſæpenumero abs te, Leonelloque hoc in politiæ certamine diſputatum uidimus. Sed quid agamus? Neque enim omnia poſſumus omnes. Primùm enim ipſi librarij hanc deſcriptionis artem non intelligunt, neque omnes prorſus antiquorum librarios intellexiſſe exactè cõprehendimus, ut ex libris uetuſtiſsimè ſcriptis apparet, in quibus mihi multę uiſuntur dictiones diphthongos ſuas non habentes. Quę quidem diſſonantia ita apud me etiam effecit, nedum cæteros, qui minus ſcriptionis ornamento delectantur, ut deſperatione quadam omnem ex libris diphthongorum annotationem deleremus, nudamq; potius ſcripturam

accipe-

acciperemus, quàm turpiter à librarijs insigna tam. Hic Guarinus: Verum inquis. nam quis librarius tempestate nostra dabitur, nisi idem oratoriæ sit poëticæque facultatis industrius obseruator, quantumuis librum ei des emendatissimum, qui pari tenore prorsus excribat, ut in exemplari constiterit? imò qui non se doctius intelligere putet, quàm auctor ipse, uel libri dominus, siquid politius literarum characteres effinxerit: in quorum sola figuratione, seu pictura orthographia ipsa consistere creditur, adeò ut si Præ syllabam aduerterit, uel e lõgam loco syllabæ diphthongo notatam, idem in cæteris effingat, quoniam à prę uidebuntur incipere. Is inquam, est apud librarios nostros orthographiæ modus, in quo alius alij se præstare censet. Sic indocti audacesque librarij nõ solum productas suapte natura syllabas, uerũ etiam quæ omnino corripiũtur, ut premo, preces, precor, precium, tanquam acutius perspexerint, diphthongis annotauerunt, insigni scripturæ notatione, auctorumque contumelia. Nam quòd uocalis aliquando, aut syllaba de more longa, ante aliam uocalem posita metri gratia breuietur, ut, Sudibús ue præustis: alia res est, in numerorum casibus aduertenda. Solent igitur ex Hetruria Florentinaque ciuitate potissimè libri quàm uenustissimè facti comparari: feruntque ibi Vespasianum quendam eximium bibliopolam librorũ, librariorumq; solertissimum, ad quem omnis Italica regio, longinquę etiam nationis homines confluũt, quicunq; libros ornatissimos uenales optát: quē licet arbitremur Leonardi Caroliq; Aren-
tino-

tinorum diligentia exemplaria bona conquirere, tamen, ut antea dixi, cum alio modo exẽplaria ſint, alio à librarijs excribuntur. quo ſatis eos percipitur neque ſyllabarum intenſionem depreſsionemque cognoſcere, quæ productæ uel breues propter carminis ignorationem, per quam etiam alias geminari literas, alias ſimplices relinqui opus ſit: neque quando cum ch, uel ph, ſeu th, aut y, quod Græci ypſilon uocant, ſcribi conueniat, ipſis duntaxat arbitrio ſuo deſcribentibus. ad quæ incommoda ſpontè commiſſa, accedit inſuper incommodius, in Græcorum ſermonum defectiones frequenter incidere quaſi feneſtras, ſed cõtrario more obſcuritatem legentibus opponẽtes, tum in ſermones deprauatos. nam de ſuperfluo geminatis, tolerabilius. enimuero quę pingit intelligere, non pingere tantummodo librarium decet. Tum Gualengus: At quid in librariorum uitijs tantopere fatigamur? quin ad neceſsitatem noſtram potius accedimus, quæ in epiſtolarum quotidiano uſu conſiſtit? Nobis quidem ſatis eſt, ô Guarine, epiſtolas facere, dum tu maiora conſcribis opera, ubi non collatis ante oculos exemplaribus, ut librarij tenent, ſed ex nobis ipſis ſcribendum eſt. Quapropter omnes abs te uolumus, quemadmodum ſuperioribus diebus ægrotante Leonello de improprietate ſermonum euitanda monuiſti, diligenti quadam formula in hac orthographię ratione rurſus edoceri, quib⁹ in dictionibus magis opportunis inſtruendi ſimus. nã meminiſti quoſdam græcę facultatis ignaros, in eo genere ita pręgrandia uolumina ſcripſiſ-

ſe,

ſe,nec tamen penitus neceſſaria cognitu comprehendiſſe,ut legentibus faſtidio quàm doctrinæ magis extiterint. Quo magis abs te requirimus,uti conſueſti in Virgilianis, Terentianis,Ciceronis,Satyricorum,hiſtoricorũque uocabulis electioribus admoneri,quæ potiſsimum ad politiæ noſtræ cultum pertinere cenſeo:neque in primis tantum ſyllabis, uti modò de equi æquitatisque dictionibus argumẽta contuliſti(quam quidẽ orthographię partẽ pro ſenſuũ intellectu neceſſariã magis arbitramur)uerumetiam in medijs tam per œ q̃ æ deſcribendis:porrò in ijs,quæ diphthongis non indigent,à Græcorum tamen explicatione uenientia,operæprecium eſt in libris agnoſcere, qua orthographiæ lege uel latinè uel gręcè deſcribantur. Nam licet ad multorum ſermonũ intelligentiam Marcellum, Feſtum, Varronẽ, magiſtros habeamus:eoſdem tamen auctores ſic nunc utique corruptè ſcriptos offendimus, ut quod in uocabulis ſuis ad orthographiam attinet,aliunde perquirere neceſſe ſit. Quibus rationibus etiam atque etiam abs te commoneri petimus,quo nos non uti alienorum operum librarij,ſed noſtrorum ſcriptores ſine ulla exceptione laudari poſsimus.

QVOD EX MVLTIS GRAECO*rum diphthongis uix quatuor apud Latinos uſu neceſſariæ permanſerunt, ſcilicet æ, œ, au, eu: quarum omnium princeps æ diphthongus magis opportuna.* Pars LXXVI.

Tum

TVm Guarinus exorſus: Rem quidem, ornatiſsimi uiri, non tam mihi fatu, q̃ memoratu difficilem exigitis. quippe quas pro græcarum literarum cognitione olim adoleſcentulus ex Manuele Chryſolora, Græco ſummoq́ue philoſopho percepi, quasq́ue deinceps frequenter exercui, omnes mihi puto tam Græcorum quàm Latinorum dictiones eſſe notiſsimas, qua orthographiæ ratione ſcribi conueniat. Verùm enim eas duntaxat penitus enumerare, quæ in primis medijsq́ue ſyllabis diphthongos exquirunt, id ego difficilius adiudico. nam quis id copioſe poſsit efficere, niſi perlegendis paſsim plurimis libris, temporis quoque multum abſumpſerit? Quamobrem ut omnium uoto pro uiribus ſatisfaciam, ex electioribus ſaltem, ac magis opportunis, ut petitis, quæ memoriæ ſuccurrẽt, tumultuaria ſanè deſcriptione, partemq́ue hic ex tẽpore, dum Leonellus abeſt, reliquum domi meæ, alijsq́ue diebus, cum uolueritis, ne non ueſtræ uoluntati morem geſtum arguatis, expediam. Iam primum omniũ duodecim diphthongos Græcos habere conſtat, ſex proprijs, totidemq́ue improprijs utentes: tanta adeò diphthongorum proſodiarumq́ue uoluptate perfruuntur, ut duas ſæpè etiam in rectis caſibus ſingularisq; numeri diphthongos habeãt, & uarias. quale eſt αἰνέας: nos cum prima tantùm Æneas. Quidam & in terminatione diphthongum adijciunt, quam exponere non conducit, cum ipſi creberrimas habeant omnibus in partibus orationis. Cæterùm ex proprijs has, au, eu, æ, œ, nos omnino colligemus. Diph-

thon-

thongum autem græcè dici liquet,ut de nominis ſui etymologia primùm uideamus, quòd duplicem in una ſyllaba ſonum continet. δὶς enim uel δύο, bis uel duo indicat (quanquam ſimili compoſitione cum iota tantum apparet hunc ſermonem deſcribendum) φθόγγος autem uel τόνος in fœmineo genere ſonus uel ſonitus eſt:ideoque φ,quod eſt ph,inter υ uel ι,& θ,id eſt,th,euphoniæ gratia componitur: proinde diphthongus duplex ſonus per diſiunctionē prolatus.nam quanquam in eadem ſyllaba ſit una diphthongus, tamen diſiunctè profertur utriuſque literæ ſonus,cum eandem exprimere uelimus pręcipua & trita ratione:aliàs inter legendum more gręco dimittitur in pleriſque. Quinetiam ipſi diphthongos correctius quàm noſtri ſæpè pronunciant:prolixius autem quā nos deſcripſere proſodiarum ratione ſimul uocem complicantes,tanquam per ſynæreſim dicant,af,ef:nos ſemper au & eu. ſic de æ,ou,ei, e,u,i tantum profertur.Quamobrem Virgilius metri ſatisfactione, Aulai & pictai extendi uoluit, & Cicero nepai generandi caſu, pro ſcorpij. cuius generis deſcriptio græcis ita nominibus rectius accommodatur. Contrà ſubtrahi deſignauit: ut,Laquearibus aureis, pro auris: &,Fluminis alueo, pro aluo. Quibus rationibus relinquitur uas,uis, ue, & ſimiles à principio ſyllabas non eſſe diphthongos, ſed conſonantes, per ſynæreſim, hoc eſt, contractum & unum hiatum prolatas.Ita monophthongum quamlibet ex ſe uocalem literam dici par eſt, quam & φωνῆεν ipſi neutro genere appellant,cū apud eos ſcio grāmata uocalia, & tres mono-

phthongos poni, ut Eous, ubi tres uocales diuiſim proferuntur. Sic diſtare uidebitur à diphthongis aſpiratio, cuius figura pro litera apud nos pariter non habenda, ſicut apud Græcos: ſed literæ aſpiratione, quæ δασεῖα ab eis dicitur, cuius contraria eſt ψιλή. Hoc enim apud nos obſtat talis aſpiratio, ut homo, humus, honor, quin metro tamē corripiantur, ſicuti neq; omnes productæ ſyllabę diphthongis notantur. Ergo cum noſtri quatuor omnino ex duodecim neceſſarias diphthōgos elegerint, duæ, hoc eſt, au, eu, & æ nonnunquam, ſicut aër, licet ex improprijs, ita ex frequenti uſu remanſerunt, cum etiam deſcriptione, ſimul & prolatione, ut pro diphthongis ferè non habeantur, uel certè in eadem non ſit circumſpectione. Itemque ei, ſicut in nominibus græcis, ut Briſeide uel Theſeide: proptereaq; in eis deſcribendis non ſic librarij præcipitant, ut in æ & œ. nam quis librarius adeò ſomnolētus eſt, cum Aulam ſcriptum uideat, alam potius excripſerit? ſic ai diphthongus apud nos remanſit, ut in Maia. Itidem in ſecundis, ſi Theſeus & Orpheus erit, non Theſus uel Orphus neglecta diphthongo ſcribetur. Quamobrem cum au & eu à noſtris cōtinuè cum deſcriptione proferatur, de ijs characteribus nulla fuerit dubitatio. De æ uerò & œ, quòd in librariorum controuerſiam incidant, de qua nunc contendimus, triplici modo ſic effingi licebit, ad idē tamen coëunte. aut enim literis penitus diſtinctis, ut ae: aut connexis artificioſo quodam lineamento literis æ: aut ſuppoſita figura pro a, ut ę. nam ſuperius poſitum nunquam aduer

ti,

ti, ſicut de œ, quæ nonnunquam ſuperiori par te notatur, ut pœna, fœnum: quanquam & hęc diphthongus apud Virgilium *extenditur, ut œſtrum, œnotrij. erant aliæ rurſus de ai & oi diphthongis ſecundum græcas rationes, quas nos uarijs modis uel in e longam, uel u ſolam & breuem, uel eu diphthongum in conſonantē ſyllabam diſſoluendo, uertendo, producendo, ſubtrahendo, uel remanente utrinq; ſono & grammate deſumpſimus, ut hiſce uocabulis deprehenditur: Aiax, Maia, Pæan, palęſtra, Achilles, Vlyſſes, Perſeus uel Perſes, fugio, fuga. nam nos in multis aſpirationem amiſimus. Nauis, naufragium, aula, tragœdia, comœdia, pœna, phœnix, punicus, Troia, Eurus, Theſeus, auſterus. nam omnia hæc græca ſunt, & eiuſmodi quædam non neceſſaria memoratu. His ita pro rudi pictura, primaque deſignatione ſatis expoſitis, ad literariam ſeriem procedamus: hoc prius memoriæ ueſtræ compoſito, omnes primæ declinationis in a terminatæ ſyllabæ, maſculini fœmineique generis, generandi dandique caſus in ſingulari numero, necnon omnes in rectis uocandique pluralibus in fine ſyllabæ diphthongum in æ poſtulare, ut Muſæ, poëtæ. eodemque pacto de terminatis in as & in es dictum, niſi nos in proprijs nominibus plurali numero abſtineremus, quæ tamen nomina in ſingulari eandem ſeruant inſtitutionem.

*oſtenditur.

DE AE DIPHTHONGO IN PRImis ſyllabis per alphabetum, initio ſumpto ab e litera, quo ſuis locis poſſint applicari diphthongi. Pars 77.

HÆc (nam h non est litera) in utroque genere & numero cum diphthongo, & cũ compositis, ut hęccine, c geminata. nam ut sermo est trium syllabarum, sic triplicem uidetur interrogando habere sensum, quasi diceres, hæcce ne hæc? Terent. Hoccine credibile aut memorabile. Præterea Hæc in plurali tam fœmineo quàm neutro ueteres posuere: ut Virgilius, * Hæc quoque non nobis cura leuiore tenendæ: cum de capris præciperet. Et Terent. Hæc adornant ut lauent: cum de ancillis Thaidis diceret.

Georg. 3.

Alij legũt, Hæ: alij, Hæc tuenda.

Eunuch. Act. 3. Scen. 5.

Æacus, nobilis Græcorum rex, cum sua deriuatione, ut Æacides, & inde Æacidarũ gens.

Ædes, propriè domus sacra. Ædificium, ædifico, ædepol, ædilis, ædilitas: quorum nominũ erroris causa sic scribendorũ fuit, ut opinor, cũ diphthongo ut quidam scriberent, ne edo uerbum, quod est profero, emitto, putarent, fortè ædes domos altiores dici, quòd sint editæ, uel loco edito positæ. Cæterùm pro manifestare apud Græcos non extat uerbum tale, & tam apud Homerum quàm nos Edo pro comedo corripitur, qui in Odyssea ἔδοντας, hoc est edentes, illos ostendit: in quo sermone non diphthongum, imò neque dasiam, neque psilen uideas illi contrariam: quo fit ut à nobis pro publicando compositum uerbum appareat, non cũ diphthongo æ, sed cũ e longa præpositione, ex uel extra significãte, ut sit edo, extra do.

Iliad. 1.

Ædonus, mons Thraciæ: cuius generis uocabula plurima sunt apud poëtas, ædus, æga capra: sed gręcum est penitus, ἡ αἴξ, τῆς αἰγὸς, & ab hoc uocabulo pleraque: nos composita græca

uoce

uoce retinemus. Æcloga, & Ægle, Naiadũ pulcherrima. Ægloceros ad euphoniam (nam scribitur & sine l) signum cœleste capricornus, à κέρατι uel κεραΐ, cornu, unde ceruus.

Ægon, simpliciter in Bucolicis nomen à capris habet. Ægis in fœmineo genere propriè fuit pastorum tegumen ex caprina pelle, quo etiam frequenter utũtur & pro sacculo uel pera cibaria. Cæterùm apud poëtas hoc nomen celebre clypei uicem assumpsit, utiq; pro caprino nonnunquam hoc nomen appositum. Quidam pro ægide caprinas tum exuuias accipiunt, quas quidem, seu clypeum ex eis, ut Virgilius Homerusq; aiũt, Mineruæ, & heroas Græcos & Iouem primùm gestasse: quorum multa sunt exempla, sed de nostro: ut, Cum sæpè nigrantem Ægida concuteret. quo constaret clypei potius quàm exuuiarum formam intelligi, eiusq; gestaminis in Ioue causa ad memoriam Amaltheæ nymphæ fuerat, quæ se latitantem caprino lacte fouisset: capricorniq; cœleste signum ob eiusdem honores in cœlum relatum: quod clypeum siue exuuias postmodũ filiæ Palladi tribuisse, poëtarum non uana figmenta sunt: ut, Ægidaq; horrificá turbatæ Palladis arma. &, Ipsam in pectore diuæ Gorgona. sanè poëticæ rei & nominis mira transumptio, quòd ex Perseo fratre in Palladẽ ea laus concesserit, & clypeus sit à Vulcano conflatus tam caprinæ appellationi, quàm fabrili malleo conueniens. quo satis apparet, Ægidis uocabulum in quouis clypeo uel antiquitatis uel honoris * regiones edisse. nam & Herculis mox insigne fuit, quantùm ex antiquissimo eius,

Aeneid. 8. (margin, beside "ta sunt exempla, sed de nostro")

Aeneid. 8. (margin, beside "filiæ Palladi tribuisse")

** fortè, gratia resedisse, uel consedisse.*

eius, marmoreoque signo Mediolani in beati Ambrosij doctoris delubro compertũ est, Herculem seminudum, non Bacchum, neq; Pana, ut quidam disputarunt, hircino spolio circundatum, clauaq; armatum, leoni minitantem, quippe non ipsum, nec deorum quempiã gentilium, nisi sacerdotem eius, pecoris corio contegi satis liquet, quod sibi immolaret. Sic deuicto pòst leone alijsq; monstris, Herculem ægidi leonis exuuias prætulisse. Quanquam hæc allegoricè ad sapientiæ uires referuntur, ut ipsum quoq; nudum & expeditè pugnasse fingitur, ac cum claua primùm, nõ gladio: ut eius uiri, quem sapientem & fortissimũ uoluerũt, seu Libyum siue Thebanum Herculem autumant, nuda, hoc est, singularis quædam probitas inter cæteros gentilium heroas exprimeretur. Ita prius homines armamẽtis ligneis lapideisq; in bello, nõ ferro uti solitos: eundẽq; gigantem, id est, præter communem hominũ staturam, farinam per molarium interualla cadentem, ut Græcæ dicunt historiæ, exceptantibus præbuisse, rudibus adhuc molendinariæ artis hominibus uictum ostendisse.

Herculis nudi allegoria.

Ægisthus, nobilis rex in tragœdijs: eadẽ ferè causa à Græcis nominatus αἴγισθος, hoc est, capris expositus infans, ut aleretur.

Ægisippus, uocabulum historici græci, ex capra & equo compositum, qui de bello Titi cum Iudæis scripsit, à doctore Ambrosio latinè translatus.

Ægina, ciuitas & mulier: & Ægilippa, omnia hæc à capris, à quibus etiam placet nõnullis Ægeriam Pompilij nominari.

Ægeus

Ægeus rex,à quo filius Theſeus:Ægidus,& Ægæum pelagus.

*Ægi cum omni coniugatione præteriti tẽporis,à uerbo eiuſdem ago. *Nouum.*

Ægyptus & Ægyptius, non Ægyptianus. nam dixit Poëta : Sequiturque nefas Ægyptia coniunx. *Aeneid. 8.*

Æger,ægritudo,ægrotatio,ægreſco, quanquã ſenſu differant, ut aliàs ſatis expoſuimus.

Ælia,urbs græca,ſed à Marone per aliã Grę corum declinationem oſtenditur:ut,Medięq; per Ælidis urbẽ Ibat ouans. Contrà apud Homerum metri ponitur gratia. Eſt & nomẽ mulieris Ælia.ſic Ælius & Ælianus,Romana nomina,Helias uel Helia barbara.

Æmulus,æmulor,æmulatio,quæ quandoque laudi,aliàs crimini aſsignantur.

Æmilius,Æmilianus,Æmilia gẽs,ſine aſpiratione ſcribuntur. non putant quidam à ſanguinis dictione, ſed iucunditatis calliditatisq; procedere,quaſi æmulus eligeretur, quo pariter uocabulo eadem ratione dici contendunt.

Æmonis,Æmonius, ab Æmonia. Ouidius in Epiſt. Æmonis Aemonio *Deidamia uiro. *Laodamia.*

Aemorrhois,uel æmorrhoſia ꝓ ſanguifluo. ſicut dici liquet αἵματι,hoc eſt ſanguine, ſic hæmorrheſa,homo id peſtis genus patiens.& hæmatites lapis, ſeu quòd eiuſdem coloris, ſiue quòd ei ſubueniens ſit.

Aeneas, Aeneis, Aeneides, ut Aſcanius, & Aeneadæ aliquando pro Romanis.

Aeneus, ænea, æneum, uel aheneus id epitheton,ab ære metallo,ut ahenum, uas ærcũ, de quo ſæpè poëtæ.

Aenobarbus, ab Aenobarborum familia, eadem Flauia, ex qua Nero Cæsar: ab æris colore, nunc expreſsius à barba rutila nominãtur.

Aenigma ſermo perplexus, in neutro genere, uelata quæſtio, ut ænigmata ſphyngos.

Aeolus, rex uentorum, ut poëtæ fingũt, qui in uentoſa Siciliæ parte regnauit, Aeolia ab eo dicta, & Aeolides Cephalus.

Aepolus, caprarum paſtor, quandoq; pro latino uocabulo ponitur: & æpolium, caprarũ grex. Cæterũ æpolij paſtores in minimis habẽtur: mediocres ποιμένοι, hoc eſt opiliones, ouiũ: at maiores βουκόλοι, armẽtarij boũ & iumẽtorũ.

Aeperia, uel Aepia, uel Aepea, oppidum Laconiæ: Aepy uerò, alia eſt urbs, de qua Homerus Iliad. 2.

*Aepia urbs, uel ſecundum Homerũ Aepy, bene condita ciuitas. nullam aũt diphthongũ uel aſpirationẽ accipiunt, quę cũ ἐπὶ græca prępoſitione iunguntur: quinimò corripiuntur, ut epiſtola, epigramma, & id genus plurima.

Aequus pro iuſto uel æquali, unde æquum & æquitas: à quo uocabulo cœpta in nobis diſputatio fuit in Liuio, cum de equo animali ſimul diceretur, quod minimè producitur, neque ab eo uenientia, ut eques, equeſter, equito, equinus. At ſuperiora diphthongum penitus exquirunt, ut æquo æquas, uel exæquo compoſitum, & exæquor eius paſsiuum, exæquaris: non exequor exequeris, deponens, cuius ſecũda corripitur, ſicut in prima ſequor. ab æquo, æquas, æquans, æquatus, & exæquatus ab exæquor. nã executus, eſt deponẽs. Vnde apud Saluſtium de utroq;, Exæquata acie, cũ diphthongo: &, Officia ſimul exequebatur, ſine diphthõgo. Sic ęquiparo, ęquiualeo, ęquanimitas, æquiuocũ, æquinoctiũ, æquęuus, uel ab

ab æquando,cum prima diphthongo, uel à cō simili ætate,cum diphthongo duplici,ut ęquęuus.æquor,æquoreus,quod maris, & campi, & planiciei eſt. Hæreo,hæſito:hæres,unde hæreditas:hæreſis,unde hęreticus, & cum eis compoſita figurarum nomina,Aphæreſis, diæreſis,ſynæreſis:ſed hæc ex medijs.

Aes æris,æreus,æratus,cui ſimile eſt ęneus: & æſtimo æſtimas, ab æris ratione. Omnia autem à Sum uerbo corripiunt,& ſuper r,ut ero,eris.Herus,hera,& heri aduerbium breuiātur:& heros,heroides,quamuis producantur, diphthongum non patiuntur,ſola aſpiratione contenta.

Aeſculapius,diphthongatur cum pleriſque nominibus,ut Aeſopus fabulator. nam Aſopus ſine e,proprium eſt fluuij nomen.

Aeſchilus,Aeſchinusq́;, uel Aeſchines propria, & æſculus arbor glandifera ſylueſtris:ſi ab eſca deducitur,ſine diphthongo.

Aeſtus,æſtuo,æſtas æſtatis,æſtiuus:aliàs eſto eſtas cum uerbo iuncta e longa præpoſitione,quod eſt quaſi extra ſtare ſeu eminere.nam ſimili ferè ratione exto ſicut exiſto, ſed cū præpoſitione,dempta s:ſic inſto & aſto, perſto cōpoſita.Cæterùm Eſto non compoſitū,ſed imperatiui modi,producitur, utriuſq; ſermonis, teſte Virgilio:ut de Muſæo, Atque oculis extantem * ſuſcipit altis.poteſt & eſtantem legi. *Aeneid.6.* *Suſpicit.* Tum de Didone, Eſto ægram nulli quondam flexere mariti:producitur,nec diphthōgus tamen apponitur à Græcis in eadem uoce & ſignificatione.in metro quoque, ut in ſoluta oratione conuenit.* Eſto eſtas compoſitè, ut dixi,non *Aeneid.4.* *Eſto, pro iſte dicunt Hiſpani.*

xi,non confuſe,ut apud Hiſpanos. Qua in re, uel errore magis ij maximè deteſtandi, quòd antè frequentiſsimè s literam in prima ſyllaba tam breui quàm producta e ſcribunt & profe runt:ut eſto pro ſto,eſtrepitus,eſtudium, eſcri bo,& mille ſimilia.uel quia fortè per Latinos aliquando ſcriptum inuenerunt, uti modò de eſto dictum cõpoſitiuè, uel quia literam s pro ferendo incipitur ab e ſono uocali.Qua quidẽ opinione nihil eſt in grammaticæ regula tam barbarum, quàm uulgaria latinaq; ſimul confundere pro loquendi more populari, ut ulteriores Germani & Pannones idem peccant. nam ſimili errore*eſol,eluna, eroma ſcribere potuerint,quoniam alię ſono uocali eæ literæ ac pleræq; proferuntur: adeò nullam penitus uidentur ſeruare,nec cognoſcere uelle ſcribendi rationem.Literati inſuper quidam geminã tes in ſyllabæ principio,rrex,rregnum, quo nihil abſurdius. An id hominum genus edoceri poſſe creditis,quid diphthongus, accentusúe, quid ſyllabę productio uel breuitas importet? Ergo barbarica leuitate dimiſſa,ad noſtra inſti tuta redeamus.

Barbaries notanda ,p ſole, luna,Roma.

Aetas,unde creditur æternitatem,ęternumque uiuere,uenire, quidam ætatulã diminutiuum efficiunt,uti dieculam à die. Ætas præterea pro anno unico,pro trigeſimo uel centeſimo.Maro: At tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas.melius quàm æſtas. Et de Neſtore, qui tertiam ætatem ageret,ſatis creditur intra nonageſimũ cõputari.Æther,unde ætherẽ,uel æthera, æthereus: & hęc æthra æthræ, cœli ſubita coruſcatio,quã igneã rimam aliquando

Georg.3.

Virgi-

Virgilius appellat, nocturno præcipuè tépore nubes persecanté. Qui sermo cũ à Gręcis in fœmineo genere ponatur, ut ἡ αἴθρη, pariter à Virgil. lib.3. seruatus est: ut, Nam neq; erant astrorum ignes, neq; lucidus æthra Syderea polus. Ita enim & sententiæ & carminis ratione colligi par est, ut interpretemur lucidũ polũ ex ęthra syderea non fuisse: hoc est, fulgurãte tunc supra Æneam. nam sequitur ratio: quinimmo nox nubila intempestaq; fuit, lunã in nimbo cõtinés. Quo quidé admiror plerosq; doctos, qui à Virgilio dictũ exponerét, Lucidus ęthra, ut si in masculino genere ponatur. nam hoc proposito minimè sequens uersus poëtęq; sententia procedunt, nisi sydera dicatur, nõ aũt syderea, ut sit sydera nubila, seu nubilosa: quo facto carminis ordo destruitur. Quo enim canore uersum metrificabunt? an dicétes Sydera polus? cum in scãsione dicatur, Syderea polus, gemino præcedente dactylo. ideo syderea ęthra, & lucidus polus ordinandum. Aeneid.8.

Aethiops, Æthiopia, quę nomina creduntur à Vulcani filio procesisse.

Aethna, Aethnęus cum duplici, secũdum illos, diphthongo: quibus placet deriuata à plurimis in a longam terminantibus cum diphthõgo notari, & syllaba æus, ut ab Aegina Aeginæus: similiter in e longum, ut Athenę Athenæus. quod est pro more gręco proloqui: nam potius latinum est Athenienses, Aeginenses. Sic à Roma, Verona, Cremona, Romæus, Veronæus, Cremonæus, græcè, quia sonore conueniunt. Ergo latinè in quibusdam conuenientibus proferendum: ut à Mantua, Placentia,

centia, Mantuanus, Placentinus. Ethnicus aūt gentilis est, sine diphthōgo: nam ἔθνος gentem significat.

Aeuum cum diphthōgo haud dubiè pro seculo est. nam originem ducit à græco tam masculino quàm neutrali, ut αἰών. unde τὸν & τὰ αἰῶνα, & τοὺς αἰῶνας scribitur, & τὰ αἰώνια, omnia ad id genus pertinētia. Cæterùm apud Græcos correctè legitur αἰών, quod nostri nunc æuum, nūc ætatem interpretātur: qua ratione sequeretur utrouis modo scribendum. porrò cum in græcis sint aduerbia ἀεὶ & αἰὲν, pro semper: unde αἰώνιος, sempiternus, quasi dicatur semper. Et ęternus rectius ab ætate, quàm ab eo quod sit extra terram. cum diphthongo Æuum & ætatē scribendum arbitramur, & sic longæuus, qui græcè μακρόβιος uel πολύβιος dicitur. Æonius igitur epithetum, quod certè græcum est, αἰώνιος, semper, sempiternum sit illorum arbitratu, qui sempiternum id solum dicunt, quod in mundi finem duraturum est: siue pro semper & æterno, quod ultra est, ut Deus. non tantum adeò nos perscrutamur omnia anxiè. A Virgi- Georg. 3.
lio certè utrinque latinè prolatum est: ut * Æo- Aonio.
nio rediēs deducam uertice musas. quem pro longissimè duraturo certè existimauit.

DE AE DIPHTHONGO IN MEdijs syllabis. Pars LXXVIII.

NVnc cum in medijs de æ diphthōgo sit loquendum, nihil obstabit alphabeti ordine repetito per literas quasque primas gradatim incedere.

Aetheus

Aethęus & Achæus, ab Achaia: & ab Aſcra Aſcręus, gentilis appellatio: ut de Heſiodo Virgilius, Aſcræũq; cano Romana per oppida carmẽ. Eademq; ratione, ut modò dictũ de nominibus in a longum terminatis, æus cum diphthongo in medijs recipientibus, præſertimq; græcis ſermonibus ſic: Acta, actæus, litoralis: græcè acte uel ἀκτή. Cęterùm ab actica, acticus, à Thebis, Thebæus uel Thebanus, ſi latinè potius uel græcè loqui, aut pro metri neceſsitatę uelimus. Actęon, ille à canibus laceratus. *Georg. 2.*

Agoræus, ut nundinarius uel forenſis.

Annæus, priſcorum nota familia. Et aduertendum eſt, omnia quæ apud nos in æus cum diphthongo fiunt, apud Græcos in aios terminari, uti nunc ἀνναῖος, λυναῖος.

Anapæſtus, pes metricus.

Anapæa, genus auis.

Anthæus ab Hercule ſuperatus. Alpheus ſatis eſt, ut Orpheus, ſine geminata diphthõgo.

Ariſtæus, Ariæus, Aridæus, multaque huiuſmodi nomina græca in æus, cum diphthongo conuenientius, quàm in eius nudis literis poſita comperiuntur, pro Græcorum conſuetudine.

Aulæus ab aula, quæ græcè αὐλή: melius ergo quàm aulicus. nam & aulæa, aularum ornamẽta, nõ aulica Virgilius protulit: & omnia gręca terminata in η, in æ conuertunt, ſicut ἴδη, Ida, Idæus: αἴτνη, Ætna uel Ætnęus.

BRyſea dicitur Aonię ciuitas, nõ Bryſeum generat, quia Bryſa non legitur, ſed Bryſeum: ut Bacchus dictus Bryſeus, ita non ab a, ſed ab e deriuationem ſuſcepit.

Balæna

Balæna propriè diphthongo sociatur, seu balatus, siue uastitatis ratione.

CAldæus, sed non diphthongum Iudeus accipit, ratione ut suprà: quia à Iudea nõ Iuda dicitur, & Iudaicus ad contemptũ, ut Grecanicus.

Cæbę, loci nomen. Cebes, sine diphthongo proprium uiri.

Cęcus & cęcitas, à cędendo latinè, seu carẽdo. nam & cæculam sic antiqui dixere, locum cauernosum, abditum.

Cęcilius & Cęcilia propria nomina, quę à cędendo pro incidendo ueniunt: & cęlebs, cęlibatusq; à cælo potius quàm à caleo.

Cæsar & cæsaries eadẽ ratione deducta. Inde Cęsares, à cęso matris utero dicti. & Cęsarea urbs, unde Cęsariensis & Cęsarianus: sic Cęsarea augusta, colonia Romanorum.

Cæstus etiam ludus, à cędendo, hoc est feriẽdo. nam legitur: Duro crepitát sub uulnere malę: &, Effractoq; illisit ossa cerebro. ut Cęsar & cęsaries à cędẽdo, sic græcè coma non à como comis, sed à gręco κόπτω, incido: quanquã usus cęsariem uiris, comã mulieribus asignarit, ac decidui capilli non à cædendo, sed spontè cadendo.

Aeneid. 5.

Cęduæ syluæ à cædendo ibi materiam: sic cætera, cæteri, cæterum, inde ortum habere dicuntur, quasi ab alijs cæsa & separata, unde quidam cætum pro conuentu eadem ratione locauere: alij cum œ potius communiter scribunt.

Cetus autem piscis, licet in prima producitur, diphthongo caret. itaq; Cędo in tota uariatione

tione diphthongum recipit, exceptis in præterito tempore syllabis, ut cecidi, cecidisse, quoniam corripiunt. Cedo autem, quod est locum concedere, diphthongum non requirit.

Cælum uel Cœlum (nam & cum ę scribitur ratione prædicta) unde cælatura, à cęlo cęlas, quòd stellis sculptum & ornatum uideatur, uti poculum gemmis: & auro laboratum, cælatum dicitur. Celsum quoq; à cœlo quidam dici arbitrantur: nec non cęlum à cælãdo scalper fabrilis nominatur, quo præcipuè utuntur argẽtifices, & eius pluralis numerus est cęla. Per œ aũt Cœlum dicitur à concauitate. nam grecè κοῖλον, cauum uel cõcauum est: quamobrem pari ratione dupliciter sua deriuata accipiuntur, ut cęlestis, cęlicola.

Cęneus, propriũ uiri & mulieris fubulosæ: ut,* Modò uir, modò fœmina Cęneus.

Aeneid. 6. sic legitur, Et iuuenis quondã, nunc fœmina Cæneus.

Cnęus, familia Romanorum, ex qua Pompeius: ergo non cum G, sed C scribendũ, quoquo modo proferatur. sic Caius Cęsar ad antiquorum consuetudinem.

Chlæna, uestimenti genus, apud nos sæpè latina uoce usurpatum. de quo Homerus in Thersitem, χλαῖναν τ' ἠδὲ χιτῶνα. quasi sagulum diceret, ac tunicam. χλαμὺς ab Hispanis appellatur.

Iliad. 2.

Chamæleon, animal conspicuum apud Plinium maiorem, libro uigesimo octauo, capite octauo.

Cæpi, à uerbo capio cum suis pręteritis. nam ab incipiendo simpliciter cum œ scribitur, ut cœpi.

Chęrea, Chęreas, uel Chęripp⁹ philosophus, à

ſalutando ſunt nomina, ſed poſtremum cum equina etiam ſignificatione.

Chære, & chærete, ſeu græcè ſcriptum, χαῖρε, χαίρετε, ſalue, ſaluete: quibus Græcorum uocabulis nõnunquam & nos pro latinis utimur.

Chimæra, animal triplicis formæ, à poëtis, & ab Homero præcipuè celebratum in Bellerophontis inſignibus.

Cinædus, puer, nomen ab etimologia, à mouẽdo, & pudẽdis formatũ, quia αἰδοῖα, hoc eſt, pudenda commoueat. Ita cum à κινῶ, moueo, pariter deriuetur, utrauis diphthongo ſcribendum apparet, & Cinædicus ab eadem origine.

Alij negant. Cræta, argilla, diphthongum * recipit, non Creta inſula.

Clytæmneſtra, quam occidit Oreſtes: nam Odyſſ. 10. ſic habetur ab Homero, κλυταιμνήστρη δολόμητις, quòd uirum doloſe confecerit.

DÆdalus ille poëticus, & Dędalion aliud nomen proprium.

Dæmon, dæmonium, & compoſita, ut cacodæmon. nam & boni dicuntur felices: unde eudæmon, bene felix. ſic Lacedæmon, Lacedæmonium, cum dæmone: & à Laconia, Lacænus.

Diæreſis, diſiunctio, cui contraria eſt ſynæreſis.

Dracæna, draconis fœmina.

Diæta, locus ad cœnaculum opportunus, cuius ſæpè meminit Plinius in epiſtolis.

Dicæarchus, græcè autem Δικαίαρχος, quaſi iuſtus princeps: unde δίκαιος, iuſtus latinè prolatus.

Dircæus, à Dirce, cuius e longa.

Encœnia

ENcœnia, innouatio.

Ennosigęos, Neptunus. est autem græcum, licet nostri nõnunquam latinè protulerunt. Apud Homerum ἐννοσίγαιος, à Iuuenali uerò de Xerxe dicitur: Ipsum cõpedibus qui uinxerat Ennosigæum. à concutiendo terram nomen compositum. nam* ἐννῶ, cõcutio, & γαῖα uel γῆ, terra: quanquam & alio nomine ποσειδῶν, quod significat potum dantem, non aquæ marinæ, ratione quòd salsa sit, sed omnis aquę, cuius ipse sit dominus appellatus. *Satyr. 10.* *uel ἐνόω.*

Ephebus, pro pubenti diphthongum non recipit, licet librariorum errore cum diphthongo scribatur.

Ephiræus ab Ephyra urbe Arcadię. unde Ephyræiaque æra, seu ut alijs placet, ab Epiro, Laconiæ ciuitate. *Georg. 2.*

FOedus, pollutus, à fœce, & sic fœx cum diphthongo œ, non æ, scribitur.

Fœmina ab aliquibus cũ œ diphthõgo.

Fręgi cum omnib. ab eo in præterito descendentib. ante g. fræssus etiã à frangẽdo, unde faba fręssa. Frænum similiter à frangendo.

Frætus epitheton, non fretũ mare, cuius prima corripitur: & huic literę f addere possumus à φ Græcorum litera incipiẽtia, præcipuè cum nonnulla adhuc ex suis apud nos, & in nostris literis remanserint, ut fuga, fugo, fero, fur, folium, forma, fax: quædam uerò & duplici modo alternantia, ut phucus uel fucus: quãquam sine aspiratione dicitur genus herbę ad tingẽdũ. unde, Tyrio fucatur lana ueneno. &, Fucũ factũ mulieri: id est, mendaciũ. Ad hoc fagus uel phagus, & phama uel fama, fanum uel pha- *Georg. 2.* *Terent. Eunu.*

num,diuersa tamen significatione. Cuius generis fluctuatio uel incõstantia ex hoc ideo cõtingit,quòd apud Græcos omnia ab r incipiẽtia,siue in medijs nullã habent differentiã,quę aspiranda,quæúe aspirari nõ debeant:quẽadmodum in ch uel c,in th uel t. ita nostri nonnũquam magis,interdũ minus aspirant,eiusdem semper literæ φ & f occasione:ut non mirandũ sit in uocabulis ab r incipientibus pari modo uariari,cum ab eisdem φ siue ρ,id est, r cum dasia semper in principio describatur:ut Phæaces,quorum rex ille Alcinous ab Homero nobilitatus,in Odyssea, lib. 6.7.&c.

Phædria,ut est apud Terentium:&Phędra, mulier,uocabula lætitiam significantia.

Pheræus,Phædron,aliàs Phædon,Phaëthõ solis filius,& pharisæus.

GAetulia,unde Gætulus,pars Africæ, cũ simplici uel duplici l,* & diphthongũ recipit,& aliquando corripitur.

*Gæsa,genus iaculi Gallorum.

Alij sine diphthongo & unico l scribunt. Gesa quoq; sine diphthõgo.

Gręcia,Gręcus,Gręcensis,à Gręco rege quodã Atheniensi ibi sepulto:sic Græculus & Gręcanicus ad contemptum inuenta nomina, ob eius gentis uitia,non græcas disciplinas.

Gynęcium,gręcũ est γυναίκειον,ut in Terentio, diuersoriũ solis mulierib. concessũ.unde Gynæcia earum antiqua dea celebris,quã & Bonam deam dixere:& γυναῖκες,ipsæ mulieres.

Gęa,pro terra,est apud gręcos γαῖα:unde qdã Georgica opera Virgilij,& geometria cũ diphthõgo scripsere. Sed cũ apud eosdẽ etiã sint γῆ & γῆα,pręter γαῖαν,itemq; diuersiori uoce χθὼν & ἄρουρα,utrouis modo scribendum relinquitur.

Hyæna,

HYæna, animal rarum, horrēdum apud Plinium. Hæræſius, uiri proprium. *Lib.8. cap.30.*

Hebræus. Hephæſtion, chariſsimus Alexandri contubernalis.

Idæus, montis & uiri nomen, & ab Ida ſylua nobili ea ratione, ut ſuprà dixi de aula, Ida, acta.

Idumæus. nam e longam habet. Idumæa, regio Iudæorum. hinc poëta: Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas. Iſæus, oratoris & fluuij nomen. Ięci, à iacio iacis, omniaq; ſua huiuſmodi præterita. *Georg.3.*

Lædo cum ſuis omnibus compoſitis, ut illæſus. Ledæus uel Ledæa, à Leda nobili regina; ut, Ledæam Hermionem. Recipit ergo deriuatio diphthongum, non eius poſitiuum Leda. Lælius, nomen celebre uiri, & Lælia mulieris. *Aen.3. & 7.*

Læmargus, guloſus, ganeo: & læmargia, ingluuies, edacitas. Vnde Leſtrygones à poëtis celebrantur, hominib. ueſcētes, ſicut alio uocabulo anthropophagi, & Polyphemi dicuntur.

Læna, ſicut chlamys, genus ueſtimenti. de qua Satyricus plurima: Sunt quæ non audent homines, Pertuſa dicere ięna. Itidem ięna & ięno, ab eiuſdem ueſtimenti genere, quo mercedis gratia donabantur. Lacæna item ueſtimentū, non lacerna. ſed Lacænus epitheton, à Laconia. *Satyr.5.*

Læua, manus, uel ſiniſtra pars, & læuus epithetō, ſicut ſtultus: ut, Si mens nō læua fuiſſet: hoc eſt, ſtulta. contrarium mentis ſanæ. Leæna melius quā lea: ut Virgilius, Torua leęna lupum ſequitur. &, Catulorum oblita leæna: *Tityro.* *Alexi.* *Georg.3.*

ergo ab alijs poëtis lea non propriè dicitur.

Lenęus, Bacchus, à torculari uinario: Lyęus similiter, sed à uenarum dissolutione. unde paralysis, ex nimio uini usu membrorum resolutio. Et lienteria, idem morbus intestinorum, à λύω soluo.

Lycæus, mons Arcadiæ, tractum à lupis nomen: inde Lycæa, Lupercalia festa. nam λύκος & lupi est uocabulum.

Lætor, lætus, & lætitia, cui non contrarium est per antiphrasin lethum, ut dicunt, id quod à plerisq; pro morte læthum dicitur cum diphthōgo æ: sed melius lethum cum th, & sine diphthongo. & idem hoc mortem indicat, ab obliuione scilicet, quę mortem sequitur. unde Lethe, obliuio, & Lethæus, fluuius apud inferos, cum diphthongo, ratione prædicta ab e lōga: inde lethargus siue lethargia, morbus homines demētes & obliuiosos efficiens, quasi mortuos uel obliuiosos.

Longęuus, ab ęuo & ætate, ea ratione suprà diximus.

MÆnades, mulieres Bacchū sequētes, cū diphthongo, si ab horrisono clamore: si uerò à furore, quē Græci, & Homerus in primis μῆνιν appellāt, fœmineo genere. nam ὀργὴν pro ira melius apponunt, cum e tantum producta in prima syllaba sufficiat. quamobrē Menalus mons, duplici modo, uel à furore, uel boatu describendus.

Mænia & Mæon, Mæonides musæ. Homerus Męonides à patre dictus est.

Męotis, palus, unde Mæoticus.

Musæus omniū poëtarū, ut apparet Virgilij senten-

ſententia,antiquiſsimus, cui uidetur à muſa nomen datum.

Mæreor & mæreo, ſic mæſtus & mæſtitia, quæ mihi uериſimilius uidentur cum æ diphthongo deſcribenda.nam à maceror,quamuis correpto uerbo,potius cauſam ſignificat, quã aliunde per œ diphthongum,

Megęra,uirgo infernalis.Machæra,à noſtris gladius uel culter.Iuuenalis:Ames uictum,nomenq́; machærę.Machabæus,Manichęus,barbara.ſic à noſtris ſcribi placet Mitylenęus.nam Mitylene e poſtremum longum habet.Muræna,piſcis & uiri nomen.

NÆ,pro utique uel certè:aliàs negatiuus hic ſermo,& ſine diphthongo,ſed affirmatiuum ex græco latinũ fecimus,quo ſępè utitur Terentius.ideo cũ frequenter inueniatur ſine diphthongo,librariorũ lectorumq́; defectione,quando accipitur in contrariũ: ut, Sic ne,pro non:uel perplexè legere, ſicut in eo loco præcipuè,Faciunt ναὶ intelligẽdo, ut nihil intelligãt.ubi appoſita diphthõgo nihil interrogationis apparet,quin imò certum relinquitur nihil eos intelligere. erit igitur hic ſermo diligenter notandus, ubi ſit uel nõ diphthongus opportuna. Horat. Clarus erit,fortis, iuſtus, ſapiens,næ etiam rex:id eſt,certè rex. *Satyra 3.*

Nazaręnus ſicuti Nazaręus,quanquam nomen Ebræum. Neæra,mulieris propriũ, quo utitur Virgilius in Bucolicis.

Neſęe,nomen nymphæ. Virg.Neſæeq́;,Spioque,Thaliaq́;,Cymodoceq́;. *Georg.4.*

PÆdagogus,nomẽ cõpoſitũ,puerorũ ductor, græcè ſcribitur παιδαγωγός. Et παιδία,

pueritia,uel inſtitutio,aut caſtigatio puerilis,à παιδὸς puero:inde βόπαιδας garrulos pueros uocant,loquacesúe puellas : & ut pædaretus ad bonum ſpectat,ſermo ex diſciplina,uel puero, ac uirtute compoſitus:ſic pæderaſter,pædicare & pædicones,ad puerorum inſectationem criminoſam.

Aeneid.7. Pæon,medici nomé.unde pæonia herba:ut Pæonijs reuocatũ herbis.& pæõ, pes metric9

Pæan,Apollo,cuius laudes pæana. ut apud Virg.Lætũ pæana canentes. nã aliud eſt Pœã, uiri proprium,cum diphthongo œ. Panegyris & panegyricæ,laudationes eiuſdem ferè generis.& Pæantius, unde Philoctetes Pæantius.

Palęmon Virgilij,Panætiusq; Ciceronis,uirorum propria,unum ad iudicialem ſententiã, alterum ad cauſarum copiam pertinens.

Palæſtra,palæſtritę,à luctatione,compoſitũ ex ſæpè uel iterum feriendo.

Palæſtina,regio confinis Arabiæ. In Ple autem ſyllaba nullam inuenio diphthongi rationem,unde malè pleriq;,plerunq;,& eiuſmodi. item fleo & pleo cum diphthongo ſcribentes. quinimmò gręcè eſt πλήρης,plenus,nõ πλάιρης:unde ἀπλήρεις,uelut inanes& leues homines uolũt.

Pæſtum,oppidum in Lucania.Virg.4.Geo. Biferiq; roſaria Pęſti.Papæ admiratiuè poſitũ.

Præneſte,Præneſtinus, non Præneſteus ratione prædicta.nam corripitur ultima:ut, Præ

Aeneid.8. neſte ſub ipſa.

Præ,præpoſitio,& quæ cum ea ſint infinita compoſita,ut præcipio , præcipito, præpono, pręparo,præco præconis,præter,prætor,pętorium,& ſic pręlium melius quàm prœlium.

omnia

omnia quippe diphthongum habent, quia producuntur:ita in cæteris, quæ tamen pauca sunt, diphthongus non apponitur, quia correpta sunt:ut,precor,preces, precium,premo.tamen uariata quædam ab ijs producuntur, ut pressi, omniaque prçterita:sic pressus pressuraq́;diphthongum tamē non admittunt:neq; presbyter, qui à nobis maior natu transfertur.

Ptolomæus,diphthongum habet, non Bartholomeus.Piræus,Athenarum portus.

Pyrenæi,montes,secundum eos qui utranque dictionem à pyra ductam uolūt, quòd in acutum tendant.Pygmæi,populi minimæ staturæ,in montibus Idæ,quibus cum pugnatur à gruibus,teste Homero.

QVę relatiuum,omni genere & numero, & cum eo composita:ut,quęcūq;,quępiam,quęlibet. ergo sine diphthongo manifesta scriptum, pro coniunctione intelligendum,pręcipuè cum in relatiuo suam diphthongum semper apponimus.Sed adeò librariorum lectorumq́; reprehendendus usus inseuit,Que coniunctionem breuiare, ut pro relatiuo penitus habeatur,etiam sine diphthongo distinctè repositum.Accedit frustrata quorundam disputatio,qui cum gręca intelligant, gręcarum tamen literarum auctoritatem peruertere conātur, ut alijs plus sapere uideātur: contendentes eam coniunctionem,non relatiuam , cum diphthongo magis oportere scribi, cū in gręco sit coniuncta cū diphthongo,apud nos pro Et intellecta . & ipsa k litera pro q & c sæpè posita. quod non negamus, quin-

etiam coniunctionem esse τὶ distinctè positam sicut ἤδη. Sed cum à Græcis eadem coniunctio sæpenumerò correptè, ut ϰ̓ pro ϰαὶ, & eorum relatiuũ distinctè semper scribatur, ut ἧ, uel ἥ, uel ἃ: hoc est, cum δασέᾳ continuè, * uel βραχέᾳ: & hæc litera η semper à nobis in e longum uertatur, uel a, relinquitur apud nos emendatius Quæ relatiuum, non autem coniunctionem, cum diphthongo describendum.

ἢ βαρέᾳ.

Quæro, & quæror passiuum, cum omnibus eorum tẽporibus, & sua deriuata, ut quæstus, quæstor, quæstura, quæstio, æ diphthongum postulant. Queror uerò & conqueror deponentia, quia corripiuntur, eorumq́; descendentia licet producantur, ut questus lamentatio, diphthongo tamen non annotatur: neque illa participia, ut querens, querendus, conquerendus, & querimonia. nam composita cum superioribus mutant e in i, ut inquiro, requiro, inquirens, inquisitus, & eius generis: ut sciatis, quantum utilitatis cõferat diphthõgorum obseruatio in eiusdem uocis sermonumúe descriptione. Quæso defectiuum, & quæsumus.

RHæda pro curru.

Riphæi montes, frigore perpetuo nobiles. Romphęa, genus teli, quasi framea.

SÆuus, sæuitia, sęuio, dicitur. Synæresis, cuius contrarium diæresis.

Sine diphthongo hodie scribitur.

*Sæpia marini piscis genus & caudati, ut Polypus, ex cuius sanguine pigmẽtum atrum exprimitur. de qua Persius: Nigra quòd infusa uanescat sæpia lympha.

Saty. 3.

Sæpè cum omnibus suis, ut sæpius, sæpenumerò, sæpissimè. Cuius ratione quidam sæpè

etiam

etiam, ut ſæpta agrorum uel ouilium, cum diphthongo ſcribi uolunt, ob eius frequenté intexturam, uel ob eius craſsitudinem longitudinémue eius inſtrumēti, quod à Græcis ideo μακρὸν dictum, ſiue longum ſignificans.

Spelæum, id eſt ſpelunca. nam Græcè σπηλαῖον. Et Virgilius: Certū eſt in ſyluis, inter ſpelæa ferarum, Malle pati. In Gallo.

Sphæra uel ſpæra, ubique rotunda materia: nam & utroque modo in prima ſyllaba eſt. Græcè σφαῖρα.

Sigæum, Troiæ promontoriū, Græcè σίγαιον, ab Herculis taciturnitate ibi latentis, cum de Troiana captiuitate meditaretur, qui locus fuerat antea hoſpitio frequentatus.

TÆnia, faſcia: ut, Fit longæ tænia uittæ. Aeneid. 7.

Tæda, fax, ab arboris nomine.

Trochæus, pes metricus, celer & uolubilis: τροχὸς rota, unde troch⁹, puerilis ludus.

Trophæum, ab hoſtium conuerſione uel fuga. Tænarus, mons à poëtis nobilitatus. Taddæus, quia Græcè ταδδαῖος.

Timæus, uiri proprium, cum i latino, ſi ab honore, quem Græci fœmineo genere τιμὴν uocant: ſi à thymbra uel thymo, cū ypſilo ſcribet̃.

Telonæus, locus ubi uectigal exigitur, pro mercium deductione, & eius loci præſides publicani. nam Græcè τελώνιον & τελὸς, tributū, uectigal: τέλος autem finis, ut pernoſcatis quanta ſignificationum uis, non in diphthongorum ſolum, uerumetiā in literarū proſodiarumq́; uarietate conſiſtat.

DE DIPHTHONGO OE, QVAE *rarior est in primis & medijs.* Pars LXXIX.

Reliqua sequar ut instituistis, quæ œ diphthongum desiderant: quæ & pauciora sunt quàm quæ in æ, & in scripturæ nūc magis ornamento quàm necessitate uersatur. equippe quæ ad orationis intellectum non usqueadeò diphthongus hæc opportuna existimatur ut æ, ideoque minus frequens apparet: iuuabit tamē intelligere omnes syllabas uel in metro esse producēdas, in quibus uel diphthōgus est (excepta ratione uocalium duplicatione: ut, Sudibús ue præustis) uel geminam iuxta literam aspexeritis.

Oebalia, Laconiæ regio, ab Oebalo Laconū *Georg. 4.* rege. Virgilius, Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis.

Oeconomicus, est ad rei familiaris rurisq; administrationem pertinens. Oeconomus ipsius rei uel domus gubernator & magister, græcè & alio uocabulo οἰκοδεσπότης: quo apparet δεσπότην dominū, & οἶκον uel οἰκίαν domū appellari.

Oedipus, & Oedipodes filij nobiles in tragœdijs. Oebades, Oeneus, Oenomaus, propria uirorum.

Oestrum, pro asilo musca bestijs infesta: ut Virgilius in Georgicis libro 3.

Oenotrij, antiqui Latinorum, ut Sabini, à uini, uel uinearum ubertate: quasi botrus dicere *Aeneid. 1.* tur, unde racemus. de quibus Virgilius. Oenos igitur pro uino, licet apud nos in usu non sit, ab eo tamē composita: ita uerò œnophorum, *Lib. 6.* uas uinarium portabile: de quo Martialis, Red didit

didit œnophori pondera parua sui.

Oetoscyros, Apollo, sic à Thracib. appellat⁹.

Oedos ab odia pro cantu græcè scribitur, ἀοιδὸς uel ἀοιδία. unde comœdia, tragœdia, & sic melodia diceretur. scribitur & gręcè cum ω magno, paruulo supposito, ᾠδός.

AMœnus epitheton, & amœna loca, solius uoluptatis, ut creditur, sed nō frugifera, quasi amunia: unde immunis homo, non frugi.

Agrœcula pro agricola antiquitus scribebatur cum œ, nec temerè: cum sic scribendo totum græcum esse uideatur, ab ἀγρὸς campus uel ager, & οἰκέω habito. Rursus ab ago, unde est latinum, & colens totum latinum est, ac sine diphthongo.

Amœbæū, carmen gradatim à duobus prolatum, totidem utrinq; uersibus, ut apud Virgilium & Theocritū: ab alternatione dictum, per uerbum ἀμείβω, compono uel iungo.

COenobiū, cœnaculū & cœna. nam dicitur ab eo, quod est κοινὸν, cōmune: inde cœnotaphiū, sepulchrū cōmune, uel tūba propriè, ubi cadauera reponuntur. Porrò cenotaphium sine diphthongo, est inane sepulchrum. nam κενὸν, uacuum est, ut sciamus huius quoq; diphthongi non aspernandum esse cognomen. Idem de Cœnodoxia, uel cenodoxia sentiendum, communis seu inanis gloria, pro diphthongi ratione. Cœmiteriū auté nō à cōmuni dictū. nam cum m non scriberetur, quamuis in eius generis loco multi communiter sepeliantur: sed à κοιμάω, pro dormio, quòd ibi tanquam iacentes dormire uidentur.

Comœ-

Comœdia, nomen compositum cum κωμὴ, uico uel rure, quod alio nomine* ῥηλλί, quasi ruri dicitur.

Cœnũ, à κοινόω uerbo inquino. nam id quoq; turpe est & uulgare, quod commune.

Cœpi, ab incipio, præteriti temporis cũ omnibus suis, ut cœptus, incœptus, incœptor: præceptor uerò in dubio est an à præ & capio, uel incipio potius: ergo duplici, pari uel dispari diphthongo scribendum.

Calœnum, pro oppido Campaniæ, aut ex uino ibi nato, quod sonat bonũ uinum, sicut Calabria, bona fluenta, uel bonis abundans, uel affluens, aut pro ipso uino simpliciter. de quo

Satyra 1. etiam Iuuenalis: Occurrit matrona potẽs, quę molle Calœnum.

Aeneid. 4. Cœus, gigas. de quo Virgilius: Cœo Enceladoq; sororem. Cœlius, & Cœlia hominũ propria: item Cœlia nomen nobilis fossæ Romæ: & Crœsus, Crœtulus propria.

DAmœtas, nomen pastorale, ut in Bucolicis.

Epicœnum, promiscuum. nam Græcè ἐπίκοινον eadem ratione ut modò, à cõmuni.

Fœdus, fœderis, cum omnibus suis deriuatis cum œ scribitur.

Fœnum, pabulum, à quo fœnarius, qui illud secat in herba: & fœnile, ubi seruatur ad pecora. Inde fœniculũ, quòd fœno sit simile: à Græcis autem μάραθρον.

Fœx, fœcis, per œ, unde fœdus & fœdatum potius quàm cum æ. nam & fœdus fœderis similiter inde placet deriuari, & omnia modò prædicta.

Fœtus,

Fœtus, fœtura, sic effœtum. quanquam magis proprium sit in fœmineo duntaxat genere, cuius naturale est fœtum, & effœtum habere uentrem. Ideoque nonnullis placet effetus epitheton cum duplici ff, & sine diphthongo, alijs magis rebus accommodare: ut Virgilius, Rigentq; effetæ in corpore uires. cæterùm maior est prioris sensus auctoritas. hinc fœtura.

PHilopœmenes, dux insignis ille Græcorum, de quo apud Liuium & Plutarchū magnificè.

Phœbus, & Phœbe luna. nam o magnum, id est ω, in œ quandoque uertimus, ut φῶς, lux uel lumen. unde dictus Phœdius & Phœdrus, proprium uiri, quasi phœbi uel lucis nomen. Apollo autē seu Homericè ἀπόλλων, à πολύ, multum, licet secunda syllaba maiestatis gratia geminet ll, & producatur, quòd non multi sint, sed solus: unde à nobis sol. Ephebus, ut diximus, diphthongum non recipit, sed e producta secunda contentus. nam cum ἐπὶ præpositione græca coniungitur, ut Ephebus, & ἥβη, iuuenta. ergo adolescens imberbis, cuius ætas est ante iuuentam.

Phœnix, auis unica, & est uiri nomen.

Hodœporus, uiator, peregrinus: hodœporicum, formula uel imago descripti gradatim itineris. nam ὁδὸς, uia, uel iter. ex græcis siquidem pleraq; nos in eadem uoce retinemus, aliqua paululum mutamus, ut Heraclides, Hercules.

Mœnia, ędificia publica, tam ciuitatis quàm murorum in orbem.

Melibœus curam boum gerens.

Monœcus, portus in Liguria, ab Hercule. de

quo

quo Virgilius, Atque arce Monœci.

Mœris, ille Virgilij familiaris in Bucolicis.

Melodiam, hoc uerbum quidam uolunt uel cum μέλι, hoc est melle, & ᾠδὴ, coniunctũ. nam nos l duplicamus, unde μελίφυλλον, apium uel apiastrum: quanquam alio nomine σέλινον, ex quo apes multum irrorantur, teste etiam Virgilio, Trita meliphylla. quòd sint folia: nam φύλλον, folium. uel à μελιτάω: sed nos in deponenti melitor melitaris, quod est dulce canere. in quo uerbo Virgilius literam mutasse creditur metri gratia: ut, Meditaris auena, ꝑ melitaris. *In Tityro.*

Mœdoria, græcè μοιδορία: quandoq; nos utimur pro dicacitate, uel oblocutione, uel mordacitate, ut histriones interdũ solent, aut parasiti. Cęterũ Hispani hac appellatiõe uulgariter utunẽ pro nimia stultitia, seu rudi simplicitate.

Mœreo & mœror, ut multis placet, mihi autem cum æ potius, ut suprà rationẽ exposui, scribendum, quòd à maceror deriuatur. Cæterùm pro merendo seu militando, commodius nullam recipit diphthongum, prima correpta: ut, Ære merent *modico. *paruo, Luc. li. 10.*

Obscœnum, à communi & inquinãdo, sicut quodlibet plebeium communeq; meritò sit contemnendum, sed sine diphthongo: ab ob & cano procedit, quod ideo abominabile dicitur in augurijs. Psalmœdia, cantatio.

PRoœmium, cum duplici o, si diphthongũ in eo exprimere uelimus. nam primum o suæ est præpositionis, alioquin perdetur, sicut magnopere.

Prothœnor, ex Bœotiorũ principibus apud Homerum in Iliade, lib. 2.

Poë-

Poëma, & poëta, poësis, nō poësia, apud nostros cum diphthongo non habetur, cū tamen apud Græcos habeat. nam & longa remansit, ut à Græcis scribitur, ποίημα, ποιητὴς: & dicamus diphthongum hic uicissim metri gratia corrūpi, sicut, Sudibús ue præustis.

Pœna, pœnitentia, pœnitet.

ROesus, ab Homero & Virgilio nobilitatus, inter dormiendum confossus. *Aeneid.1.*

Schœnobates, funis cōscensor. de quo Iuuenalis, Augur schœnobates. quasi funābulus more greço. nā σχοῖνος funis, βατὴς ambulās. *Satyra 3.*

Sinalœphe, figura qua utimur in abiectione uocaliū: ut, Ille ego: quod sonat cōpressionē.

Solœcismus, uitiosa in grammaticæ regula dictio.

TImœtes, propriū, de quo Virgilius & Homerus. Tragœdia, nomē à capro & cantu. nam τράγον, caprū dicunt. Trœzen, oppidum, unde Trœzenius apud Homerum.

DE FIGVRIS GRAECE LATINEQVE *per uocalium ordinem, quarū frequens est apud grammaticos, præcipuaq́; commemoratio.* Pars LXXX.

HÆc habui de diphthōgis, quę uobis exponerem: cætera uos exquisitius indies perlegendo supplebitis. Verùm quoniā in omnibus à me necessarijs & electioribus edoceri statuistis, admonuit me non paucarum expositio figurarum, ut reliquam nunc partem recenseam: non quòd à Quintiliano, oratoriæ artis præceptore disertissimo, non egregiè copioseq́; de omnibus figurarum signi-

ſignificationibus tractatum ſit: ſed quia in omnibus ferè Quintiliani libris earum nomina, uti ab eo græcè poſita fuerant, uel deſint penitus, relictis per interualla feneſtris, uel corruptè ſcripta ſint. nam quotiés ipſe in emendandis Quintiliani, Macrobij, A. Gellij, Pliniorúmue meorum uoluminibus græca repoſui? Quoties autem hæc & alia denuò librariorum inſcitia deprauata ſunt? Nihil uſqueadeò tam emendatum perpolitumque in literaria arte à doctis præceptoribus efficitur, quod non ab indoctis librarijs inficiatur rurſus. Sunt ſanè figurarum uocabula, earumque ſignificata hiſce diſputationibus noſtris cognitu neceſſaria, tum ſoluta oratione, tum metro præcipuè, *quos rhetoricos colores Tullius noſter appellat. Sed apud eum non gręcè deſcribuntur, neque eo in genere penitus memorantur, quę ad poëſim magis attineant, ſed oratoriam: quam obrem nunc à me breuiori quadam formula, & per uocalium ordinem inſtituta, de earũ nominibus græcè latineque ita deſcribetur, ut ſi quid hic fortè prætermiſſum apparebit, rurſus ex inſtitutionibus emendati Quintiliani recolligatis. Ac primùm à deſinentibus in a uocali prima incipiamus.

De Orat. lib. 3. & in Bruto.

Σωματοποιΐα, Somatopœia, corporis facturam indicat, cum incorporeæ res ad corporatam loquuntur. nam σῶμα corpus, & ἡ ποιΐα, uel τὸ ποίημα, factura.

προσωποποιΐα, Proſopopœia, idem ferè, cum introducitur perſona, quæ nunquam fuerit, uel alia pro alia. πρόσωπον maſculino genere apud eos perſona eſt.

ὀνομα

ὀνοματοποιία, Onomatopœia, nominis fictio, ſeu nomen pro nomine. ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, id eſt, à nomine.

ταυτολογία, Tautologia, eadem uerborũ & ſenſus repetitio. ad euphoniam cum ſic compoſitus ſermo: λογία ſermocinatio, ταυτὸ autem nũc quaſi in ſe ipſum, uel reciprocum.

περισσολογία, Periſſologia, ſuperflua locutio. nam περὶ circum, uel ſupra ſignificat.

παλιλογία, Palilogia, reduplicatus ſermo. πάλιν, iterum: unde ſimili compoſitione παλινῳδία, renouatus cantus.

ἀναλογία, Analogia, proportio quædam, & argumentorum conuenientia.

ἀμφιβολογία, Amphibologia, idem ferè. nã ἀμφὶ & ἀνὰ idem ſonat: aliquando ambiguitatem. idem amphibolium. nam βουλὴ, conſilium, ſententia, auctoritas.

ἀντονομασία, pro nomine, uel nominis poſitione: ut, Arma uirumq; cano. ubi intelligitur Æneas, cum uirũ dixit, per quandã excellentiã.

καλλιοφωνία, Calliophonia, ſiue καλοφωνία, pulchra, ſiue bona conſonantia, ſiue ſonus. nam κάλλος, pulchrum, καλὸς, bonum, & φωνὴ, uox.

τοποθεσία, Topotheſia, loci deſcriptio: à τόπος locus, θεσία uel θέσις, poſitio.

μεταφορὰ, Metaphora, trãslatio. compoſitum nomen cum μετὰ, trans, & φόρα, portatio.

ὁμογραφία, Homographia, ſimilis uel æqualis deſcriptio, uel pictura, uidelicet cum unum ſit ſimillimum alterius. In cuius figurę genere παραβολὴν, hoc eſt collationẽ, & παράδειγμα, hoc eſt, exemplum contineri dicitur.

παρονομασία, Paronomaſia, agnominatio. in

hoc genere & de nominatione plurima cōprehendētur à Cicerone ex nominatione. ergo & παρὰ, quod supra, præter, ad, apud, ante, penes, cōtra, significat, & ὄνομα, nomē in cōpositione.

Ad Herenniū lib. 4.

ἐνέργεια, Energia, operationem & efficaciā significat: enargia uerò, euidentia est.

ζεῦγμα, Zeugma, connexio. nam ζεύγνυμι, iungere est. hanc figuram grammatici triplicē effinxerunt: Protozeugma, Mesozeugma, Hypozeugma, uno sermone, uel paucis multa comprehendentes.

ἐνθύμημα, Enthymema, argumenti genus uelocissimum & breuissimum, cum uno tantū assumpto concludimus. unde Iuuenalis: Aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema. ab aliquibus intempestiuus profertur elēchus, seu græcè ἔλεγχος, argumentatio.

ἀλληγορία, usu frequētissimo pro alieniloquio potest interpretari, & quidem alieni sermonis expositio, ut fabulis præcipuè cognoscitur, in sensu posita, uerborum nuditate percipitur. nam ἄλλως, aliter, & λέγω, dico, ac λαλῶ, loquor interpretantur.

πρόβλημα, Problema, propositio, comprehendens annexam interrogationem. nam πρὸ, ante est, perinde ac præceptio quædam seu occupatio: quia aduersario locum subducimus pro iure suo respondendi, alium denuò faciendæ responsionis tanquam laqueum ingerendo.

ἐρώτημα, Erotema, interrogatio, ut sæpè apud Tullium est. Sed dupliciter efficitur: aut cum nulla responsio sequitur, aut nobis ipsi respondemus.

περιπλήρωμα, Peripleroma, supplementum, scilicet

licet aliquo ſermone ſuperante,ad ornatum tamen orationis.nam περὶ,circum uel circa ſignificat,& πλήρωμα,plenitudinem.

Terminata in η uel ις, loco ſecundæ uocalis.

Στολὴ,Syſtole,correptio ſyllabæ,quæ natura producta uideatur, uel quandoque extenditur contra breuitatis morem.

συναλοίφη,Synalœphe,ſuprà in diphthongo œ memorata.

ὑπαλλαγὴ,Hypallage,ſubalternatio,ſiue ſubmutatio, notiſsima apud poëtas figura (ergo nō in ſoluta oratione opportuna)ut,Dare claſſibus auſtros. *Aeneid.3.*

ὑπερβολὴ,Hyperbole,ſuperiectio. hæc quoq; frequentiſsima.ὑπὲρ ſupra,& βολὴ,iactus.ſic hyperbaton,tranſgreſsio.

μεταβολὴ,Metabole,tranſmutatio uel cōmutatio.μετὰ,trans.

παραγωγὴ,uel παράγωγον, Paragoge uel paragogon,deriuatum uel deductum ſonat.

διαστολὴ,Diaſtole,diſtinctio. nam & paradiaſtole dilatatio eſt, cum διὰ uel δι,per,uel propter, ſæpè diſiunctionem ſignificante.

ἀναστροφὴ,Anaſtrophe,inuerſio uel conuerſio. στροφὴ,cōuerſio : unde, Strophades ,in Virgilio, Graio ſtant nomine dictæ. *Aeneid.3.*

ἀποκοπὴ,Apocope,abſciſio, figura frequens, à κόπτω,ſcindo.

συνεκδοχὴ,Synecdoche, eademq; propè figura σύλληψις,Syllepſis conceptio,cum uel à parte totum,uel à toto partem aduertimus. σύλληψις igitur ut ſuprà,ſimul acceptio,à uerbo λαμβάνω, accipio uel ſuſcipio.

ταπάνωσις, Tapinosis, figura in re magna humili expositione utens. potest autem esse tam ex animo humili, quàm ex infima rerũ conditione, quæ ab humo ducitur.

μετάληψις, Metalepsis, figura transumptione, translationem, transpositionémue significat.

κατάχρησις, Catachresis, abusio, uel usurpatio: cum κατὰ præpositione, contra, circum, uel circumquaq;, secundum, uersus, aduersus, in, ad, per, significante: & χρῆσις, usus dicitur.

ἀφαίρεσις, Aphæresis, de qua in diphthongis per transitum memini, abscissio est, à uerbo ἀφαιρῶ, aufero uel abstraho.

ἀντίθεσις, Antithesis, uel Antitheton, cõtraria positio, ad orationis ornatum: ut, Mollia cum duris sine pondere habentia pondus. Met. 1.

ἀντίπτωσις, Antiptosis, casus pro casu: ἀντὶ contra uel pro, πτῶσις, casus.

ἀπόδειξις, Apodixis, euidens probatio: ab ἀπὸ præpositione aggerante, & δείκνυμι, ostendo, approbo.

ἀνάδειξις, Anadixis, idem ferè ut expressa alicuius persona, morumq; descriptio. nam παραδειγματίζω, demonstro, exemplifico. sic ἀνὰ & διὰ significabit.

ἀποσιώπησις, Aposiopesis, interfractum colloquium: ex σιωπῶ, sileo. figura eadem ferè ut ellipsis. uel tantulum differt, quòd hic silentium non spontè factum, sed uelut pudore uel stupore superueniens: alterum uerò ultrò factũ. quandoq; os oppilare: unde græcè dicitur ἀποστοματίζω, quod est uelut os obstruo aut intercludo, superiori sententiæ respondens.

πρόθεσις, Prothesis, præpositio, additamentũ, quasi

quaſi antè poſitum: ut, Gnatus, pro natus.

παραίνεσις, Paræneſis, admonitio.

συναίρεσις & διαίρεσις, Synæreſis & Diæreſis, ut ſuprà in diphthongis, cõiunctio, diſiunctioq́;, ad literas tantum conuenientes.

ἐπίζευξις, Epizeuſis, idem ferè eſt enizeuſis, cõbinatio duorum parium ſermonum ad uehementiam, à ſupra & iungendo, ut in zeugmate. hypozeuſis autem eſt ſubiunctio, cum ὑπὸ ſub ſignificet.

ἑπτημιμερὴς, Heptemimeris, cæſura eſt in metro, quaſi ſeptima dicatur diuiſa pars. ἑπτὰ, ſeptem, μερίζω diuido: id eſt, cum ſyllabæ de more correptæ producũtur in principio tertij pedis, uel ſeptem ſyllabæ, præcedentibus tribus ſpondæis, & ſic in quarti principio pedis.

ἔλλειψις, Ellipſis, fit à λείπω, deſero, quod rectius euphoniæ ratione. nã licet alij fortè eclipſim, ſicut ἔκλειψιν accipiant, melius tamen ut ſuprà, cum duplici l accipitur.

ἓν διὰ δυοῖν, unum per duo reſonans: ut, Pateris libamus, & auro: id eſt, Pateris aureis.

ἐπανάληψις, Epanalepſis, reduplicatio uel repetitio: ex ἐπὶ & ἀνὰ, quæ duo ſunt, & re iterũq́; denotant: λῆψις, acceptio. Iuuenalis: Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. *Satyra 14.*

ἐπένθεσις, Epentheſis, ab ἐπὶ, quod in compoſitis ſuper indicat, & θέσις, poſitio, ſicut induperator pro imperator.

ἐπαύξησις, Epauxeſis, incremẽtum, idem ferè.

ἔκτασις, id eſt, extenſio, ab ἐκτείνω, extendo, fieri dicitur in ſyllabæ breuis productione: ut, Exercet Diana choros. nam exercetque, non procedit.

περίφρασις, Periphrasis, circumlocutio, à Tullio pariter circuitio nominatur.

θέσις uel θεσία, Thesis uel thesia, positio, sicut in uoce. nam alijs in rebus nõ ita dicitur. ἄρσις, Arsis autem, eleuatio dicitur uocis.

σύνθεσις uerò aliquando compositio, interdũ confusio, ut uidemus apud Maronẽ de ijs, quę à grammaticis insolubilia dicuntur.

σύνταξις, Syntaxis, simul ordinatio, à σὺν, id est, simul, uel cum, & τάττω, ordino, & τάξις, ordo: uno uerbo, constructio.

συλλογισμὸς, Syllogismus, quẽ ex sermone uti comprehensiuum exponimus, & σὺν, mutata n in l. nam à λέγομαι, unde & διαλέγομαι: in quibus uerbis sermocinationem & contentionẽ, seu dialogum & disputationem cõprehendimus.

ἀντίστιχον, Antistichon, alia in on terminata figura, quidam & antigrammaton dixere, literã pro litera positam, sicut uersum pro uersu.

ἀντισμὸς, Antismos, quod rustico polluitur eloquio, ut in Bucolicis præcipuè in pastorum disceptationibus. βραχυκατάληκτον, Brachycatalecton, breuis terminatio.

κακοσύνθετον, Cacosyntheton, mala compositio. κακέμφατον, Cacephaton, mala locutio, uel mala consonantia. κακητὸς, Cacetos. omnia hæc à malitia uocabula, unde κακὸς, malus homo. ergo de mala compositione primũ, secundũ de inepta locutione, tertiũ de uitiosa moralitate. nã ἦθος mos, unde ethica, moralis uel morata.

διαλυτὸν, Dialyton, dissolutũ, cum διὰ & λύω, soluo, tum cum pleraque uocabula non copulantur coniunctionibus.

ὑρμὸς, quasi syrmos, cauda uel tractus oratio

nis,

nis, ſicut deſcriptio cuiuſdã loci per longiorẽ, nec tamen ineptã ſermonũ continuationẽ. unde ſyrmata, caudæ per terrã uerſatę à mulierib.

διάσυρμος, Diaſyrmos igitur diſtractio, à διὰ & συράω, traho, quod eſt diſtraho: unde Syrenes, cõtrahentes. eſt figura, cum una dictio ad duo diſtrahitᷣ, ut cygnus pro aui & homine, tota Sinonis oratio apud Virgilium, Aeneid. 2.

ἐπανόδος, Epanodos, regreſsio. nam ex ἐπὶ & ἀνὰ, quæ duo ſimul retrò indicãt, ὁδὸς, uia: quaſi retro uiam, hoc eſt, regreſsionem. ut ſi rex bonus eſt, non autem res bona regnum, quod in tyrannidem mutatur.

χαριεντισμὸς, Charientiſmos, gratificatio, cum quædam dictu dura uel difficilia, grata tamen oratione proferuntur.

μετάπλασμος, Metaplaſmos, transformatio, uel trãſportatio. hęc figura ad fabuloſa ptinet.

ὑπερβατὸν, Hyperbaton, tranſgreſsio, à uerbo ὑπερβάινω, tranſcendo, eodem quoq; compoſito cum ὑπὲρ, cuius ſpecies uariæ ſunt.

ἀναστροφὴ, Anaſtrophe, reuerſio.

παρένθεσις, Parentheſis, interpoſitio dicitur.

ὕστερον πρότερον, Hyſteron proterõ. nam in ſyllabarum, dictionum, orationumq; inuerſione huius tropi genera uerſantur.

παραγωγὸν, Paragogum, deriuatum: unde paragoge, deductio. hæc figura utraque orationę frequentiſsima.

ὁμόπτωτον, Homoptoton, figura ſimiliũ caſuũ,

ἑτερόκλιτον, Heteroclitum, ab ἕτερος alter, & κλίσις, declinatio.

ὁμοιοτέλευτον, Homœoteleuton, ſimiliter finiẽs uel cadens.

τρόπος, Tropus, uniuersale nomen figurarũ. nam τροπὴ, conuersio, propter conuersam elocutionem: unde trophæum. hinc tropologia, figurata loquutio. Quamobrem tropus figura, conuersio, propriè unius sermonis ad alterius expreſsionẽ: & atropos idcirco cum α negante seu priuante, quòd ad hominum uota non conuertatur. de quarum significationibus figurarũ cum à Quintiliano copiose memoretur, in præsentia satis à me dicta sufficiant.

DE MVLTIPLICI IN EODEM *uocabulo Græcorum significatione, contra barbarorũ morem illiteratum, simplicibus tantum signis utentium in uarijs significationibus: ac primùm de nominũ inter se compositione, partim græcè, partim latinè descriptorum.* *Pars* LXXXI.

SIc cum Guarinum finientem summis laudibus efferremus, Ioãnes senior græca sermocinatione mirè delectatus: Audieram, inquit, iam diu ô Veronensis, in græcis literis ineffabilem prædicari elocutionis abundantiam: quod quidem non solum ex hac modica figurarum explicatione facilè deprehendi, uerumetiam in disputationis tuæ principio super diphthongis, cum iocose de Philippo rege nobiscum ageres (neq; enim oblitus sum) Philippum aſſerens ideo equum suum tantopere postulare, quòd amans esset equorum, teste suo nomine, id ita Philippum significare nobis dixisti. Sed per immortalem Deũ. quid enim de hoc Philippi nomine dũtaxat interrogem, cum infinita sanè eiusmodi Græcorum uocabula

uocabula in quotidianis noſtræ linguæ uoluminibus offendantur? nec ea tamen intelligamus, tanquam picarum more ſuſurrantium ipſa duntaxat, uirorum autem locorumque propria confitentes. Enimuero, præceptor noſter, omnes ferè Græcorum dictiones geminatæ mihi uidentur, & quaſi pręgnantes: quinetiam pleræque trigeminæ, ſi dictu fas eſt, ut triſulcā in eis dixerim, qualem in ſerpentibns ferunt, linguæ uolubilitatem. Non utique profectò, ô Veronenſis, apud nos eadem dicendi copia, neque commoditas orationis, ut tu ſuperioribus diebus latinitatis noſtræ gratia nihilominus ineſſe contendebas: quod ſi uel æmulādo tu quoque idem facere coneris, non idem te in noſtris moribus elocutionis artificem inuētum. Age uerò, quandoquidem tanta in eius linguæ facultate uis eſt, & tēpus uides opportunum, quo & alia inſuper nobis uehementer cupientibus diſſertare poſsis: hortamur iterū, niſi te noſtri pœniteat, ut ſeriatim ab his de integro uocabulis, quę modò ſignificaui, demonſtres, quæ maximè ex Græcorum diſciplinis in noſtrorum uſum conceſſere: græceque nobis & latinè ſimul proferas ac ſcribas, ut cæteris præceptionibus tuis, quas hactenus nos edocuiſti, alia denuò rectè ſcribendi, proprieq; intelligendi præcepta capiamus, ad me ipſum fortaſſe nonnihil ſpectantia: ut ſenex tandem, Catonis exemplo ſenis, hac in poſtrema ætate græcas diſciplinas curem addiſcere, certè nobis omnibus, noſtræque politię profutura. Ad quem Veronenſis: Verum inquis, ô Gualenge, ac facetè de triſulci Græcorum lingua meminiſti.

 niſti.

Chaldæorũ & Aegyptiorum innuit morẽ.

nisti. Sunt in Græcis adeò pleriq; sermones tri plicem sensum coniunctum exprimentes, nec quidem barbarorũ more, uti pro singulis characteribus, multiformibusq; rerum figuris singulas quasq; intelligi uelint rerum diuersarũ significationes: in quo scribendi seu pingendi ritu, excepta primorum characterũ ad Romanum morem expositione, ut superioribus diebus habuistis, nulla Grammaticę artis, nedum oratoriæ, uel poësis extat consideratio. At in græcis literis longè alia ratio industriaque, ex quarũ fontibus, experimẽtis, artibus, quicquid potuimus, nos Latini subinde ęmulati sumus. Verùm hoc ad altissima philosophorum summorumq; poëtarum spectat ingenia. Vobiscũ autem nunc mihi de Gręcorum tantummodo uocabulorum cõsuetudine inquisitio est, qua ratione intelligi scribiq; conueniat. Iungũtur sanè gręcę dictiones dùplici, ut plurimum textura, seu pro eius gentis, quę quondam fuit diuino quodam ingenio, siue sermonum & uocis artificio. Verùm eorum linguam non triplicem tantum in suis ordinibus dixeris, uerum etiam quintuplicem, ut in re est, eloqui fateamur. Nam adeò dialecti quoq;, siue idiomata, utrumq; græcum est, in tanta eorum gentilitate, quæ Græcia Magna uocaretur, ad Ionicam, Atticam, Doricam, Æolicam, communemque spectantia sermocinationem, ut ex uarijs nominum uerborumque declinationibus diuersa etiam aliquando characterum forma deprehẽditur, quorumq; communis lingua dicitur, in communi magis usu idcirco cõstitit. De huiusmodi uocabulis, quæ plurimũ cognitiõi ue

Græcorũ dialecti quinq;.

strae

ſtræ conducunt potius, quæq; inter Latinorũ opera frequentius obuerſantur, nobis ediſſerendum eſt, quæ & tu ita coràm deſcribenda mãdauiſti. Aθ igitur, expeditis calamis ad morem diſcipulorum, qui pro ſe quiſque ſeriatim exſcribere ſolent: quemadmodum in chirographo quoq; meo nunc, quod exemplar uobis aſsignauero, diligenter ſcriptũ aduerteritis. à potioribus autem ſiue maximis incipiendum cenſeo, & ut præcones eccleſiaſtici ſolẽt in declamationibus ſuis ad populum prius auxilia cœleſtium precari, ſic nos quoq; à Deo, quem Græci θεὸν nominant, exordium ſumimus.

θεός, theos, Deus. θεόλογος & θεολογία, theologus & theologia. Cæterùm non in nominum ſolum caſibus, ſed aliarum inſuper orationis partium uariatione uobis perdiſcenda ſunt Græcorum erotemata: in præſentia mihi ſatis, rectos tantum caſus proponere.

θεωρικὴ ἢ κά, theorice, uel theorica, ſpeculatio eſt, uel ſcientia ſpeculatiua, quam comes ſequitur πρακτικὴ uel κά, practice uel practica.

θεωρία, theoria uerò pro ſpeculatione. Vtrunque à uerbo θεωρῶ, quod eſt uideo uel contemplor.

θεόδωρος uel δωρόθεος, Theodorus uel Dorotheus: ut pernoſcatis, quanta ſit græcę linguæ cũ uolubilitate iuncta commoditas, ſiquidem nulla mortalium diſciplina in ſermonum cõpoſitione tam copioſa ſit, atque diſerta. Significat autem is ſermo donum Dei. Tanta eſt in omni genere uocabulorum apud eos innata facilitas, ut ipſa etiam neutralia uiris mulieribusque accommodent, ut ſi Dorothea

rothea uel Theodora diceretur. Componitur etiam cum Δῖος itidem Deo significãte, ut Diodorus, Dei uel diuinum donum, & cum μέτρῳ, mensura, ut Metrodorus, mensurę donum. sed in compositione plerunque mutatur prosodia, id est, accẽtus: sic Xenodorus, peregrinum donum.

θεοδωρικός, Theodoricus, diminutiuum eius est, sicut in puero commodius diceretur. nam in ικος terminantur Græcorum propria diminutiua, ut πέτρος, πετρίσκος. quem dicẽdi modum Hispani in pueris eorum, ac uernaculo sermone conseruant.

θεοσέβιος, Theosebius, idem ut τιμόθεος, Timotheus, colens uel honorans Deum, seu Dei religionis úe cultor: ac μάθεος, Matheus, quod nomen cum disciplina uel discipulo Dei coniunctum est.

θεόπομπος, Theopompus, à Deo missus, mutata ι litera in ο ferè, ut Dei angelus, uel nouus homo in terris.

θεόφιλος, Theophilus, Dei amans, uel amator, melius quàm Dei amor.

θεόφραστος, Theophrastus, diuina eloquẽtia prę ditus. φράσις eloquẽtia, oratio. neq; enim me latet, plura in omni ordine comperiri posse, quã quæ nunc mihi memoria subueniunt, ex frequentioribus tamen attingentur hæc:

Δῖος, dius, uel diuus, uel generosus.

Δῖος, eiusdem generis ferè ut θεός, sæpeque cõponitur: epitheto est, ut sit dius, dia, dium, & sic diuus & generosus à nobis dicitur. ergo recte Virgilius diam Camillam ponit, & ab Homero pro δῖος sæpè θεῖος, hoc est, diuinus ponitur:

tur:neque proceres tantum,illos ingentes heroas,ut Achillem Vlyssemque ipsum pręcipuè hoc nomine,& Diomedem:uerumetiam multa præstátium dominorum animalia,ut equos Hectoris,aliaque huiusmodi Homerus plurima appellare non ueretur. Quamobrem & cōpositum nomen summam diuinitatem, Iouialiumque, ut sic dixerimus, dignitatem manifestat.

Διογένης,Diogenes,expresse Iouis genus, uel deorum indicat.

Διόκλης,Diocles,Iouis gloria : quanquam & ab Homero Diocles magnificētiori uoce prolatus, qui ab Alphæo flumine ortum duxerit. Diona igitur, quod nomen pro latino habetur, & Dionysius, quod Baccho concessum, nonnullaque similia,ad eundem sensum attrahuntur.

Δίαρχος,Diarchus,uiri proprium, à Ioue uel διὸ,& principe,nomen ueniens.ἀρχὸς,princeps, & ἀρχὴ,arche, in fœmineo genere principium. ἀρχία,principatus:ὀλιγαρχία, paucorum principatus,uti primorum in ciuitate.

ἀρχιτρίκλινος,architriclinus,uocabulū,uti modò Ioannes asserebas , lingua trisulca prolatum.nam compositum est ex ἀρχὸς,& τρὶς,principe,tribusque lectis toris uel mensis.κλίνη,lectus,in fœmineo,& quęcunque uobis in η nomina terminauero.ergo primus in aula, ter gubernator,ubi discumbentibus tres lecti siue tori sternerentur instar mensæ nostræ, ut nonnullis placet,tapetibus prius stratis, inde mantilibus.nam à poëta monstratur: ut, Tonsisq; ferunt mantilia uillis,Itidem Hispani & mul- Aeneid.1.

tæ

tæ faciunt Barbarorum nationes, alij alijs humi puluinaribus stratis discumbētes. Quidam uerò eosdem toros ad epulandum omnino lectos & cubilia putauerunt, quod ex picturis, & in Virgilij libris cernere licet aliquando, Æneam scilicet in cubili sedentem coram Didone: quia poëta dixerit, Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto. Sed, ut arbitror, à Marone altus torus effingitur, hoc est, sedes & mensa regifico luxu parata, cuiusmodi adhuc principes nostri recipiuntur: nec ab re sæpè legitur apud antiquos de mensarum apparatu, & à poëta, Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ: cum mensæ de cubili siue lecto dici non posśint, tametsi Iuuenalis dixerit, Tertia ne uacuo cessaret culcitra lecto: quam pro mēsali stramēto certè disponit, si ad tapetia, ut modò dixi, rēspiciamus. Nam quod quidam putauere, lectum ideo Codri pro toro, ubi uesceretur appositum, quia sequitur, Vrceoli sex, pro cubando magis quàm epulando significatur. nam dixit eum rabula uxore fuisse minorem. Quamobrem architriclinus, aulæ magister, in qua tres lecti, seu ipsas mensas ad uescendum, siue toros ad dormiendum intelligamus: non tamen ut in cubilibus, nisi debiles fortè discumberent.

Satyr.5.

ἀρχιμάγειρος, archimagirus scribitur, coquorū princeps: nam μάγειρος, coquus est.

ἀρχιγενής & ἀρχηγός, Archigenes & Archigos, eiusdem ferè auctoritatis & generis, uel naturę, princeps gloriosus, uel medico conueniens excellenti, qualem Iuuenalis ostendit: Aduocat Archigenem. ideoq́ue uitæ principem, uel

Satyr.6.

uel datorem seu factorem quidam interpretantur.

πλούταρχος, Plutarchus. nam græca compositio, ut superius de Dorotheo monstratum, uice sæpè mutua uersatur. Sonat autem hoc nomen diuitiarum, uel diuitem principem. unde Pluto inferorum seu terrarum dominus, ubi diuitiæ.

ἀρχίτεκτος, architectus, nomē ad tectorum fabrum, hoc est, ædificandi principem uel peritum spectans.

ἀρχίτυπος, archetypus, princeps formarum, imaginum, statuarum uel signorum: & archetypos uel archetypon in neutro, nomen primi signi uelut exemplaris, ex quo simillima conficiuntur: & hæc cum ἀρχὴ, quod principium est, superius autem cum ἀρχός.

νικέαρχος, nicearchus, uictoriȩ seu uictoriosus princeps. nam cum νίκη uictoria iungitur, quo cum nomine alias suo loco cōiunctiones enarrabimus. νέαρχος, nearchus, nouus princeps: νέος, nouus.

Δικαίαρχος, Dicæarchus. nam δίκαιος, iustus: ergo iustus uel iustitiȩ princeps. πένταρχος & πεντακόνταρχος, pentarchus & pentacontarchus: alter quinque, alter quinquaginta militum princeps uel præfectus.

χιλίαρχος, chiliarchus dicitur, & chiliarcha, more nostrorum, ut Patriarcha. est autē princeps mille præcipuè peditū, ut ueterum mos fuit, Græcorumque potissimum.

ἱεραρχία, hierarchia, sacer principatus: quod uocabulum Ecclesiastici ad cœlestes angelorū ordines retulerunt. unde & archangeli: sic patriar-

patriarchæ, tetrarchæ, à quatuor regnorum, uel regni quarta portione, principes appellati.

Τοπαρχία, Toparchia, loci principatus : τόπος, locus.

Μοναρχία, monarchia, ſolus uel unicus mundi principatus amplißimæ partis: non autem unius terrę partis orbis, aut minimæ, ſicut unius certè nationis. ſed prima ratio ualidior : ſic monarchus ſolus princeps dicitur, & monarcha. μόνος enim ſolus uel unicus, inter Græcorum compoſita nomina frequentißimum.

Μόναχος, monachus uox hac cōpoſitione mutatur, ſed quidē cum ἔχειν, hoc eſt, habere. hinc compoſitum nomē, quòd ſui ſolius curam habeat. Sed monychus, unicus unguis, precioſa gemma, & Centauri nomen.

Μονομαχία, monomachia, ſingulare certamē: pro quo nomine nos duellū apponimus, quāuis hic duplum, ſuperius ſimplum oſtenditur. nam ſcimus ſingulare certamen non ab uno, ſed à duobus concertantibus fieri ſolitum : adeò ut inter Curiatos, Horatiosque trigeminos fratres ſingulare certamen fuiſſe non impropriè dicatur. Quinetiam duellum pro uniuerſali certamine, metricè tamē : ut Iuuenalis,

Satyra 1. Galeatum ſerò duelli Pœnitet.

Μονοκόλαρις, ſic ſcribi poteſt ut dici, monocularis: quandoquidem μόνος græcum, & non latinum eſt nomen, unius oculi hominē ſignificat, melius quàm monoculus.

Μονόσκελος, monoſcelus, unicruris homo, cu-

Lib.7.capit.2. ius generis Plinius monoſcolos appellat, ac mirabiliter, quòd noſtro genere uelocius currant, σκέλος, crus.

μονο-

μονοσύλλαβον & μονόπτωτον, monoſyllabū & mo noptotum, unius ſyllabæ uel caſus nomina.

μονόξυλον, monoxylum, ex ſolo ligno fabrefa ctum aliquod inſtrumentum: ut tabulæ, cathe dræ, pelues, aluearia, ludiq; tornatum genus, quę unico plerunque ligno, hoc eſt, non cōiun cto fieri ſolent: uel quoddam genus eſt paſto- ralis, non ciuilis ædificij, ut longè ab urbibus ſæpè uidemus, in quo non clauum, non ſeram ex ferro comperias, ſed ſolum ex materiæ con tinuatione.

μόνακρις, Monacris, mons Arcadiæ, quaſi ſola ſummitas: ſed non Monacria, quia nouem ha- bet uertices Arcadia.

μονόπρωτος, monoprotus, ſolus primus, idem ut ſolus princeps.

πρῶτος, primus qui & πρόμος ab Homero di- ctus: noſtro ſermoni nomē conuenientius, & à parte anteriori uerisimilius frequentiusque coniungitur.

πρωτογενὴς, Protogenes, proprium nomen, ſi- gnificās primi generis uel primogenitum quē piam: qui tamen & alijs uocabulis πρωτόγονος, aut πρωτότοκος, protogonus aut prototocus dicitur.

πρωτομάρτυρ, protomartyr, primus teſtis. quod ideo cognomē beato Stephano datur, ob eius non primum, ſed illuſtrius in Chriſtiana fide martyrium, & de proprio nomine coronam uel coronatum ſignificans. Sic protomarchia in latinis iam habetur, tametſi ex græca ſigni- ficatione: & protonotarius, nomen ſemigræ- cum, quod plebei ſcribæ finxerunt.

πρωτολογία, protologia, ſermocinatio, quæ an- tè fiat,

fiat,nō more procemij seu prologi, ut à nostris habetur scriptoribus: sed quælibet præfatio, quę fieri soleret ante collatū alicuius officium.

πρωτοκόλλινον,protocollinum,prima conglutinatio rudis scripturæ uel picturæ, cum melior deinde sequatur: quod alioquin dicitur protochiron,opus utique rude primæ manus,ut aiunt:hoc est,primi artificij.nam in perficiendo opere ultimam dicunt manum imponi, & ad unguē expoliri. nam χεὶρ, manus dicitur. unde chirothecæ, manuum tegumenta seu repositiones,perinde ac uaginæ ad digitos. & omnia cum thesis,uel theca,per th scribi decet.

χειρουργία,chirurgia,manuum operatio:ἐργία operatio,sicut energia,efficacia:sed componendo plerunque mutantur literæ.

χειρομαντία,chiromantia, ex manibus diuinatio,qua Ægyptij adhuc Iudęiq; uti dicuntur, sicut mathematici in puerorum lineamētis,quorū artē pędomātiam dixere,id est puerorū uel de pueris uaticinationē. De cōpositis autē cū puero græcè, in diphthongis æ mōstratum.

χειρονομία,chironomia, lex gestuum ex manibus,apud priscos heroas cœpta, qua tacentes loqui uiderentur.

χειρόνομος,chironomus, ex χειρὸς generandi casu,manus,& νόμος lex,quasi magister uel regularis. est enim gesticulator manuum:ut apud Iuuen.Spectas *chironomanta uolanti Cultello.in quo loco fortasse pro epularum cęsore accipitur,nec ab re, cum sequatur de gallinæ leporisque incisione.lege enim quadam manuum diuidunt aues,qui structores appellantur.

Satyr.5.
Chironomōta.

χειρόφιλος,chirophilus,manum amās, ut sunt exqui-

exquisiti quidam manuũ curatores in earum leuitate &candore,unguiumq; sedula resectio ne: φίλ☉ enim amor,uel amans, uel amicus dicitur,ut philon à φιλίω uerbo,amo:unde φίλτρον, amatorium medicamentum, quod alio nomi ne ἔρως dicitur.unde Philortium, nomen muliebre,ab amando,cum duplici amoris significatione,quasi amans amorem, uel amantem. & Erosistratus uiri proprium,amoris exercitium uel exercitator, qui & Erasistratus dicit.

φιλομήλα, philomela,auis notissima, & nomẽ muliebre,quod tanquam amata significat,alio quin oues amans. Itidem φιλλυρὴ nympha, filia Orphei,amans lyram.Phyllis autem cum y posi to in prima & gemino l,ab Ouidio & Virgilio celebrata,alterius est rationis.

φιλόκαλ☉,philocalus,amicus bonus,uel boni studiosus, & amator:cuius contrarium significare uidetur δύσφιλ☉, dysphilus, inimicus scilicet occultus,speciem amici simulans. Diphilus,Iouis amicus.

πάμφιλ☉,Pamphilus, totus amans uel amator. nam sic à græco πᾶν rectius scribi cum n puto, euphoniæ etiam ratione: nec enim apud nos ph pro p,sed f aspirata resonat. quibusdam placet n,mihi m ante ph commutari.

φιλαλυθὺς,philalitheus, amator ueritatis, ab ἀλήθεια,quæ ueritas est.

φιλαδελφία,philadelphia,fraternitas,uel amor fraternus.

φιλόχαρις,Philocharis. est autem nomẽ amici gratiosi.nam charis & charitas cum ch ad gratiam referuntur.

φιλαργυρία, philargyria, pecuniæ uel argenti

cupiditas siue amor: & philargyrus, pecuniæ cupidus, auarus, propriè.

φιλόστρατος, Philostratus, amans exercitum, ut militaris homo. ꝓpter quod crediderim, Grecorum ueteres nomina pro officiorum ratione, uarijsq; mortalium ingenijs excogitasse, quæ tamen ad uirtutis demonstrationem proximè accederent: eandemq; dicendi rationem poëtas æmulari in uocabulorum proprietate, ut Comici presertim obseruant, cum aliquem fore ignauum, iracundum, amantem, ganeonem, loquacem, uersipellem, audacissimũ notare uelint. & Homerus quidem in epithetis suis prægrandibus æmulatur: quod ideo uocabulorum genus turpiter, uel certè ineptè apud eos interdum resonat, quorum sit proprijs nominibus natura contraria, ut in Philostrato, quod modò ostendimus: si fortè quispiam foret pacis & urbanæ rei, literarumq; studiosus, bellicæ autem inimicissimus.

δημόφιλος, Demophilus, amator uel amãs populi. δῆμος populus. quod nomen sæpè etiam cum alijs nominibus componitur, ut δημοσθένης, Demosthenes, populi robur. sic σθένος, robur, unde Sthenobea mulier. Demophoon, lux populi: & δημόδοκος, Demodocus, quasi populi æstimatio: quem pro nobili cantore Homerus apud regem Alcinoum coram Vlysse diuinum iudicauit.

φιληδονὸς, Philedonus, nomen cum uoluptate coniunctum.

φιλοδίκαιος, Philodicæus, iustitiæ amans uel amator.

φίλιππος, Philippus. de quo nomine nuper diximus,

ximus, quòd amãs esset equorum, de cuius appellationis compositione nunc subijciemus.

ἵππος, hippos, dicitur equus. quod nomen sępè uolubile, antè retroq; iungitur: ut, Hipparchus, uel Archippus, idem ex equo & principe compositum, proprium nomen.

ἱππαρχία, hipparchia, equorum principatus. nam apud Græcos quondam principes aurigandi gratia eadem ars mirè fuit celebrata.

ἀρίστιππος, Aristippus: perdit enim aspirationẽ in posteriori compositione. significat autem optimum equum, quamuis uiri nomen sit: sed dicamus sermonem esse militarem, optimus eques.

ἵππασος, hippasus, equorum insessor: non ut pro eo sit propriè, qui equitat, quem equestrẽ seu equitem dicimus: sed pro uiro ad id officium idoneo, cuiusmodi domitorem equorum appellamus.

ἱππόδαμας, Hippodamas dicitur & Hippodamus, ipse est equorũ domitor, quod nomen in signibus uiris accommodari solet (ut, Lausus equûm domitor, uel Messapus) & quasi ipsis stabulorum agasonibus. nam δαμάζω, domito, inde adamas lapillus notus, indomitus, ab eius inuicta duricie. Et Hippodamia uel Hippodame idem sonans, quamuis nomen muliebre. nam in Thracia pręcipuè eius fortitudinis sic extitere mulieres.

ἱππόλυτος & ἱππολύτη, Hippolytus & Hippolyte cum ypsilo, ab equorum distractione seu dissolutione. nam λύω, soluo. à mortis euentu uocabula, tametsi de matre nihil tale prædicatur: aut certè ab equina uiolentia, sternacitateque

dicta. unde Hippodame, ab equorum castigatione.

ἱπποκένταυρος, Hippocentaurus, equorum strenuus agitator, propter quod equus & homo biformis naturæ uideatur, tauros abigens: nomen triplicis significationis.

ἱππομανὴς ὁ & ἡ, locus impudicus, ubi equinũ genus insanit. nam μανία, insania est. ἱππόνομος, pastor armenti equini.

ἱππάγινες, hippagines, naues planę sicut rates, quibus equi transuehuntur.

ἱπποκρήνη, Hippocrene, fõs equinus, sacer musis. nã κρήνη, fons est. dicitur aũt à Pegaso equo alato in Bœotia factus, qui fontem etiam significat. ideóq; locus in Parnassi uallibus, ἀγανίππη,

Met.5. Aganippe dictus: ut Ouidius, Et Hyantea Aga
Satyr.7. nippe. Hinc Iuuenalis, Desertis Aganippes Vallibus: hoc est, ualde ab equo formatus. Cuius rei fabula ex Cadmi fortuna orta creditur, cũ equitum strenua exploratione loca nouæ condendæ urbis inquireret, eum fontem in Bœotia ideo esse compertum, mox rei nouitate & uocabulorũ gratia à poëtis maximè celebrat.

ἱππόδρομος, hippodromus, locus uel arenosa planicies ad equorum cursus: & Hippodromi, circenses ludi. Hypogeum, cum y & uno p, locus est subterraneus, ut cella, & uia siue ambulatio.

ἱπποκράτης, Hippocrates, uel potentem equũ, uel equorum dominum significat.

ἱππόχρυσος, Hippochrysus, equus aureus. Itidem Chrysippus. uel ad animalis pulchritudinẽ, ut aurea Dido, Venus: uel quòd mos sit auratos equos locis insignibus apponere.

χρυσὸς,

χρυσὸς, chryſos ergo, quod nomen aurum indicat, apud Græcos maſculinū, antè retroq́; cō ponitur, uti modò hippocryſos. Chryſes ille ſacerdos Apollinis, Chryſeis eius filia. Cæterùm hypocriſis, alia res eſt, cum ὑπὸ præpoſitione, ad latentem ſpectans cenſuram. nam ὑπὸ ſub, & κρίσις iudicium.

χριστὸς, Chriſtus autem & Chriſma ſine y, nō ab auro, ſed unctionis ſacramento procedunt. eſt enim uerbum χρίω, ungo, antiquior ſermo quàm ἀλείφω: unde Iuuenalis aliptem nominat unguentarium. ſed uetuſtius ſuperius Homerus oſtendit, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ, dicēs: hoc eſt, Et unxerunt oleo. Quamobrem ut antiquius, ſic religioni ſanctimoniæq́; conueniens magis. Satyr.3.

χρυσόθεμις, Chryſothemis, nomen muliebre, ſicut aurea Themis. nam Themis, uaticinatrix dea, à poëtis celebrata.

χρυσόστομος, Chryſoſtomus, os aureum. στόμος, os dicitur: refertur autem ad elocutionis uel copiam uel dulcedinem, quemadmodum os aliquando mellifluum appellamus.

χρυσόπασσος, chryſopaſſus, precioſus lapis, auro aſperſus: à uerbo πάσσω, ſpargo. & χρυσόπρασος, chryſopraſus, gemma uiriditate porracea, auroq́; nitens. praſon, porrum ſignificat.

χρυσόλιθος, chryſolitus, lapis quoq; precioſus: ut Ouidius, Per iuga chryſoliti poſitæq́; ex ordine gemmæ. Ergo & hic auro conſperſus, uel in colore auro ſimillimus. nam λίθος, lapis dicitur latinè, quod nomen quibuſdam iungitur dictionibus. Metam.2.

λιθόστρωτον, lythoſtrotum, pauimentum lapideum, ſeu munitio uiarum propriè. poteſt &

domesticæ habitationis pariter ex lapidibus stratis esse pauimentum, qui sermo uidetur semilatinus.

λιθαργύριον, lithargyrium, spuma argenti, cum tamen ex lapide sit, & uulgari sermone dicitur *marchasita. ergo lapis argentea uena compositus, ex cuius tritura librarij literas scribunt argenteas. sicq; cum argento & lapide multi sermones componuntur, ut lithopyros, lapis ignitus.

Pyrites potius est marchesita, uel lithopyros, ut paulo pòst uocat.

πῦρ, pyr, ignis, multa sibi nomina comprehēdit: ut pyra, rogus, & Pyrrhus proprium, rufus, rubeus, uiuax ut ignis. Idem Pyrrho Pyrrhonis nomen proprium, & pyrgus ac pyrgi turres, quòd in acutum tendunt. Et Pyrenęi montes, & empyreum cœlum, ab igne, quod putāt igneum.* Pyrous, nomē equi solaris, ut apud Ouidium, Metam. 2.

Pyrois.

πυράκμων, Pyracmon: de quo fabro Virgilius in Vulcanijs armis. nomen ex igne & incude formatum. ἄκμων, incus.

πυργοτέλης, Pyrgoteles, celebris gemmarum sculptor, ex igne ac fine per euphoniam nomē compositum.

πυραμὸς, Pyramus, quidam geminant r propriorum auctoritate. Pyramis & pyramides, tumuli in acutum editi, ut Mutinæ adhuc uidentur antiquorum monumenta.

πυροκλῆς, Pyrocles, Cylicis filius, ignis inuentor, uelut ignis gloria componitur.

κλέος, cleos igitur gloria, cuius & alia sunt fœminei generis uocabula, ut δόξα uel δοξή. Rursus δόξα cum alijs nominibus coniungi solet: ut, orthodoxa, cœnodoxa, uel cenodoxia.

cum

cum alterutra diphthōgo, quod prædiximus, alias insuper habet præter gloriæ significationes. Cæterùm κλέος antè retroq; componitur.

κλέανθος, Cleanthus. sed etiam aliquando Cleanthes, idem tamen gloriæ uel gloriosum florem significans. nam ἄνθος, flos dicitur.

κλεάνδρος, Cleander, nō Oleander, ut quidam characteris similitudine decipiūtur. Cleander ergo, uir gloriosus est.

ἡρακλῆς, Heracles: sed nos in Herculem mutamus, unde Heraclidæ, heroes antiqui. significat autem Iunonis gloriam. nam ipsa Iuno ἥρα dicta, quæ dominam significat.

περικλῆς, Pericles, gloriæ gratia nomen excogitatum, si cum præpositione περὶ & κλέα, gloria: si cum πειρία, experientia, expertam gloriam significabit.

σοφοκλῆς, Sophocles, sapiens & gloriosus, nomen celebre poëtæ Tragici.

διοκλῆς ἢ διοκλεῦς, Diocles uel Diocleus, à Iouis gloria: nomē insigne per Homerum, ut in superiori coniunctione cum διὸς dictum est.

δόρυκλος, Doryclus, Priami filius, nothus, interpretatẽ lanceæ gloria. δόρυ, lācea. unde apud Curtium δορυφόροι, hastas argenteas aureasque præferentes. Iliad. 11.

ἀριστοκλῆς, Aristocles, optimus & gloriosus. sic Stratocles. ἄριστος itaq; optimus, qui sermo uariè coniungi solet.

ἀριστοτέλης, Aristoteles, optimum finem significat. τέλος, finis.

ἀριστοξενὴς, ἢ νος, Aristoxenes uel Aristoxenus, optimus uel optimorum admirator. unde & Polyxena non cum duplici s, multum admirabilis.

bilis.ſed de πολὺ aduerbiali coniunctione aliàs dicendum.

ἀριστοκράτης, Ariſtocrates, optimus & potens. nam κράτωρ, eſt potens, uel tenens, aut poſsidens:unde κρατερὸς & κράτιστος, potentior & potentiſsimus dicitur.ſicq; Deum παντοκράτορα appellamus, quòd omnia poſsit & poſsideat.Cęterùm & cum alijs alio modo cõiungitur, ut ἀριστοκράτεια,potẽtia, uel optimatũ principatus.

ἀρίσταρχος, Ariſtarchus,optimus princeps.

ἀριστοφανὴς, Ariſtophanes, optimus, uel optimè ſplendens,apparens,excellens,eminens.

ἀριστόνικος, Ariſtonicus,optimus, & uictorioſus.nam cum uictoria iungitur.

νίκη, nice igitur uictoria dicitur, antè retroq; uocabula multa conglutinat.

νικόλαος,Nicolaus,uictoria populi, aut populus uictor.

νικανώρ,Nicanor,ν magnum pro ι ſubiuncto, uir uictorioſus.nam ἀνὴρ, ἀνδρὸς habet.unde Andreas, uirum ſignificat uirilem. ideoque Nicander eadem ratione proprium nomen:& ἀνδρόνικος, Andronicus idem ut Nicanor, & Nicander,uir uictorioſus.

νικόστρατος,Nicoſtratus, itidẽ Stratonicus uerſa uice ſignificãs: & Nicoſtrata,mulier, uel Stratonica: à uictorioſo exercitu ducta uocabula, στρατὸς enim exercitus eſt, qui & ſuis coniungitur pariter,ut ἐρωστρατὸς, πολυστρατὸς, ad amorem exercitus militiæ úe formata uocabula: hinc & ſtrategemata ubiq; ſine aſpiratione, exempla conſiliáue militaria, quibus homines ad ſimilia facienda ducuntur.

νικητήρια,niceteria,uictoriæ ſignacula & pręmia.

mia. de quibus Iuuenalis : Et cæromatico fert niciteria collo. Satyra 3.

νικόμαχος, Nicomachus, uictoriosus pugnator. nam cum μάχη, pugna componitur. μάχη igitur pugna, & μαχία pugnatio, quæ retrò frequentius adiungitur.

θρασύμαχος, Thrasymachus, nomen strenui pugnatoris.

ἀντίμαχος, Antimach9, cōtrà uel ultrò pugnās.

ἀμφίμαχος, Amphimach9, circūquaq; pugnās, uti circundatus à pluribus: quod Vlysſi contigit, ut in Iliade exclamanti ſociorū auxiliū. uel certè enſis rotatorem impigrum demonſtrat.

ἀνδρομάχη, Andromache, fuit uxor Hectoris, nomen ſignificans uiriliter pugnantem.

σύμμαχος, Symmachus, commilitonis deſignat officium, quaſi ſimul pugnantis : ſed alioquin inter propria refertur nomina. * Stimachon autem in Bucolicis, ex ſtigmate, id eſt, nota, uel puncto, & pugna. In Daphni, Stimicon.

ναυμαχία, naumachia, pugna naualis. ναῦς, nauis, ut in diphthongorū principijs memoratū.

καλλίμαχος, Callimachus, καὶ ἀγαθόνικος, Agathonicus. ubi ſanè uidetis orthographia opus eſſe aſpirationis contrarietate. cum unum in fine aſpiretur, non à principio : aliud in medio, non in fine. ſed librarij ſuo ſemper more peruertunt, quaſi à ſcriptoribus aliquid prætermiſſum, uel non bene poſitum uideatur. Sunt autem nomina hæc idem ferè ſignificantia, bonum pugnatorem, bonumque uictorem, ſeu pulchrum, uel honeſtum. ergo cum ἀγαθὸς, bonus, honeſtus indicatur, multas ſecum iungit appellationes.

ἀγαθο-

ἀγαθοκλῆς, Agathocles, bonus, honestus, uel gloriosus, ut de cleo diximus.

ἀγαθόσθενης, Agathosthenes, bonus & fortis. nam cum σθένος, id est, fortis sociatur, qui sermo suas itidem generat copulationes. tanta uis est in græcis literis eloquendi, ut δημοσθένης, populi robur: ἀντισθένης, contrà ualens, uel fortis, uel robustus. quæ quidem syllaba σθε maximè in medijs inuenitur. nam si in primis ut Stephanus, alia res est sine aspiratione, ut alibi docuimus. Sic καλλισθένης, bonus, honestus, pulcher, fortis, multaque eiusmodi. Sed ex alijs in alias sæpenumero uenimus cõpositiones, græcæ linguæ exuberantia, uti nunc in dictione καλὸς, calos bonus, quæ itidem sonat ut ἀγαθὸς. ergo καλότεχνος, Calotechnus etiam ipse dictus, qui antea Callimachus, quòd fuerit optimus artifex. quanquam & hic sermo artifex τεχνίτης propriè dicitur, & τέχνη, techne, uel magis latinè techna, ars, ut Terentius de Parmenonis techna demonstrat, non expressa tamen fallacia, uti quidam in Terentio legentes exposuere: quæ ne tamen uideatur ad mala semper intelligi, cum eu præpositione aduerbiali iungitur græca εὖ, quod bonum uel bene significat, ut εὐτέχνη, bona ars: non autem cum εὖ, interiectione contraria. Cæterùm καλὸς, κάλλιος & κάλλιστος, omnia eadem significãtia magis ac minus. Sic Calophilus, Philocalus, nõ philocolus,* ut sæpè Bocatianum opus appellant: quo nomine bonum & studiosum amatorem appellamus. nam ideo sic extenduntur in principio syllabæ, nonnunquam geminando retenduntur: i uerò in fine simplici scribendo. hæc autẽ

Bocatij Philocalus Italica lingua scriptus est.

in

In proprijs præcipuè nominibus cõſideratio.

κακὸς, cacos itidem ſæpè componitur, id eſt malus, ineptus, deformis, improbus, inutilis, contrarius ſermo priori * à Marone deſcriptus, quaſi proprium nomen Cacos, quo rariſsimè utitur: & ſanè præter malitiæ ſignificationem ſonus eius turpis apud nos habetur. Homerus autem frequentiſsimè utitur, ad quem nihil de communi inter Græcos uoce pertinet. Cæterùm Cacus non in prima ſecundáue aſpirationem recipit, neque c geminat, quamuis producatur. neque enim duo contraria ita ſocientur, ut rectè dici queat calocacus, aut cacocalus, hoc eſt, bonus & malus, uno uocabulo, neque iuſtus & iniuſtus, ac id genus: quemadmodum probè cõponitur δύσφιλος, contrarius amicus, aut Chryſippus uel Hippochryſus. Cõponuntur & alia propè infinita quodammodo & cum ſequentibus.

De Caco latrone Virgil. Aeneid. 8.

ἱερὸς, ſacer, ut Hieronymus, cui adiectum eſt * νόμος, lex, facta literæ claudicatione o in y uti ſynonyma. Hierapolis, ſacra ciuitas. πόλις ciuitas uel urbs. Hierapicra, ſacra & amara, ideoque medicinæ conueniens. Hierarchia, ſacer principatus. Hieroſolyma, ſemigræcum, ex ſacro & loco Iudæo. Hieri, quidam ſacri populi ultra Sauromatas, quia belli & inſidiarum dicantur immunes, nihil iniuſtè agentes, mares & fœminæ æquè barbati, Herodoto auctore: & ultra hos eſſe monoculares, quos poëtæ Cyclopas finxere. Et cum λύκος, lycus, lupus, ut Lycophron Lycomedes, Lyciſca, Lycida. Græcè κύνος, canis eſt. * Et Hirpos lupus, quaſi arpos, hoc eſt rapax: & hinc ἅρπη, ἁρπάγη, ἅρπυια, ab ἁρπάζω rapio,

Alij ab ὄνομα, non à νόμος, factũ putãt, id eſt, à nomine, ut ſit ſacrum nomen.

Locus ſine dubio corruptus & mutilus.

rapio, nomina poëtarum. Sic igitur à cyno siue cane cynomya, musca canina. nam μῦια, musca, & μῦς, mus, apud nos ypsilon in u sæpè uertentes. κυνοκέφαλ☉, Cynocephalus, quem Babuinum populariter à uoce uel gestu turpi dicimus: sic appellatus græcè, quòd habeat caninum caput, reliqua simiæ propiora. Sunt sanè istius generis recti pedis animalia græcis descripta nominibus, ut cercopitheci, simiæ, cati, mustelæ. Sed ad sermonem nostrũ redeamus. Inde cynocephalia, herba caput canis assimulans. Cynoglossa, herba, à caninæ linguæ similitudine. Cynorhodon, rosa syluestris. nam ῥόδον, rosa, compositum nomen: cuius ideo radicem auctor est Plinius meus maior morsui canino profuturam, dato succo cum lacte. Cynipheï, hirci sunt lingua Punica. Virgilius, * Cyniphei tondent hirci: cum illic comantes habeantur. Sic cum ἡλίῳ, id est, sole multa iunguntur, ut Heliades, Phaëthontis sorores. Heliopolis, in Asia soli dicata ciuitas. Heliotropia, herba est, uel caulis se ad solarem cursum conuertens: τροπὴ, conuersio. Helichrysos, flos aureus & splendidus: quanquam sol aureus interpretari queat. de ἄνθει, id est flore, iam diximus. Heliocaminus, locus præcipuè superior, & sub dio ad hybernum solem idoneus. Hæc nõ cum ἄστυ urbe componuntur, sed Astyanax, urbis imperator, rex uel protector, compositum nomen cum ἄναξ: quo frequenter utitur Homerus de Agamemnone, qui fuit uerus Argiuorum dux re & nomine: nam constanter & perseueranter perstitit. μένων enim manens est, & ἄγαν ualde. Inde & Astycratea, proprium

Lib. 8. cap. 41. & lib. 25. ca. 2.

Georg. 3. Cyniphij.

prium mulieris, ab urbe, & possessione, uel potentia: quidam syllabam addunt, Astysicrateam proferentes. Astyages, ille rex Medorum, quem somniantem aduertisse aiunt, filiam urina sua orbem implentem. hæc omnia ab ἄστυ urbe. quem sermonem ita uult & Donatus intelligi super Terentium, ubi legitur: An in astu uenit? scilicet ex portu Piræeo, aliud ex alio malum subintelligendo. Nam qui in urbibus degunt, callidiores sunt in agro degētibus. Quòd si sic intelligendum, aut per ypsilon excribetur, aut y in u de nostrorum more conuersum apparebit. nam alio in loco pro astutia certè ponitur ab eodem Comico in eadem comœdia, * Qui si astu rem tractant: cum tamen alterum ab altero uideatur, astutiam nempe ab urbana consuetudine, nō rusticana procedere. Cum ὀρθὸς, rectus, quædā sociantur, ut orthodoxus, & orthodoxa uel doxia, ad rectam opinionem, uel sectam aut gloriam aliquando spectantia. orthologus, rectè loquens. Orthographus, rectè scribens. cuius rei scientia uel experientia potius orthographia est, de qua nunc quæstio nobis est admodum magna.

Eunuch.

Eunuc. Quòd si astu rem tractauit.

φύσις, physis, natura, multis adiungitur, ut physica, physiologus, physiologia, physionomia: in quorum sermonum prima syllaba librarij nostri sæpè præcipitant, ut aut philosophum philosophiamq; cum ypsilo pariter scribendū opinentur, aut superiora sine ypsilo scribenda ad inferiorū imaginē existimarint. Quidā & python, pythiaq; hinc duci credidere, q̃ ille serpens natura terræ fuerit: quorū ratione magis

magis uideretur cum th describendum, quasi φύσις χθονὸς, hoc est, terræ natura. Itidem ἔρις, lis litis, uel controuersia, paria sibi componi desiderat, ut ἐριχθόνιος, Erichthonius, à poëtis pro terræ lite celebratus. inde Erinnys inferorum. Erimantus nulla cum aspiratione, qui litem serendo diuinat. de quo Iuuenalis: *Aut Dysphilus, aut Erimantus. Erimanthus cum th, & lite tamen iunctum nomen. de quo Virgilius: Aut *Erimanthi placarit syluam, & Lernam tremefecerit arcu. Et Eridanus, hic noster Padus, cuius furiosas sæpè eruptiones trepidamus. Simili ratione Erasinus, fluuius Achaiæ. Itidem Eriphysa, insula in Æolijs. *Erisichthon, ille famelicus insignis, lis cum frumento uel pane. nam σῖτος, frumentum est: ideoq; parasiti & sine ypsilo, & Gnathones cum th, ab ingluuie describuntur. Ericates, militare nomen, quod poëta homini lite confracto sapienter accommodat. Et Erillus philosophus. Eribœa, de boue contentio Græcorum, nomenque nouercæ Mercurij. Eriphyle, muliebre nomen, iræ portam significans. πύλη græcè, porta. sed in tali cōiunctione frequenter ponitur aspiratio, ut sciamus in græcis sermonibus harum literarum π & φ mutuam esse consonantiam. Erythræum autem mare, ab Erythreo rege rubicundo, qui fuit Persæ & Andromadæ filius. hinc & Erythræa Sibylla.

Saty. 3. ubi Diphilus legitur, & interpretatur Iouis amicum.

Aeneid. 6. Erymāthi scribūt alia ratione, et pro syluam, nemora.

Ouid. Met. 8.

Virg. Aen. 10.

πλεῖστος Græcè multus interpretatur, cum o paruo, qui multa sibi adiūgit uocabula, ut πλεῖστως cum ω magno, quod multum uel quasi plus significat, ut plistomax uel polystomus, hominem oris ampli demonstrans. Plistarchus, multus

tus princeps. Pliſtonicus, multũ uictorioſus. Pliſtiphagus, cataphagus, panphagus, uel pantophagus, polyphagus, multa uel cuncta comedens. nam φάγειν, eſt comedere.

μακρὸς, μικρὸς, apud Græcos, longus & paruus latinè, contrarijs ſignificationibus nomina ſociantur: & Macrobius, homo longæ uitæ, à μακρὸς, longus, & βίος, uita. μακρόπους, longorum pedum. μακρόχειρ, longarum manuũ, quod & nos latinè componimus, ut longimanus. Macrologia, longa ſermocinatio, quæ omnia contraria fient, ſi cum μικρὸς reponantur: ut, micrologia, modica uel exilis ſermocinatio. & hac quoq; uelut inexplebili uocabulorum compoſitione cum λόγος ſæpè componuntur, ut catalogus, dialogus, theologus, prologus, & multa huius generis. Cæterùm uel ut memoria, uel ut narrandi opportunitas inciderit, euoluamus. Igitur in mortalium rerum uarietate ſunt & ichthyophagi, ſermo quidem multa cum orthographia pernotandus, quo Plinius maior utitur. neque enim abhorrenda, neue negligenda eius auctoris uocabula ſunt. Sunt uerò homines piſcibus ueſcentes ad ſolẽ duratis. nam ἰχθὺς, piſcis. Sic Agriophagi, quædam in India, Æthiopiaq; gens, panterarum & leonum carnibus aſſueta. ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ, id eſt, à ferocia: cum ea beluarum genera ferociora exiſtimentur, quarum ideo uiſceribus Statius facundus poëta Achillem enutritum è Chirone demonſtrat. Quid miramini? in India quoque populos aſſe uerant draconibus & ſerpentina carne ueſcentes, quos continua uenatione proſequuntur, eos ideo Plinius ophiophagos appellat. nam

ὄφις est serpens. Et ophites, genus marmoris serpentinas habentis maculas. Contrà Lothophagos, & lothos arboris fructu uictitantes. Præterea seu fabulose dictum à poëtis, siue etiam apud Thraces barbaræ immanitatis esse homines concedamus, eosdem uerò Læstrygonas dictos, ut ab Vlysse ferebatur. à scriptoribus & alia uocabula extant cognitu necessaria, ut anthropophagi, sic dicti, quòd humana carne uescuntur. quorum nominum ratione & myophagos illos appellare licebit, qui muribus in regione nostra uescuntur, ipsosq; *mu rilegas catos muribus uescentes. Hic cum omnes Veronensi lætius arriderent, uiderentq; de nominum compositionibus satis disputatum: Quinetiam & alia mihi sunt, inquit, recitare cupienti, ac infinita penè memoratu, ut initiò dixi, quòd omnis ferè Græcorum disciplina in hisce uersatur compositionibus. Igitur ut paulo antè de polyphago dicebamus (iam inter aduerbiorum cōposita uersamur) sic cum πολὺ, quod multum uel grande significat, ac semper cum ypsilo scribendum. In primis est ipse Polyphemus. quia magnę uel multæ fuerit famæ: φήμη, id est fama, ut mos est *ε* literam in a sæpè conuerti: id mihi sanè ratione aduersum est, qua uocabulum fama, quanquã de cõmuni fit, ut aliàs memoraui, cũ phagus, & phucus cum ph potius q̃ simplici f describeretur, quandoquidem Polyphemus sic à nobis annotatur. Polyxenus & Polyxena cum multa admiratione composita nomina. Polydamas, multum uel multus domitor. Polycrates, multæ potentiæ, uel possessionis, uel ua-

Murilegulos alij uocant, à legendis & cõquirendis muricibus, nõ muribus.

ualetudinis: sic Polybius, multæ uitæ. Scio me eadem quandoque uocabula repetere, sed nõ frustra ob frequentem compositionem explicationemque necessariò disquirendam. Polytimos, multi precij, uel multæ æstimationis, uoce græca. timos, honor, & æstimatio dicitur.* Polysyndeton, multipliciter compositũ. Polyptoton, multorum casuum. Polypus, non polypes, Græci πολύπυς, scilicet multarum caudarum, quibus pro pedibus & manuum retinaculis utuntur. Cæterùm ad epitheton cum aduerbio mixtum descendimus. Hinc etiam * Pollymnia & Apollo, multaque id genus l duplicantia. Et cum ὕδωρ, hydor, aqua, hydrops uel hydropicus, hydrus & hydra: quia sunt serpentes, uel potius natantes aquarum. hydria, uas aquarium. Hydrargyrium, sudor argenteus. Clepsydra, uas foraminosum, retinens, remittens rorantem aquam, ut uolumus. Neque enim cum panto fit aspiratio, ut pantomimus, cum toto compositus sermo. Panthera autem, & panther græcè cũ pan & theros componitur, totum crudele, ferum, ardensque significans. πᾶν & ὅλον, id est, pan & holon, quæ significant totum uel omne, ut πολὺ & πλεῖστως indicant. Et cum his sermonibus plurima sunt, sicut holocaustum, totum combustum, antiquorum sacrificio nomen accõmodatum. καυστὸν, caustum, ergo combustũ.* Holor, cygnus auis, quia totus albus. Itẽ græcè κύκνος, cycnus. unde quædã ex grecis in c ad g nostrũ cõuertimus, & cõtrà. Holographum, totũ scriptũ: quod uocabulũ potissimè testatoris auctoritati tribuitur, qui testamentũ

πολυσύνθετον.

πολύμνεια.

Olor.

integrum propria manu, uelut chirographum ægrotus excripserit. * Hololampus, totus flammeus, collucens. unde lampas & lampus, equus Hectoris: qui sermo quamuis & hominibus tribuatur, propriè tamen montis est, multis ignibus sub noctem illucentis. Holosatrum, totum uel undique quassatum; quod inde catasatrum significabit. Et cum νυκτί, id est nocte, fit copulatio: ut, * Nyctilæus, nomen Bacchi, à sacris nocturnis. Nyctimene, ulula (nota fabula de uirgine, quæ cum patre con cubuit) quasi furor nocturnus. Nycticorax, no cte uolans coruus. nam κόραξ, coruus dicitur. Cum ἕξ, hex, id est, sex, uicissim iuncturam facimus, ut hexameron, sex dierum, * mutato in α. Hexametrum, cum sex & mensura compositum nomen, quod sonat sex pedum carmen. Hexagonum, sex angulorum: neque nomina cum nominibus tantum uel aduerbijs, ut modò cum πολὺ uidimus, sed cum uerbis etiam sociantur: ut, λευκοθέα, Leucothea ab Ouidio celebrata, alba recurrens: nam θέειν currere est, & λευκὸν, album. Et Cymothoë alia nympha undarum cursum significans. nam κῦμα, fluctus, unde cymba quoque nominatur, & cymbium deinde poculum, ad cymbæ similitudinem, non fluctus dicitur. Copulat & ψεῦδος nomen, id est falsum, dictiones suas: ut, pseudonymus, falsi nominis uel dignitatis homo. sic pseudopropheta, falsus uates: qui græcè tantũ ψευδοπροφήτης, sicut ποιητὴς scribitur.

Olympus.

Nyctelius.

Ouid. Meta. 2.

DE

DE COMPOSITIONIBVS NO*minum cum præpoſitionibus ſeu aduerbijs, pro Græcorum conſuetudine, ad latinorum uſum magis opportuna.* *Pars* LXXXII.

ITa cum paſsim de nominum inter ſeſe cōpoſitionibus græcè latineq́ue uiciſsim ſcriberemus: Adijciam, inquit Veronenſis, & pleraque de aduerbiorum, prępoſitionum, potiſsimè coniunctionum poteſtate: tametſi ex infinito uelut exemplorum aceruo deligendum, ut complurima uobis dixiſſe uiſus, plura quoq; reſtitiſſe uideantur. Cæterùm ea cura omiſſa ijs, qui Græcorum erotemata ſtudioſius inquirunt, utrum monoſyllabæ an diſſyllabæ ſint præpoſitiones: nos de his tantum, quę cognitu ſunt neceſſaria, ac frequētiori uſu ſcribenda contingunt, enarremus. Proinde non ſeruato alphabeti ordine, nec ut quæq; per ordinem in erotematibus annumerantur (neq; enim ſuperius in omni diſputatione literarū ordinem ſecuti ſumus) uti memoria ſuccurrerint, exequamur. Primumq́; ab ἀπὸ καὶ ὑπὸ, quæ à uel ab, ex uel de ſignificant, incipiendum: aduertendumq́ue cenſeo, præcipuè in compoſitionibus cum ὑπὸ, ne cum ſcriptura ſimul ſenſus confundatur inter ὑπὸ, quæ præpoſitio etiam ſub ſignificat ſuis locis, & ἵππῳ, pro equo. Qua confuſione, ut interdum deprehendi, nihil obſcœnius: ut ſi hypothecam cum iota, nō ypſilo ſcriberetur. Contraque in alijs compoſitis, ubi iota opus ſit, ſi y magis apponatur: nec minus in ſermonibus phyſis & philos circa compoſitionem conſiderandum. Sed quid

librarij curent, quibus perinde ac ſurdis canitur, ſeu magis pertinacibus, qui Græcos exiſtimant (diſputant enim inuicem quandoq; librarij de Græcorum Latinorumque figuris uelut intelligant) aliam literam pro i uocali præter hanc y non habere? Ideoque hanc duntaxat i græcam appellant, de ι & υ nullam rationem aduertentes. nec mirum, quia nec adhuc alphabeti græci literas agnouerunt, ſicque ypſilon omnibus dictionibus græcè ſonantibus interponunt, imò etiam latinis aliquando. Sic quæ litera græca ſit in ſermonibus græcis latinè tranſcriptis, ineptè deſcribunt, ac ineptius in ſermonibus ſæpè latinorum. Quid dicam, cum turpius errorem erroribus aggerant, ab y ſæpenumero ſyllabam incipientes? hoc eſt, non aſpiratione præpoſita, non modò quæ cum aſpirata y ſcribi debeat, ſi græca eſt, uti nunc de ὑπὸ pro ab uel ſub: uerumetiam ubi nulla ratione y in prima ſyllaba requiritur, ut Hippolytus. quàm fœdiſsimè igitur ſic Yppolytus, uel etiam cum aſpiratione deſcribetur? Quamobrem cognoſcatis nunc uobis dari ſummarium, ut aiunt, breuemque de ypſilo in omni dictione præceptionem, nullam penitus neue in græcis neue in latinis literis uocem eſſe, quæ ab y ſit incipienda ſine daſia in ſuperiori parte, ſi græcè deſcribendum: ſi latinè, nullam quoque ſine aſpiratione præcedente: quemadmodum in dictionibus græcè ſcriptis edicimus, nullam à poſtrema quartam ſyllabam accentu diſtinguendam. Qua quidem ratione, ubicunque uel græcè uel latinè ypſilon in principio ſyllabæ.

bæ sine aspiratione positam deprehenderitis, aut censeatis illico per iotam, id est i latinum incipiendum, aut aspirationem esse præponendam. Erroris autem causam, quare y seu à Græcis siue à nostris magis librarijs sine aspiratione aliquando relinquitur, existimo, uel quòd in Græcorum alphabeto ea litera non aspiretur, tametsi literaria comprehensione prosodia notetur: uel quòd in eorum descriptione ita minimam sæpenumero dasiam superponunt, ut uix instar puncti comprehendatur: ita scriptionis modus apud indoctos euanuit, qui ipsam dasiam non ut necessariam aspirationē, sed ut superfluum accentum neglexerunt. Cæterùm hoc ypsilon Pythagoras dicitur inuenisse, aut in ea certè humanæ sortis imaginem excogitasse, dextra læuaque tendentibus ad bona malá ue mortalibus. unde quidam rectius apud latinos cum inferiori pinnula describi putauerunt, quam Græci cum gemino ueluti cornu duntaxat figurant, ut in communi est, ac minoris formæ eorum descriptione *υ*. nam in maiori pinnulam semper obseruant Υ. Quæ quidem inferior pinnula tanquam puerilis sit ascensus, in qua ætatis prima congresсione neque boni neque mali sit animaduersio: cuius uelut acutissimi philosophi descriptionem apud inferos Virgilius noster aptissimè demonstrauit: ut,

Hic locus est, partes ubi se uia scindit in ambas, Aeneid. 6.
Dextera quæ magni Ditis ad mœnia tendit:
Hâc iter elysium nobis, at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Sed de hui⁹ literę dignitate satis, ad cętera festinem⁹.

Certè apotheca potius pro cella uinaria, aut taberna capitur: & hypotheca latinè pignus dicitur. sed hic autor non Martiani, sed Vlpiani sententiam sequitur. Vide Vallam Eleg. libr. 6, cap. 57.

Itaque idem hypotheca * & apotheca significabunt, quod apud tertiam personam repositum: pignus uerò propriè à creditore retentũ. Sed non hippotheca, ne uideatur pro equorũ stabulo, aut equino thorace nouum dictum significari. Idemq́; de apothesi siue hypothesi cõsiderandum, per quam argumentum, substantiam, materiám ue colligimus: ut percipiatis non errorem hisce sermonibus, modò rectè scribantur, neq; differentiam ab auctoribus fieri, si fortè uno in loco cum ἀπὸ, in alio cum ὑπὸ scriptum extiterit: nam idem exponunt. Et apocrisis seu hypocrisis similiter iudicabuntur, nulla ut arbitror differentia inter asimulationem & subsimulationem obstante de latenti iudicio. hinc autem geminæ præpositioni ἀπὸ & ὑπὸ frequentissimè nomina uerbaq́; sociantur: ut, ἀπόδειξις, demonstratio, cui non dissonãs παράδειξις, seu παράδειγμα, & ἀνάδειξις: quippe παρὰ & ἀνὰ cum δειγματίζω tantundem exemplum facere uel demonstrare significat. Ita cũ græcis latina miscendo, ad ueriorẽ tandem orthographiæ rationẽ ueniemus: sed ad ordinẽ rursus. Apocalypsis, reuelatio. Apocope, ut in figuris, abscisio, & ab omnibus cũ ἀπὸ profertur. Sed hypocope non minus, quouis pacto abstrahas uel subtrahas, apparebit. Apologia, quæ similiter hypologia diceretur, responsio uel satisfactio. Contrà hypopyrgium rectius dicitur cum ὑπὸ, quod locum sub turri significat: & hypocaustum, locum cui ignis subijciatur, & qui alio nomine græco caminus dicitur, quidam autem stuffam appellauere. ita consideranda prępositio est, quando suppositum prorsus signifi-

ſignificare uelimus: cuius generis pleraq; ſunt cũ ὑπὸ, non ἀπὸ, loci efficaciã deſcribẽdam oportere. Contingit autem ſæpenumerò in coniunctione uocalium fieri colliſionem, tam in nominibus quã præpoſitionibus, uel aduerbijs, quando nos uocalem primam abijcimus. itidem Græci, multoque frequentius cum geminatæ pinnæ ſuperpoſitione. una ſubtractionẽ ſyllabæ ſeu diminutionẽ ablata uocali: altera autẽ pſilen conſimili charactere, ſeu etiam græco apoſtropho, hoc eſt conuerſione, ut ', aut daſiam contrario, ut ' uel ' demõſtrante. nec ſubtrahunt tantum Græci, ſed & literas, quæ reſtitere permutant, addunt, minuunt, uel ad orationis euphoniam, uel metri neceſsitatẽ, quæ Grecos magis quàm Latinos offendunt. mutant uerò ſæpiſsimè π in φ, p in ph, quod hoc exemplo colligitur: ut, ἀφ' ἑν, ab uno. cõuertitur enim tenuis π in aſpiratum φ: & ἓν unum ſignificat itidem, hoc eſt ab uno: cum ſcribi deberet ἀφιν, abiecta uocali, ratione ἀπὸ uel ὑπὸ. ἓν autem unum ſignificat. Itẽ ἀφ' ὧν, id eſt, à quibus. nam ipſi ponunt in caſu generandi, uel cum apoſtropho inſuper, ut φ', ad uocalis ſublatę notationem, uel ſupplementum. His proximè uidetur accedere ὑπὲρ præpoſitio, quæ nõ minus quàm ἀπὸ & ὑπὸ noſtris in lectionibus frequenter uerſatur: ſonat autem ultra, ſupra, præter, & ualde, ut apud Homerum modò legebam, ὑπὲρ ὅρκια δηλήσαντο: id eſt, ualde ruperunt iuramẽta. Aliquando pro, ut ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis: nonnunquam ſub, tanquam ὑπὸ. ergo diligenter aduertendum in eius compoſitione, ut cum ypſilo & aſpiratione ſemper ac ſimplici p deſcribatur. Iliad. 4.

batur. corripitur enim prima, cuiusmodi sunt nonnulla in figuris suprà memorata. Et ut Hyperboreus, quod supra uel ultra Boream significat. Hypermetrum, supra morem metri, seu metrum superabundans. Hyperiphania, superbia, ubi addita est litera ad euphoniam. Hyperbaton, transgressio. & pleraq; similiter iuncta, quæ facilè à præpositione dignoscuntur, cuius nihil in coniunctione proijcitur. Omnia uerò quæ cum διὰ, seu δὶς uel δὶ iunguutur, semper i latinum in ipsa præpositione accipiunt. Significat autem διὰ per, accusandi casum frequentissimè regens: sed uelut de re extracta, seu exclusiua, sicuti Per te, hoc est, propter te. In generandi casu etiam utuntur Græci tanquam de inclusiua re, ut Per se, propter te, uti auctore te factum: ut aliàs memini hoc in Græcorum scribendo genere Leonellum principem exempla dedisse. Cæterùm huius compositionis, cum διὰ precipuè, est dialogus & dialectica, à uerbo διαλέγομαι, disputo uenientia: quod est ueluti cõtraria putare, pro cuiuscunq; scilicet opinione. non ut inscitè pędagogi quidam exponunt, à διὰ, id est duo, quia sit duorum sermocinatio: cum ipsa disputatio, quæ alio etiam uocabulo dicitur ζήτησις, uel quæstio, siue dialogus, uoce græca melius pro disputatione suscipiatur, à διὰ, per, non duo significãte, uel ad δὶ aut δὶς differentiam. enimuero potest esse disputatio trium aut plurium in eodem dialogo personarũ, ut sæpè uidimus: ad hoc non δὶο, sed δύο duo significat, cuius ratione y in u mutauimus. Neque enim Diabolus horridum uocabulum à δύο, sed à διαβάλλω uerbo procedit, quod sonat criminor,

criminor, itidem cum διὰ compositum. ergo diabolus criminator, seu criminum iactor & seminator: quod in malignum sæpè potest hominem accidere, quo sermone idcirco utitur ciuiliter Plautus. Componitur autem & σύν, id est simul, uel cum nomine, uel cum uerbo quoque. sæpè enim in m, l uariata, ut sym, syl, idem totum significante, ut nos coniungo uel committo. ex his igitur compositis sunt symbolum, symposium, symphonia, symmysta, symmetria, id est commensuratio, nota uocabula. Synechon, à nostris continens. nam ἔχω habeo significat. hinc synodus, syncategorematica, id est consignificantia cōponimus: & syllogismus, collocutio mutua, ut in consilio secreto. Syllaba, à σύν græcè, & λαμβάνειν, simul accipere, uel comprehendere: quod contrarium est superiori uerbo διαβάλλω. Sic ergo n mutatur in speciem literæ consequentis, ac multa sunt hanc præpositionem ineuntia nomina & uerba, in quibus omnibus aduertendum est, ut semper cum y græco describantur. At cætera prosequor.

Κατὰ græcè composita multipliciter annotatur, ac in regendo uarios hæc præpositio more græco casus & sensus acquirit. nam quandoque nos transferimus pro uersum uel uersus: ut, κατὰ νεάπολιν, uersus Neapolim, quod nouam significat urbem. Hoc autem disiunctim sic apud Græcos ut nostros, quandoque coniunctim incidit: sed in græcis, non nostris, ac facta syllabæ claudicatione respectu sequentis, ut suprà ostendimus de psile & dasia,

ſia, aut utraque pſile. nunquam gemina contingit daſia. exemplum eſt, κατ' ὀλίγον, ablato grammate, non aſpirata litera: quãquam & hic ſimplicem nõnulli pinnulam ſuperponunt. quippe utroque modo in græcis literis, & antiquiſſimè ſcriptis ſic reperitur, & in Homeri libris, χ' ἕτερον, apparet κ in χ eſſe conuerſum, quòd ſonat, & alterum. itidem κατ' οἶκον, quod eſt domeſticatim, uel per ſingulas domos. Sic κατόρθωμα, κατόρθωματος, facta primæ literæ mutatione. qui ſermo græcus eſt circa principia Officiorum Ciceronis: latinis autẽ literis cathortoma, totum uel circumquaque rectum ſignificans. In quo genere eſt & καθ' ἧμαρ, pro quotidie, ſed ſupra differẽte duplici pinnula: ratione enim literæ daſiam poſtulantis. Idem de omnibus eiuſmodi coniunctis literis cum φ uel π uocalium abiectione, ἐπ' ἡμέραν ἢ ἐφ' ἡμέραν, id eſt ante diem: factaq́; præpoſitionis cõiunctione. nam non intercedente præpoſitione, non fit literæ mutatio frequens, ſed interdum, uti modò ex Homero ſignificaui: uerùm ſyllabæ tantũ claudicatio cum pinnularum ſupplemẽto, quod frequentiſsimè apud poëtas græcos fit. Porrò eadem præpoſitio κατὰ ſignificat iuxta: ut, κατὰ τοῦ ἑτέρου. Quoniam hic cum generandi caſu iungitur, id eſt, contra alterum uel alium, multum à grammatica noſtra differente, cum quid intẽſius incluſiueq́ue demonſtratur, ut à me modò in alia præpoſitione, & à Leonello iampridem audiſtis. Itidem hic eſt diſcriminatio, ſignificat ſecundum: ut, κατὰ Κικέρωνα ἢ Δημοσθένην, ſecundum Ciceronem, uel Demoſthenem. in uel ad: ut, κατὰ πόλιν ἢ ναὸν, in uel ad ciuitatem, aut templum.

plium. per, ut κατὰ δύο, per duo, quod certè sonã tius quàm διὰ δύο. Sed hæc inania uidentur ad græcè scribentes præcepta: de alijs etiam uideamus, quæ nobiscum sæpè diuersantur. Cataphractus, totus munitus. ergo undique armis armatus, cum equo etiam circum tergora clypeato. Catalogus, Catholicus, dempta uocali prima. nam qui uniuersalis rectius quàm spiritualis diceretur. Catacrisma uel catacrisis, condemnatio, nullo pacto cum aspiratione, neque cum y: sonat autem contra iudicium. nam tametsi in Catholicus, ut modò & Catharina, ac similibus cum aspiratione uideatur, non respectu præpositionis est, sed alterius suæ compositionis, quæ cum aspiratione describitur. ergo κατὰ, contra aliquando significat. Cæterũ catachresis, contra usum. nam græcè est χρῆσις usus, & κρίσις iudiciũ: unde Crito, quasi iudex apud Terentium. Sic inter κ & ι non parum intererit, ut apud Græcos inter i lõgũ & breue. Ideoq; catachristicè, dicimus abusiuè: in qua præpositione cũ latinis literis huiusmodi sermones scribendi sunt, licet in uoce gręca uel significatione cauendũ est, ne κ pro c unquã apponatur, quod sæpè uos admonuisse memini. Neque uerò Christus cum χ, ut multi scribunt, id est chi græco, alijsúe literis græcis scribendum est, sed latinis in latina descriptione. Idẽ κατὰ, undique uel circumquaque, quod paulominus à toto differt, uti modò memorauimus. In quo genere est καταβάθυνον, id est circumquaque uel undique demersum aut profundum. nam βάθυνον, profundum uel fouea, βάθος item profunditas. idem in uerborum collectione, ut

ut καταῤῥέω,id eſt,purgo.nam à ῥέω fluo , unde ca tarrhus,in quo r geminatur gratia literę gręcę, quæ deberet aſpirari.Itidem phthiſis,ſputio à uenis fluēs:nā alia ſputio eſt phthiſis, pulmonis ingraueſcētia,unde ſputū demū ſeu excreatio,quæ proijcitur. Quid abhorretis, ô iuuenes? etenim huiuſmodi uocabula ſic intelligi oportet,quomodo proferri debeant, ſicut exſcribi:quæ frequenter uidemus,in Plinio maiore potiſsimum,ac latinis uoluminibus interpoſita.De μετὰ prępoſitione,quę ſignificat trās & poſt,in compoſitis ſuis non minus aduertēdum,ne unquam aſpiratio interponatur, niſi ſubeunte uocali aſpiranda, eadem ratione pinnularum,ut de κατὰ prædictum, & in ſermone καθολικὸς uidere potuiſtis.eiuſmodi autem ſunt, ut metamorphoſis, metalepſis, metodus.uti nunc abiecta aſpiratione protinus intercedit ratio ſermonis aſpirandi,eadem in græca ſcriptura proſodiæ ratio ſeruatur.Simpliciter uerò prolata diuerſas itidem acquirit ſignificationes,frequentius quoniam,cum ſignificat.Qua quidem coniunctione ſæpè Græci ſuperfluè uti uidentur,ac ſi diceres:Vir cum multa ſcientia præditus. Latini hoc in loco tali coniūctione non utuntur. Aliquando autem poſt ſignificat,& pariter accuſandi caſum regens,ſicut ὀπίσω,poſt:ut,μετὰ θάνατον ἢ ἔξοδον.hoc eſt,Poſt mortem uel exceſſum . Cætera de μετὰ & ὀπίσω meminerimus, uti de διὰ,ἀπὸ uel ὑπὸ. quandoque accuſatiuum,uti modò , interdum generandi caſum,ut dixi, modò κατὰ. ſic & in μετὰ & διὰ more græco,cum *auctorem rei à poſſeſſo diſcernimus:ut,μετὰ μοῦ,cum me,uel mecum ſignificabit,

Autorem pro poſſeſſore, & domino, accipere uidetur.

ficabit, quia sit in generandi casu. quanquam & alioquin generandi casu componitur: ut, μετὰ δυνάμεως, uel μετὰ δόξης, cum potentia uel gloria. μετὰ μὲ, iuxta me, uel trans, uel ultra me. Itidem de ὀπίσω, ut μετὰ, κατὰ, διὰ, ὀπίσω μοῦ: Post me ipsum, uti de meo tergo, non post tergum dici uideatur: ut ὀπίσω me, post tergum exclusiuè, siue extrinsecè, quemadmodum de post me uenientibus diceretur. Denique μετὰ cum sexto seu dandi casu sæpè apud Græcos iungitur: quæ prępositio pro in uel inter à nostris interpretatur, ut Homerus in Iliade sæpè dixit, μεταμφοτέροισι: hoc est, in utrisque, uel inter utrosque. Quorsum hæc tandem ac tot in græcorum grammatica reuoluta? ut scilicet nostra cum græcis, & græca cum nostris uicissim incedere uideatis. Ac de ἐπὶ præpositione multa forent enarranda, ut epistola, epilogus, epigramma, epithalamium, epicherema, argumentatio uel ratiocinatio, epitoma, epitheton, epilepsia uel epilepsis, epithema, epitheton, epicedion, carmen nondum sepulto cadauere: epitaphium, sepulto. epistylium, pars propriè columnæ superior, quod capitellum populariter dicitur. Alij totum id putant superius, quod ipsis columnis sustinetur, ut sunt speculatoria quædam loca, seu deambulatoria, quas superiores porticus dixerimus, alijs insuper columnis minoribus honestatas. Ephodos, & ephebus. perdit enim i. Ephemerides, tabulæ diurnales, aspirationem euphoniæ gratia recipientes. Frequentius tamen ἐπὶ supra significat: aliquando sub, tanquam ὑπὲρ. & sic sæpè componitur, nunquam tamen

tamen y recipiens, neque in principio aspirationem. nam prima corripitur. cæterùm apud Græcos generandi casu consociatur: ut, ἐπὶ τῆς γῆς, quod supra terrã interpretamur. nos enim cum ablatiuo, uel super terra: nam intra terrã ipsi dicerent. ἐπὶ τῇ γῇ, illi, ἐπάνωθεν, in uel super suorum: nos, In uel super suos. Itidem græcè ἐπ' αὐτοὺς, In ipsos uel eos: nos, in ipsis, eis, & intra ipsos, eos uel illos dicimus. Ipsi uicissim in accusandi casu, ut nos, ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν: id est, super humilitatem. item in ablatiuo, ἐπὶ τῷ λόγῳ, in sermone, oratione, ratione. & ijdem utrumque posuere in ablatiuo accusatiuoúe, ἐπὶ τὴν οἰκίαν, & ἐπὶ τῆς οἰκίας, in domũ, uel in domo: siue, In an & in as. connexè uerò, ἐποίκῳ. Quandoq; ad significat, ut ἐπὶ τὸ βῆμα, ad tribunal: politius sanè quàm in tribunal,* nisi quis dicere ostendit in tribunal. & ἐπὶ τὸν ναὸν, ad templũ, quod est, ut ἐς, id est, in, per accusandi casum, nisi alioquin supra templum exponas. Sed de hac præpositione satis. Cum ἀντὶ autem, quæ præpositio significat contra, ut in figuris audijstis, plurima sociantur: cuius generis sunt, antithesis uel antitheton, Antisthenes, antilogia, & id genus alia. Cæterùm Antiphilus & Antiphila nõ contrarium amorem significant, ut quidam in Terentio explicuere Antiphilam Cliniæ: hoc est, cõtrarium amorẽ pro utique diuerso reputantes. nam quomodo in eodem amante contrarius amor, si uicissim arderent? ergo non contrarius ut diuersus, sed uelut alter alteri mutua æqualitate respondens: quemadmodum digitum digito, ignem igni, non album nigro, aut ignem aquæ comparamus: & ut Virgilius, Cõ

trà

In ablatiuo dixit, morem nostrum spectãs, cũ datiuus sit Græcis: non ignarus, Græcos sexto casu carere, ut paulo pòst dicet.

Fortè legẽdũ, nisi quis dicere uelit, Offendit in tribunal.

trà elata mari respondet Gnosia tellus.nam id circo antitypon seu ἀντίτυπον græcè,est æqualis forma,statura,uel exemplar alterius, ut signũ in cera cũ anuli cæsura,uti modò in figuris homographiæ dictum est, ad similem descriptio nem pertinens. Sic antilabin, græcè ἀντιλαβεῖν, ex aduerso suscipere,colligereque est.Sic antidotum,sermo frequens in medicinis,ut pharmacum eadem ferè ratione. nam licet contrariò datum uel dandum significet, non tamen ita contrariò,ut unum pro altero datum intel ligamus,uelut pharmacum ægroto contrarium:sed eo consilio, ut sit morbo contrarium, res rei per oppositum, nõ diuersitatem associa ta. in cuius præpositionis coniunctione nunquam ypsilon interponendum.Ex coniunctis autem cum ἀνὰ,ἀμφὶ,περὶ,παρὰ, præpositionibus simplicibus cum i latina ubiq; nõ pauciora reperiuntur exempla. Quæ quidem præpositio nes circum uel iuxta,uel per, disiunctim ita ua rijs casibus,ut sensibus annectũtur.nam interdum accusandi casum regunt:ut,ἀνὰ στρατὸν, per exercitum,ut poëtę per exercitum incedere di cunt.Nonnũquam generandi casum, ut περὶ ἵππου καὶ ὄνου,de equo & asino. Aliquãdo pro sexto casu in:ut,ἐν ἑλλάδι,in Græcia.quãquã Græci se xto casu nõ utantur,sed nos in sexto transferimus: ut sciamus etiam in disiunctis pinnulas superapponi,sed metri necessitate. Necnõ disiunctim παρὰ accusatiuo casu associatur, tametsi de re inclusiua:ut Homerus, παρὰ μαζὸν δεξιόν:hoc est,Iuxta mammam dextram. nam cũ διὰ uel μετὰ in genitiuo poneretur.Cęterũ com positè παρὰ significat præter:paradoxa,parabo

la,paracletus,paradisus. sed hæc quasi latina, in græcis plura sunt huiuscemodi composita. περὶ frequentius circum significat, si compositum,ut periodus,Pericles: sed periodus multarum est significationum,pręcipuè tamen περὶ ad circuitum uel anfractum. Errant autem in præpositionibus ἀμφὶ & περὶ sæpè librarij cum y describentes:ideoque sæpius à nobis admonendum,ne unquam y interponatur, ut quidã scribere soliti ea litera;ut amphitheatrum,Amphitrites,Amphion,& id genus,ut in physi suprà memoraui. ἄμφω autem, ambo significat. Nec non πρὸ,id est præ, præpositio multis apponitur:ut,prologus,proscenium, locus ante scenam,ut uestibulum .Proselenus, puer ante lunam natus, hoc est, ante debitum tempus. Procyon,stella syrius, ante canem uel in ore
Georg.3. canis dictus. Distinctè autem posuit Virgilius:ut,Pede pro subigit terrã. pro,id est, ante se.nam dupliciter cum sub & pro uerbum componi non decorum existimatur. Propylæum,locus insignis, elaboratus ante portam, quæ πύλη dicitur, uti sæpè uidemus ad aulas principum, aut templa deorum ornata columnis & imaginibus fieri uestibula. εὖ, id est,ey, non cum aspiratione dolentis, ut heu. nam contrarium est,& bonum uel bene significans, seu pręposítiuè coniunctiueque, siue aduerbij more disiunctimque præponatur. præponatur sanè cum omnibus alijs partibus orationis, ideoque frequens ac multiformis eius sermonis cõpositio,ut præcipuè eunuchus,quasi bonã mentẽ habẽs, ob eiusmodi

di castrationem, qua tutius reginis inter ancillas inseruirẽt. ergo triplici uoce compositum nomen, cum εὖ, νοῦς & ἔχω. εὐαγγέλιον, Euangelium, bonum nuncium : quippe cum bonos & malos angelos putamus, dictum quoque est eudæmonas, & cacodæmonas. Eudoxus, bene gloriosus: eudoxia, bona gloriatio.

Eucharistia, bona gratificatio. Eudorus, eudoria, ad bonum munus spectantia. Euphonia, bona uox. Eudocia, bona uoluntas. Eusebius, cultor Dei religiosus, qui propriè bonæ uitæ æstimatur, uel bene uiuens. Eusebia, diuinus cultus, pietas. Eugenius, bonæ indolis, uel ingenij. Euphrosyne, ad bonam prudentiam pertinens, una Gratiarum, cui contraria est calliditas. Euterpe, bene delectans, uel bona delectatio. Eustratius, bonus in exercitu. Euander uel Euandrus, bonus uir. Contrà cum à nobis benedico compositum, ipsi in eiusmodi uerbis actiuis & passiuis εὖ separant, ut sit εὖ, & λέγω, pro bene & dico. Cæterùm ipsa præpositio non separanda est in syllaba, uti malè quidam in scribendo c à t seiungunt, ut uidemus in calce linearum : ex cuius scripturæ crebra figuratione, ut ct, satis percipitur à ueteribus, nunquam fuisse in eiusmodi charactere factam diuisionem, quam unam syllabam esse uoluerunt. neque coniunctio unquam separanda est, si itidem in fine lineæ contigerit. nam idcirco inter Que & Ac differentia est, quòd prima coniunctio desinit, altera incipit. Sed librarij de linearum æqualitate considerantes magis, nõ solum hanc coniunctionẽ ad

alterius lineę caput aſsignant, uerumetiam ſyllabas frequenter abrumpunt, quo nihil eſt in lectione deformius. Arbitror iamdudum, ô ſocij, ſuperioribus diebus me præcipuè uobis iter aperuiſſe ad eorum cognitionem uocabulorum, quæ ad orthographię cultum magis attinerẽt, tunc cũ homonymorũ ſignificationes uarias demõſtrarem, ſubinde cũ de diphthõgorum, figurarum, & ſermonum more græco compoſitione diſſereremus. Sic enim exiſtimo eorum genera uocabulorum frequentiſsimè inter latinorum uſum inueniri. Eratis & in iјs græcè ſcriptis admonendi, quæ in Macrobio, Suetonio, A. Gellio, Lactãtio, Plinijs, quæ in epiſtolis Tullij ad Atticum, atq; familiarib. Paradoxis, atq; Tuſculanis, alijsq; aliorum ſcriptorum uoluminibus, aut ineptiſsimè ſcripta ſunt librariorum imperitia, aut omiſſa ſpacijs inanibus, quas feneſtras ipſe tenebroſas appellare ſoleo. Eratis & in metrica conſuetudine, ſed adoleſcentes primùm inſtituendi: hoc eſt, ſyllabarum quantitate geminatarum, an ſimplicium, an quæ aſpirandæ ſint, uel ſine aſpiratione ſuſcipiendę. nã & aſpiratæ, ut thalamus, Hamadryades, honor, humus, homo, honeſtas, corripiuntur: nõ aſpiratæ quędã producũtur, cuius generis creberrima ſunt exempla.

Tunc Gualengus: Verũ inquis, ô Guarine, ac de ſyllabarum quidem rationibus, quæ producendæ corripiendæue ſint, plurima in parte à magiſtris ludi percepimus, nec non poëtarum ſedula tractatione. Pone uerò, ſi placet, pauca duntaxat ac ſimplicia uocabula, quæ facilius poſsis in literarum ordinẽ redigere: & adhuc

ſcias

ſcias non attigiſſe, & ad Græcorum tamen familiaritatem propius accedere, quæq; magis addubitãda forent, quo pacto in ſoluta etiam oratione ſcribi conueniret. Ad quem Veronenſis: Rurſum igitur uiciſsim exſcribite, ut ego nunc iiſdem literis aſcribo.

DE QVIBVSDAM VOCABVLIS PER *alphabeti ordinem, in quibus addubitari ſolet, quo pacto ſcribi conueniat: & primò de uocabulis ab* A. *incipientibus.* Pars LXXXIII.

ABacus abaci, de quo Iuuenalis, Vrceoli ſex: ornamentum abaci. creditur pro tabula geometrica ſatyricũ poſuiſſe, ſed propter urceolos ſex, menſæ magis conueniens. nam generandi caſu in Græcis eſt abacos, ſicut abax in recto: & ſic utrobiq; ſine aſpiratione, prima correpta. quam quidem explicationis rationem in omnibus ſigillatim oſtenderem, contra librariorum errores profuturam, niſi nimia ſcripturæ prolixitas dehortaretur. Quamobrem ut in prima quaq; ſaltem dictione ſcriptum offenderitis, ſic diligentius attendite, ubi ypſilon uel iota, ubi aſpiratio, uel non demõſtretur. Abydus, inſula: unde Abydenus, ut Leander fuit, & Hero Seſtias, à Seſto modico interfluente mari. Abyſſus, aquarum immenſa profunditas. Abſyrtus, proprium nomen. Acanthus, ſpinoſus frutex, à ſpinis græcè, cum flore amethyſtini coloris, ut creditur: hoc eſt, ualde purpurei ſicut uiola. nam uti carduus eſt, quamuis poëta metri ratione dixerit, *Satyr.3.*

Et circumtextum croceo uelamen acantho. Inde carduelis, eadē auicula, quæ propter acanthum, quo pascitur, etiā acanthys dicta. Academia & academici, ab Academo. Acasta, Acastus, Acylius, propria nomina. Acragas, mōs Siculus, à Virgilio equorū generatione celebratus. Adimantus, propriū nomen. Adytū, locus in tēplo secretior. Agrippa, tam Iudeus, quàm Romanus, ut Iuuenalis meminit, Dedit hunc Agrippa sorori: nempe ipsi Berenice, quę tamen βερενίκη à Græcis dicta. Agathyrsus, filius Herculis: unde Virg. lib. 4. Aen. Pictique Agathyrsi. Aglaia, una ex tribus Gratijs, de qua sæpè Homerus. Agonia, locus ad spectaculum: unde dicitur agon græco uocabulo, quod sæpè nos pro foro transferimus, hoc est, loco in urbe patentiori: non ab agendo, sed græco sine angulo, hoc est inflexione sit locus apertior. Alcippe mulieris: Alcippus, uiri propria, quanquam & hæc composita cum ἀλκὴ, fortitudine, & ἵππος, equo: unde & Alcides propter auitam denominationem. Alcmena antiquius, Græci tamen Alcmene.

Aeneid. 3.

Satyr. 6.

Aliptes græcè unctuarius magister, cuius meminit Satyricus. nam præter antiquum χρῖσαι pòst ἀλείφεσθαι inuentum est, quod ungere significat. Alcidæ, gigantes apud inferos. Alcides ab alio parente, Alceo auo paterno dicitur. Amphytrion, rex. Amazon neq; aspirat, neque duplicat, prima correpta. Ammodo pro deinde, gręcum est, cum accentu in antepenultima: nos tamen m duplicamus, ne quasi negatiuè uideatur, sed affirmatiuè compositum. Amethystus, lapis purpureus, uel color, ut pa-

Saty. 3. & 6.

trio sermone morellum, siue morallum dicũt Hispani. Anchora, nauis uncum instrumentũ ferreum, ad retinendas naues. Ancus, rex Romanus, à curuatura brachij notatus: alij dicũt à *clunis claudicatione, quã adhuc Hispana lingua ancã appellant: sed à græco ἄγκος, quod ad uncum & curuũ significat. Antiopa, Nyctæi filia, de qua Homerus. Automedon, Antonius, propria nomina; non idcirco cũ aspiratione, ut quidã cum th impropriè scripsere. Anxyrus, Iupiter non rasus, addita n ad euphoniam. Apocryphus, abscõsus, mendax. ἄρκτος græcè, ursus latinè, nunc autẽ pro ursa: & cynosura, pro cauda canis ponitur: ursæ tamen ambæ, mater & filius. nã aliàs arcturus caudã ursæ declarat: de quibus Ouidius, Esse duas arctos, quarum cynosura *petatur Sidonijs, Elicem Graia carina notet. ergo Elice arcti nomen accepit, cũ & plaustrũ diceretur: cuius auriga Bootes ideo arctophylax, quòd sit custos ursarũ. Artos uerò sine c, panis exponitur. Vnde apud nos artocrea cibarij genus ex farina & carne confectũ, ut Iuuenalis inquit: Salua sit artocopi reuerẽtia, ex labore scilicet panis ministrandi, uel pane laborato: ut, Dona laboratæ Cereris. Aretælogus, nõ aretalogus, ut insciẽter quidã ætatis nostræ dictionarij pro falso sermone seu sermocinatione posuerũt. fuit enim Areta uxor regis Alcinoi, de qua Satyric' innuit, & Homerus prior in Odyss. Quòd si cõpositũ uelimus, nõ tamen pro falso sermone seu sermocinatore, sed uelut de uirtute sua gloriãti, ut Vlysses uisus gesta sua commemorans. Areopagus potius cum e quàm cum i, Martis uicus. nam ἄρεα Martem dicunt,

Cruris. *Vocatur.* *Satyr.5.* *Aeneid.1.* *Satyr.15.*

dicunt,ut Homerus ἄρης habet:quem incolentes Græcorum iudices,non philosophi,Areopagitæ dicti sunt. Ariadne,non Adriana: & Arachne,non cum g,mulierum propria celebratarum. Aratus,qui de astronomia græcè scripsit,à Tullio Germanicoq; Cæsare latinè translatus. Arithmetica,de numeris scientia. Argyrippa,urbs Diomedea:corruptum tamen, seu à uetustate,siue à uulgo uocabulum.nam alioquin ἀργοστίππιον diceretur, ex Diomedis solertia,murorumq; fundamentis consistens. hinc *Argonautæ. Armillæ,ornamentum humerale. Arcadia regio,& Arcas gentilis. Archemorus,rex Thraciæ. * Archesilaus, philosophus. Archica,poëta. Architas,Tarentinus. Asylum, intemeratum,à * συλάω,traho. Asylus aūt cum i latino,œstrum dicitur. Astypale, urbs in Astypalea insula. Asculum,ciuitas Campaniæ, græcè ἄσκλον. Assyrij,quorū fuit regina Semiramis. Atalanta,uirgo uenatrix,Meleagro dilecta. Athlas,gigas, quasi pugnator, uel ab Herculea dimicatione cū esset superatus, uel ab alijs gigantibus,quos ipse certando deuicit: inde Athleta.nam ἀθλητὴς græcè est à prẹliando. Atys, nomen pueri uel fluuij:dicitur autem ab Herodoto filius Crœsi,qui prius mutus,demum locutus est contra patris interfectorem, ne eum occideret. Atomus,indiuisus,indiuiduus,ideoque incorporeus:ab α, id est,sine,& τομὴ, incisio. Athenæ,urbs ad Achaicas paludes,*ab Athide sic appellata. Athos,mons ille inter Macedoniam & Thraciā. Auctor,sine dubio cum c,ab augendo, quem uel poëtam, uel primarium, uel inuentorem, aut magistrum quem-

Argonautæ, Argiui & Græci fuere, nō ex Apulia, longè ante Diomedis tempora.

Archelaus.

alij ἀσύρω, id est traho. nam συλάω, rapio, prædor, concitoq; significat.

alij ab ἀθλώα, id est, Minerua.

quempiã appellamus. nam ex ipſo græco tranſumptum ſine c,ab αὐθέντη, ut quidam uolunt, non ita æquè conſonat.

Azymus,panis infermentatus.

DE VOCABVLIS A B. Pars LXXXIIII.

BAlliſta,propriè tormentum ad muros demoliendos. quandoque cum ſimplici l deſcribitur. eſt autem à βάλλω, iacio, licet etiam arcus noſtros de more uernaculo baliſtas appellemus: ſed id tormenti genus, quoniam magis magiſque proijcit, balliſta uerius quàm arcus dicitur, quia facilius arcus ab arceo ab antiquis appellatur. Baleares, inſulæ. quæ uox ſi à Baleo Herculis ſocio, ut uidetur expoſuiſſe Virgilius,per ſimplex l deſcribenda,non à βάλλω,iacio,neue à fundarum iactu diceretur,tametſi legatur, Balearis uerbera fundæ. *Georg.1.* Blaſphemia,græcè uituperatio, uel criminatio eſt. Barrhus, aliquando pro elephanto, ex quo βαῤῥίω formatũ eſt uerbum ab eius uocis ſono. Bractea,lamina quælibet, à breuitate uel tenuitate græcè, unde βραχύτης breuitas ipſa dicitur. Bdellium, arbor nigra,precioſa, odorifera,ſeu ipſa ebenus eſt,uel conſimilis nigri coloris.Bebritia,regio, de qua Virgilius in Daretẽ: ſed Bebriacum, non minimum oppidum Italiæ inter Veronam & Cremonam, ab inſigni clade Romanorum. *Aeneid.5.* Berecyntus, & Berecyntia mater, à monte Phrygiæ Berecynto. Bellerophon, inſignis Chymæræ debellator, ab Homero primum celebratus. Bithynia,re-

gio sæpè nominata. Byrria, seruus; & Byrsa, Carthaginis arx. Bianor in Bucolicis. Byrro Byrronis, quasi pirro, non Virro: de quo Satyricus, Byrro tenet phialas. Bisaltę, populi Scythici. Bryax, sulcus. aliquando audax, & interdum proprium nomen. Brysea, ciuitas Laconiæ. unde Bryseus, Bacchus: ideoq; sine diphthongo, quia non à Brysa. Brixia, ciuitas Galliæ cisalpinæ. Borysthenes, fluuius Scytharũ, & à Borea per euphoniam, ubi prima corripitur. Bromius, est Bacchus. Brontes, Steropes, & Pyracmon, fabri Cyclopes apud Virgilium. Bruchus à βρέσκω, rodo, malignum animal gramini, latè campos uastans. Brunchus, gutturis passio ex rheumate. nam βρόγχος guttur est. Buxus, in fœminino genere, & hoc buxum. Buxulum græcè, & uernaculus apud nos sermo & grammaticus, pyxis ex buxo. Bucolicus, nihil geminat, & * bucala à boue, non bucca, à qua fit buccina. Bucolion, maximus filiorum Laomedontis. Bucephalus, equus Alexandri, non à bouino capite, sed rictu grandiori. Butyrum, propriè bouis caseus.

Iuuen. Saty. 7.

Aeneid. 8.

bucula.

DE VOCABVLIS AB LITERA C. Pars LXXXV.

CAchinnus græcè, risus latinè. Cayster, fluuius à poëtis celebratus. Calabria, ex bono & scaturiendo. Calypso, quę dilexit Vlyssem. Calix, poculum: & Calyx, folliculus, quo fructus arboris integuntur. Calliope, & Calliopeia. nam à κάλλος seu bono, uel honesto, aut pulchro, quandoque corripi-

ripitur, aliàs producitur: ideoque interdum cum ſimplici l, ut de Calabria, aliquando retulimus: aliquando duplici, ut nunc Calliope productionis & nominis dignitate. ſic Calliopius. Charybdis, Charybdeos, prima correpta, non Carybdios. Charitas, à gratia. nam & ipſæ Charites dicũtur, Aglaia, Thalia, Euphroſyne. hinc eſt Charinus ille Terentianus. Caritas autem à carendo. Carpophorus, fructifer: qui ſermo etiam proprio nomini ſignatur, ut Iuuenalis: Dicas mollius Hemo. quanquã & Carpophoro. Carthago, non à byrſa ſolum, ſiue corio (non aſpiratur in prima) ſed à Cartha oppido nomen accepit. Arx autem Byrſa ad taurinum tergus pertinet. Carta ſine h nomen fuit unius ex Darij principibus. Catilina uiri, Catharina mulieris, propria, * quæ uidetur ex toto & amore nominata: quanquam me modò de ſimplicibus tantum rogaueritis. Crater & Cratera, à tenendo, & primus ſermo maſculini generis, alter fœminini, ſicut hic pãther, & hæc panthera. Camelus cum ſimplici l, Camillus cum duplici, ut multa ſunt heroum nomina, Marcellus, Lucullus. κάμιν☉ græcum, quanquam & hypocauſtum alio ſermone dicatur: ſed Virgilius & pleriq; caminũ libentius appellant pro eo, quem ſimili uoce populares dicunt. Cantharus, uas uinarium & fictile, ſecundum Maronem in Bucolicis. Caligula, nomen militare, imperatoris Romani, à caligarum ornamento precioſo, quod geſtari ſolebat in exercitu. nam & Carmignolam ſimili ratione pro ducis Italici, oppidique & inſulæ nomine ætate noſtra celebrauerunt.

Alij à καθαρὸς, id eſt, purus, Catharinæ nomen ducunt.

Cha-

Chalybs, unde Chalybes populi. Caniſtrum nos, græci κανάστρον. Cathedra, à ſedendo græcè. Calydon, urbs Meleagri. Cæſius, lentiginoſus. Creſſa, ex Creta inſula. Cercopithecus, ſimia caudata. Chelidonia, herba ad uiſum utilis: unde χελιδὼν dicta hirundo, à pullorum medicamine, ſiquando eis lumen extinguitur. χηλὴ pro brachio, græcè, cancri & ſcorpionis, quę ſolent eſſe dentata, ut forcipes. Cherroneſus & Cherſoneſus, à terra nomen aſſumpſit, & inſula, undique mari cincta. Cenchris, genus ſerpentis inflexibilis: de quo Lucanus, Et ſemper recto lapſurus limite cenchris. Cherſydros, ſerpens terram & aquam incolens. Adeò in tanta uocabulorum copia etiam geminata quædam adueniunt. Cylydrus, ſerpens, à κυλίω uoluo, & ὕδρος, ſerpens aquaticus. Cylindrus, lapis precioſus & oblongus, coloris uarij: de quo Iuuenal. Donant arcana cylindros. ad cuius rationem lapides quidam ruſticorum manuales ad æquandas areas cylindri dicuntur. Cyaneę & Cyclades, inſulæ maris celebratæ. Cybele, mater deorum. Cyclops, gigas. Cicures, animalia manſueta. Cyminus, lacus Hetruriæ. Cynthius & Cynthia, à monte, Apollo & Diana. *Cytheron, mons: & Cythereia, Venus. Cynoſura & arctos, uel arcturus, urſarum nomina cœleſtium, ut ſuprà cognouiſtis. Cypariſſus & cupreſſus, arboris uel pueri eiuſdem nomina. Cyclus nihil aliud quàm circulus, unde hemicyclus. Cymba, & Cymbium poculum, unde ſcyphus aliquãdo ſicut crater. Cynyras, pater Myrrhæ. Cytiſus, gramen paſtorale. Clyſter in maſculino genere, non neutro, ablutio alui.

Libr. 9. Pharſ.

Satyra 2.

Citħæron, mõs eſt Bœotiæ, ſed Cythera plurale, inſula eſt, unde Cythereia Venus.

alui. Clytemnæstra, Agamemnonis uxor. Clypeus, scutũ maius. χείρων, Saturni filius: ut, Phillyrides Chiron: dimidius homo, reliqua parte equus. Cyrus, rex. Chilon, sapiens unus è septem. Cisseus, rex Thracum, pater Hecubæ. Crypta, cauerna. Crystallus, à glacie. κωκυτὸς grecè à flendo. Corytus, uagina arcus, non sagittarum, ut pharetra. Choaspis, fluuius Medorum. Concha & Conchyle, testudinei pisces, quibus & ad purpuram cõficiendam ueteres usi sunt. Idem murex: ut, Tyrioque ardebat murice læna. & Sarræ dicti à loco: ut, Sarrano dormiat ostro. Cholera, morbus: nam χολὴ græcè, à nobis bilis dicitur. *Cotoneum, ut quidam putant, ficorum genus, à nomine urbis Syriæ: populari autem consuetudine cotonea dicũtur, de quibus ait Virgilius, Ipse ego cana legam tenera lanugine mala. κόφινος, cophinus græcè, latinè corbis. Cortina latinum à corijs, quòd sic fierent, eadem quæ & peristromata dicuntur græcè, pro aulæis. Cortyna uerò pro urbe Cretensi: ut, Stabula ad Cortynia uaccæ. Corybantes, & Corybantia æra, Cybeles. hinc & Curetes. Corylus, auellana, à loco, unde primùm traducta. χορδὴ græca dictio: ergo concordare, si de fidibus dicitur. nam alioquin à corde * non aspiratur. Cothurnus, calceamentum utriq; pedi congruum. Colonus, à Virgilio, quòd terrã colat. Colocasia, herba in Bucolicis. Conopœum, tentoriũ ad culices. nam κώνωψ, culex. Cupencus, sacerdos olim lingua Sabina. Cumatilis uel cymatilis, color fluctus maris. Cunabula uel cynabula, à pariendo uel nascendo loca, scilicet ubi infantes educantur.

Georg. 3. *Aeneid. 1.* *Georg. 2.* *Alij Cottona ficus dicunt, Cotonea mala, quæ Græci Cydonia.* *Virg. in Sil.* *Aeneid. 3.* *καρδία.*

DE

DE VOCABVLIS A D.
Pars LXXXVI.

Drachma, coronatus, nummus aureus. didrachma, siue didrachmũ, duplex coronatus.

DRamaticus, actiuus, à δράω, facio. * Drachma & didrachma, genus numismatis. Dictynna, Diana, à Cretensibus ob rete, in quo uirginis enectum corpus repererunt. Dynastæ, latinè potentes, à δυναστεία, potentia, siue potentatu. Dysenteria, intestinorum ulceratio. Dryades & Hamadryades, deæ arborũ. Daphne, nympha: & Daphnis, puer, à lauro dicti. Erant & in his colligendis perquirenda & Dialogus, Dialectica, & plurima eiusmodi, nisi, quod sæpè dico, in alijs uobis suprà literarum ordinibus exposuissem: quamobrem illinc assumite, quæ mihi non totiens repetenda existimaui.

DE VOCABVLIS AB E.
Pars LXXXVII.

ECyra, comœdia Terentij, nurus, græcè ἑκυρά. Eleemosyna, nam græcè cum ε & η. Embryo, locus materni fœtus. Emplastrum, à πλάσσω, fingo. Empyreum, igneum ut cœlum, scilicet à colore ignis. Epirus, ubi Helenus regnauit: nam græcè ἤπειρος. Ephyra uel Ephyre, alij duas putant esse ciuitates in Laconia & Arcadia. Emporium, locus mercandi uel nundinationis. Erebus, fluuius inferorum. Erato, Musa. Eremus, desertum. Erythræum, oppidum, unde una Sibyllarum. Erro, erras, errare, est id putare uerũ, quod falsum est: & error erroris, græcis πλάνη, est inanis existimatio.

Eſſedones,populi Scytharum.Eſſeda,curriculorum genus apud Gallos. Etheocles,Ethemon, Endymion propria. Ethica, moralis:logica, rationalis. Euryalus, proprium. Eurypylus, uel cum p ſola, ut græcè in p & ph fit ſæpè mutatio. Eurydice, Orphei uxor. Exodium, non exordium, cantus ſiue carmen iocoſum, ab ἐξοδιάζω. de quo Iuuenalis: Tandemque redit ad pulpita notum Exodium. & iterum, Vrbicus exodio riſum mouet. Echo, uox reſonans. Epicurus, nomen philoſophi uoluptuarij, unde Epicurei.

Satyra 3.

DE VOCABVLIS AB F. VEL PH. *Pars* LXXXVIII.

PHalera & phaleræ, ornamenta bullata: mutauerunt a ſecundum in ι, ratione euphoniæ. pertinet autem ſeu ad homines, ſiue ad equos. nam Euryali phaleras ſatis percepi, quod & debeat heroũ fuiſſe geſtamẽ, præcipuè cum legatur cingula Tyburti. * nõ enim cingula, ſed cingulæ in plurali numero ſunt equorũ ligamenta. Phanũ, ſi à ſplendore, cũ aſpiratione: fanũ autẽ f exili, à fando oracula. ſed ſuperior ratio ualidior eſt. Phialæ, omnia uaſa capacia ad menſarũ uſum. Phalanx, acies pedeſtris propriè, & nomẽ græcũ, quando uir cum uiro cõgreditur. Curtius ideo ſæpè hoc ſermone utitur apud Alexandrinũ exercitũ. φλὲψ uena eſt, unde phlebotomia, uenę inciſio. Phlegma, pituita eſt: phlegmone, tumor. Falernum, Surretinum, Maſsicũ, uina à locis dicta. * Phreneſis, deturbatio mentis: unde phreneticus.

Aeneid. 9.

Imò, cingulũ apud poëtã uidetur potius fœmininũ, numeri ſingularis, ut apud Ouid. *de Remedio amoris: Et noua uelocẽ cingula lædat equum.*

φρενῖτις, græcè

Phraſis,

Phrasis,eloquētia,uel oratio:unde Theophrastus,ut suprà de nominibus compositis. Flameum,uelum,non geminat ut flamma: flamines uerò,quasi filamines,ipsi ueterum sacerdotes.Floces,uini fœces: unde floccifacere apud Terentium,uel minimi fieri,uel fœce uinaria conspergi dignum.

DE VOCABVLIS AB LITERA G. Pars LXXXIX.

GAlletia,prouincia Lusitaniæ ultimæ Hispaniæ.Ganymedes,ille notissimus puer.Gazophylacium,à gaza & custodiendo. Genethlios,natalis. Genealogia, genesis origo.Gyrus,apud nos circuitus. Gryneū,nemus:& Gryneus,Apollo.Grypes,animalia pēnata,inter quadrupedes feras. Gryps autē uultur,& Grypes uultures,ut in Homero.*Galericus,item auis ab Æsopo Græco celebrata, quē nuper ego latinum feci, uti meorum delicias filiorum explerem. Putant uerò nostri eius generis auem apud nos esse in colore & quantitate ferè ut psittacus est, æstate duntaxat inter frondosas arbores uolitantem, ac eiusdē quasi nominis ut galericus.Galerus autem pro tegumento capitis,nomen barbarum. Glaphyrus, latinè iucundus,uel lepidus, ut glaber. Glossa cum duplici ss, potius si græcè resonare uelimus.nam ipsi pro lingua accipiunt. Gurgustium, obscura & latens taberna. Gnatho, uel Gnathon,gulosus.Gymnasiū, exercitium,&Gymnasticus epitheton.

Galericum uocat Varro, alij Galeritā, quæ & alauda.

DE

DE VOCABVLIS AB LITERA SEV *aſpiratione* H. *Pars* XC.

HAlo,halas,halitus.de quo Virgilius: Ser tisq; recẽtibus halant. Halcyones,aues illæ maris fabuloſæ. Hamilcar, Pœnus. Harena,ab hærendo,quod melius. nam ubiq; hæret in littore,& ſub aquis:alioquin ab aridi tate ſine aſpiratione,prima certè corripit.Har pe,enſis curuus,græcũ eſt, ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν. omnia à rapiẽdo,& Harpyia.Heautontimorumenos, id eſt, ſe ipſum excrucians, quem comœdiæ ti tulum nunquam magiſtri ludi rectè ſolent ex ponere.ſunt uerò duo græci ſermones, ἑαυτὸν τιμωρούμενος: non plures, ut ijdem ſtultè confun dunt. nam Donati adhuc non habetur in hãc comœdiam expoſitio. Hebdomada,ad eupho niam melius quàm cum t,licet ἑπτὰ,ſeptem:ſed nos ſæpè t in d,& d in t uariamus.Hebenus, arbor Indica nigra. Hecuba,mulier. Hedera, herba,parietibus ac arboribus hærens, perpe tuoq; uirens. Helectrum,ſuccinum. Helicon, iugum Parnaſsi.omnia hæc correpta,licet aſpi rata.*Helæus,Bacchus,ab Heli ciuitate. Hel leborus & Helleborum,herba. Helleſpontus, mare anguſtum. Hemis, ſemis:unde hemiſti chus,medius uerſus. Hercynia, ſylua maxima in Alemania maiore. Hermagoras philoſo phus. Hermaphroditus,uir & mulier. Heſpe rus & Veſperus,ac Veſperugo,ſtella.Heſperia, Italia.Hetruria,ab altero, quia eius fines, ut ait Seruius,protenſi in alterum Tyberis latus.He teroclita,alio modo declinata. Heterogenes, alienigena. Heraſiſtratus,philoſophus.Heus,

Aeneid.1.

Eleus,ſine aſpi ratione & di phthongo me lius.

uocandi. Heritius, quòd ſetis horreat. Hyſtrix, ſimilis heritio, ſed maior. Hyas, Hyades à pluendo. nam ὕω, pluo: ideo rectius legitur, ut ſæpè in antiquiſsimis legi codicibus, Pluuiasque hyadas: ut ſit pluuias epitheton. nam Pleiadas alibi apud Maronem producit primam: Cum Pléiadas, Hyadas memorat, claramq; Lycaonis arcton. Hyacynthus, ex hya dolentis interiectione, & Cynthius Apollo, ob interitum dilecti pueri. Hyæna, animal, apud Plinium mirabile, & cum diphthongo ſcribitur. Hyalus, à noſtris uitrum, & uiridis color. Virgilius libro quarto Georgicorũ: Mileſia uellera nymphæ Carpebant hyali ſaturo fucata colore. Hybernus ab hyeme. Hibiſcus, herba *hibicibus grata, id eſt, capris ſylueſtribus. In quibuſdam græcè ſcriptis non aſpiratur. Hybrida, à noſtris dicitur ignobiliter natus. Hilarus & hilaris non geminat l, quia corripitur. Hyle, materia, uti lignea. Hyllus, filius Herculis, unde ciuitas Hyllerda in citeriori Hiſpania. Hymen, carmen nuptiale. Himella, nomen fluuij Sabinorum. Hypanus & Hypanis, fluuius eſt. Helluones, Gnathones, ſeu Ganeones. Hypſiphyle, nomen mulieris. Hyrcania, prouincia. Hic quoque aduertendum eſt de compoſitis cum ὑπὸ, ut ſuprà monuimus, ne confundantur. Hirſutus, quaſi horrens: & hirtus, ſetoſus. Hirquus, oculorum angulus. Hirudo, ab hærendo carni. Hirundo, auicula. Arundo, canna. omnia correpta. Hirpi, lupi, ſicut lyci. Hyrus & Hiſpon propria nomina. Hiſtoria, ab ἱστορῶ, ſpecto. *Hiſcopus, genus nauigij exploratorij, itidem à ſpe-

Aeneid. 1.

Georg. 1.

Ibices, ſine aſpiratione.

Hepiſcopium, uel epiſcopius

ſpectando, ſicut epiſcopus, cum ἐπὶ cōpoſitus. Hiſtrio, quia ab Hiſtria primùm Romam uenit. Hordeum, ab horrore uel oriendi celeritate. Hortus, horti, ut ſit ab hortando, & ab ortu differens. Hoſtire, æquare, unde hoſtes dicti, & hoſtorium, & hoſtimentum. Hora temporis,* & Hora regio, quæ à Græcis aſpirantur: ſecundus ſermo à nobis aſpirari non ſolet, neque ora pro fune, quo nauis retinetur in littore. Horatius cum aſpiratione, ſi à pulchritudine: aut Oratius, ab orando. ſuperius præualet, quamuis corripiatur prima. Sic Hortenſius ab hortando, uel ab horto. Hudus, quaſi humidus per ſyncopam.

χώρα græcè, regio dicitur.

DE VOCABVLIS AB LITERA I. Pars XCI.

IApyx, uentus, de quo Virgilius. Iapix autem prima correpta, nomen medici, ab effectu ualetudinis. Ibix, capra ſylueſtris, quandoque aſpiratur. Icarus & Icarius, propria. Icon, effigies, & Icus ſyllaba breuis: nec græca ſolum, uerumetiam Hiſpana lingua, in ſermone puerorum, nominibus in penultima & ultima ſyllaba addimus. Icteros, paſsio ex profuſione fellis, colorem inducens ſimilem animali,* quod ἰκτερὸν uocant, colore glauco. Idios, proprius: idioma, proprietas. Idiota igitur in proprio tantum ſeu patrio ſermone peritus. Idolum, ſimulachrum, græcè eſt cum ει diphthongo: & idololatria, ſimulacrorum cultura; hoc eſt ſeruitus. nam λατρεύειν, eſt ſeruire, itaq; ſine y deſcribendum. Idomenæus, dux

Galgulum latinè appellari puto.

ille nobilissimus, qui à Cretensibus proprijs pulsus Calabriam incoluit. Iesus, non cum aspiratione: nam græcè est cum iota primo superposita psile i, nō aspiratione, & η quod pro e longa transfertur syllaba, non h, ut multi existimant græcæ rationis imperiti. Ios, insula, & ciuitas Achaiæ, in qua Homerum quidā natum uel oriundum putauerunt. Illyris uel Illyria, regio Epiri contermina. ἰλὺς, latinè limus, unde limax. Imago ex ijs etiam sermo est, qui à librarijs cum y corruptè scribitur, & Imaginor. Inarime, insula in Tusco mari, sinuq; Campaniæ, in qua ciuitas Prochyta. In primis duo sermones sunt, ut aliàs dixisse memini, in aduerbiorum proprietatibus, qui & aduerbij loco ponantur, ut adunguem, adamussim: & significant prouerbialiter cum aliquid summa cura effecerimus. Intyba, herba capillosa & amara. Ino, Cadmi filia. Incubus, Pan latinè, ab incubando. Inclytus, græcè κλυτὸς, clarus. Inchoo, incipio, à chaos. Inhio, ualde os aperio. Ioannes, sine aspiratione melius, græcè cum o magno scribitur. Iones, populi Græciæ: Ionia, regio. Iopas, citharœdus, nomen Punicū. Ioppe, urbs Palæstinæ. Iphigenia, Agamemnonis & Clytemnestræ filia. Iris, quæ pro discordia à Ioue mittitur: Mercurius pro concordia. Ironia, simulatio uel illusio. Ischyros, fortis, præpotens: quo uocabulo licet græco, pro latino tamen utuntur religiosi Deum ἰσχυρὸν appellātes, & ἅγιον sanctum, atq; ἀθάνατον immortalē. Isis, Inachi filia, Io prius dicta. Isidorus proprium. Ister fluuius, qui etiam Danubius. Isthmos, strictura terræ inter duo maria uersus
Cher-

Chersonesum. Ithyreus,quasi ἰθύνιος,directiuus ut arcus: de quo Virgilius, Ithyreos taxi torquentur in arcus.Itys,puer. Iugurtha,rex. Iulius, Æneæ filius, à prima barbæ lanugine: nam postea Ascanius dictus. Iarbas,ille Gætulus rex. K non est nostra litera,sed pro C nostro posita Græcis. *Georg.2.*

DE VOCABVLIS AB LITERA L. Pars XCII.

LAbyrinthus,ex quatuor Creticus celebratior.Primus in Ægypto,secundus in Creta,tertius in Lēno,quartus in Clusio oppido Italiæ.Lacinium, promontorium: unde Iuno Lacinia, à quodam latrone,ut ferunt, Lacino, quem ibi interfecit Hercules. Lacrymę, & lacrymor,à græco tractum:quo sermone utitur Homerus de Achille multum lacrymante pro Briseidis raptu,ubi c non aspiratum tamen,sed cum y coniungitur:ut,δακρύσας,quod sonat,Cum lachrymasset. & ὣς φάτο δακρύων, Et sic lacrymans ait,quem Virgilius imitatus dixit,Sic fatur lachrymans. Lampsacum,oppidum in Hellesponto. Lampetia, soror Phaëthontis. Lapithæ, alpestres populi in Thessalia.Larius,lacus Italiæ,à laro fulica aue,quæ ibi frequens.Larissa,oppidum,unde Larissęus, Achilles.Laodicea,regio.Laodice,filia Priami. Leucargylon,candida creta.Leucas,insula. Libyssa,ubi tumulatus Hannibal. Libyas, urbs Iudææ. Libya,regio Aphricæ. Libethrus, mons Macedoniæ. Lycaon & Lycida à λύκος, lupus. Lychnus,lucerna: & lychnites, mar- *Lib.6.Aeneid. uersu 1.*

mor ad lucernam excisum. Lictor, græcè ῥαβδοῦχος, populi minister. Lyenteria, intestinorum dissolutio. Lynter, parua nauis. Littus & litus scribitur, unum ab ἀκτὴ, quod melius: aliud à litando, quod miror, cum sit prima correpta in uerbo, in nomine producatur. * Liniamentum, in coloribus & picturis, cum secunda i: lineamenta cum e, in uenarum & oris dispositione, quibus filius ex parente dignoscitur. Loligo & loligunculа Plautinę species pisciùm sæpè. Lutum pro colore croceo, ut est lutea aurora. Lethum, mors, ab obliuione potius quàm lætum, per contrarium.

Alij linamentum uocant.

DE VOCABVLIS AB M.
Pars XCIII.

Mathematica, disciplinalis. ad disciplinã enim mathemata maximè spectant, ut Geometria, Musica, Astrologia. Marsya, excoriatus, & in amnem uersus. Masinissa, Numidarum regis nomen. Maxilla est, in qua fixi sunt dentes. Mala, faciei pars, quæ & gena dicta interdum. Mastiche, genus gummi. Mechanicus, uilis artifex. Media, prouincia, diphthongum non recipit, sic dicta à Medo, Medeæ filio. Megalesia, ludi Magnæ matri celebrati. Memnon, filius Auroræ: sic cum m secunda. Agamemnon, dux Græcorum. Melissphylum, apiastrum, & μελίλωτος. nam Græci non duplicant l in suo melle. Sic melimela semi græcè & semi latinè scribi potest cum primo simplici l. & geminato in secundo. Canna, est sucari, * à succo nectareo, non zucchari. Men-

Saccharũ, uocat Plinius.

Mentha, odorifera herba. Meſpila, quæ nos dicimus neſpila. Meſonyctium, tempus mediæ noctis græcè, à nobis intempeſtum. Metallum, æs. Methymna, ciuitas in Lesbo. Metonymia, denominatio à Cicerone. Mitra, pileus incuruus propriè, pro lorica etiam interpretamur. Mimallonides, bacchantes, à loco in Aſia. Manyæ, populi Theſſali. Myoparon, genus nauigij piratici. Myrica, uirgultum paſtorale in Bucolicis. Myrtus, arbor ſecundum Pliniũ, iuuãs uiatoré ex ea uirga portata. Myrtoum, pelagus. Myrrhina, lapis precioſus, trãſlucens, aliàs coloratus & maculoſus, aliàs nitens, è cuius lapide poculum fabrefactum dũtaxat Auguſtus dicitur ex omni præda Cleopatræ ſuſtuliſſe. Myſterium & Myſticum, ad res ſacras: miniſterium, ad profanas officium. Mythos, fabula, aliquando pro quolibet ſermone. Muſchus, animal, cum ch, unde muſchatum conficitur: muſcus autem lanugo uiridis, & ſqualor, ſine aſpiratione. Muſcari, eſt muſco tegi. Mulctra & mulctrale, uas in quo mulgetur. Mulcta & Multa, condemnatio propriè pecuniaria. Muſtela non geminat l, eſt autem ut mus longa. *Lib.15.cap.29*

DE VOCABVLIS AB LITERA N. *Pars* XCIIII.

NAnus Græcum eſt, latinum pumilio, paruulus homo. Narciſſus, puer. Nænia, ludicra, & inania puerorum. Neophytus, noua planta, Græcum eſt. Nyſus, aliàs Nyſæus, Bacchi cognomen, à iugo

Parnaſsi.Niſus,auis. Nilus,à fœcunditate humi,græcè νἆλ@.Nomius,Apollo,uel à paſcuis, uel à lege.nam νόμ@ lex eſt. Nothus,burdus, de quo Virgilius,conceptus ex peregrinis maribus.Notus,uentus meridionalis.Noxia,pœna: noxa, culpa.

DE VOCABVLIS A LITEra O. Pars XCV.

ONager, aſinus ſylueſtris: de quo genere Virgilius in Georgicis,Timidos agitabis onagros. Eſt autem compoſitũ nomẽ ex ὄν@ & ἄγει@,ſicut κάπρ@, aper ſylueſtris, remota prima litera. Onyx,lapis precioſus,in ſimilitudinem unguis. ὀψώνιον græcè, obſoniũ latinè,ſicut ἀψίνθιον,id eſt,abſinthium.nam nos ſæpè p in b per euphoniam cõmutamus. Opterus,auis eſculenta, ut apparet ex Iuuenali: Et opterus ingens.Oreades,nymphæ montium, ab ὄρ@, mons. Oreſtes, à magnitudine corporis:fortè auctoritate nominis aſpiratur, certè prima corripitur,& ab Herodoto de eius cadauere longo pòſt tempore reperto mira traduntur. Orexis,ab ore, & exeo, factus ſermo latinus.Iuuenalis: Rabidam facturus orexim. *Satyr.6.* Orcheſtra, locus ubi ſaltatur, ſeu in ſacris ludis ſiue prophanis circũpoſitis ſedilibus. idẽ Satyricus:Quæq; reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris. Orchites,oliuæ genus,à teſticulorũ imagine.Orcades,inſulæ quædam Oceani in Septentrione: & Oceanus cũ ſimplici c. Orcus,nomen fluuij infernalis.græcè eſt ὅρκ@ iuſiurandũ. Orithyia,rapta à Borea,filia regis Athe-

Athenienſis: Ortygia,à Coturnice. Oſcilla, de quibus Virgilius in Georgicis: Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu. Oſtrea,conchylia:*oſtreacum teſta eſt. Oſiris, Ægyptius Deus. Othrys,mons Theſſalus niualis: ut, Othrymque niualem. Oxyia autem ciuitas, unde oxyſchœnus,iuncus maris,quaſi funis acutus. Oua tarita,id eſt,oua ſalſa, & ſunt marini piſces, quos uulgò*betaſcas appellãt.Oppidò,ualde.Opportunus & opportunè in metro rectius geminant p,& producuntur.Oportet,cum ſimplici p,& prima correpta.

Georg.2. *Oſtracium.* *Aeneid.6.* *Botargas.*

DE VOCABVLIS A LITEra P. Pars XCVI.

PAthicus, epitheton: & pathos ,adfectus. Paſſum,muſtum coctum,à patiendo: idẽ defrutum, quòd quaſi ſit defraudatum. Pragmaticus,procurator,uel cauſidicus. nam πραγματίζω uoce græca eſt negociari :de quo Iuuenalis,Inde cadunt partes in fœdera pragmaticorũ.Pellax,fallax:ut Virgilius,Inuidia poſtquam pellacis Vlyſsi.& pellacia,fallacia. Peloponneſus,à Pelope,prima correpta. Periſtera græcè,columba latinè.Perſephone, dicta Proſerpina.Pſallo,canto:ſic & græci utuntur. Piſtrix,monſtrum marinum. Piſtris,nauis oblonga.* Pitiſma,ſaltatio,quaſi pidiſma. Pygargus,genus capræ ſylueſtris. Piga, burſa teſticulorum. Pygmæi,populi,ſeu uerius popelli minimæ ſtaturæ,in montibus Idæ. Pylos,oppidum Theſſaliæ.Pindus,mons. Pyrgus,turris:unde hypopyrgium apud Plinium

Aeneid.2. *Alij,pytiliſma græcè uocant.*

 Nepotem,

Nepotem, locus sub turri. Probatica, ouile. nã πρόβατα oues appellant in neutro genere, ut nos pecora. Proseucha, græca uoce locus statioq; sæpè communis omnibus est apud templum. Iuuenalis de misero: Ede ubi consistas, in qua te quęro proseucha. Vocabula autem à litera Q in pręsentia non occurrunt, qua litera Græci carent.

Satyr. 3.

DE VOCABVLIS AB LITE-ra R. Pars XCVII.

RHaphanus & rhaphanũ gręcè, radix nota. Rhegium, ciuitas Calabriæ. Redducere & Reducere, producit & corripit. Rhenones, ex pellibus uestes. Rhythmus, numerus. Rhinoceros, à corneo rictu. nam Monoceros aliud genus ab unico cornu in fronte. de hoc duplici genere apud Plinium distinctius: à Suetonio etiam memoratur, nequis fortè putet, uti certè quidam crediderunt, idem genus esse. Ricinus, uestis uel cauda muliebris, quòd post tergum reijciatur. Riscus, in pariete fenestra parua. Terentius in Eunucho.

DE VOCABVLIS AB LITE-ra S. Pars XCVIII.

SAtyra & Satyrus, animal dicitur, homini consimile, ut quidam putant, ac nascẽs in confinibus Æthiopię insulæ: sed pro agresti cato pleriq; magis accipiunt. Scaphium uel Scophium, non Strophiũ, ut ineptè legitur, uas seruitorium: de quo Iuuenalis in mulieres, Et ride,

Satyra. 6. ubi, Sumpserit armis, legitur.

ride,positis scaphiũ cũ sumitur armis.Saul,nõ Saule,sicut græcè est.Satagere,cũ solicitudine inceptum perficere. Sardonyx hic uel hæc,lapis est preciosus. Scalmus,lignum teres,ubi remus alligatur. Scapha,à cauando gręcè.nã solent esse ex uno ligno cauato. Serpillum,gramen illud odoriferum,ut in Bucolicis, græcè ἕρπιλλον. Semiramis, regina Assyriorum. Stéma,clara familia,uel corona.Iuuen.Stemmata quid faciũt?hoc est,coronæ,uel coronationes maiorum:non stigmata, ut quidam putauere. Sella,pro qualibet cathedra. Scylla, mulieris nomen:una Nisi,altera Glauci. Syla,mons,& sylua Lucanię:ut,Pascitur in magna * syla formosa iuuẽca.Et Scyla,manubiæ uel spolia.Sylla,uiri nomen Romani,qui etiam græcè Sulla dicitur. Sciopedes,unius cruris homines,quo se contegunt.σκία, umbra. Scyphus, propriè Herculis:cantharus Bacchi, quem apud Silenum esse Virgilius indicauit. Scirpus,iuncus. Schisma,græcum est,quasi scissura. Schœnobates,funãbulus:de quo modò dixi in diphthongis. Schola,gręcè à uacãdo.Scopulus nos,græcè σκόπελος.Scotomia,tenebratio:nã σκοτὸς,tenebrę.Scutulata,uestis muliebris undiq; cõsuta. Sibylla,Dei sententiã significãs,uel cõsiliũ. nã σιὸς deos dicũt,sicut θεὸς,& βουλὴ cõsiliũ.σύκος ficus, unde sycomoros,ficus fatua:& sycophãta,calũniator,alienos ficus comedẽs: ut aiũt Athenis quondã eius generis furibus inuentũ esse supliciũ,& sycophantas eorũ delatores.Stigma, nota uel punctus,à σίζω pũgo:nõ tamẽ ut rectius dicatur,Stigmata quid faciunt?sed,stemmata.Stylos gręcè, colũna latinè:unde epistyliũ, pars

Satyr.8.

Georg.3. & Aeneid.12. ubi etiam sylua legitur.

pars colūnæ ſuperior.στύψ græcè,hoc eſt ſtyps, omne quod facilè incenditur. Strymon, fluuius inter Macedoniam & Thraciam:unde Strymoniæ grues à Vergilio. Silenus, Bacchi ſenex:ſine y. Symeon & Simon,ut ſcimus propria eſſe:& Simia,à naribus obtuſis. hinc, Simæ uirgulta capellæ, Virgilius in Gallo.

Georg.1.

Syrenes,à συράω traho. Siui cum u medio à ſino ſinis;ſic eiuſdem omnia præterita. Spinter latinum,non græcum, ideo non aſpiratur, nec cum y ſcribitur:generat ſpinteris,fibulam que ſignificat chlamydis aut manicarū ab humeris pendentium. Strongylon,rotundum. Strophilus,auicula in Ægypto,& ab Herodoto & noſtris celebrata, quæ dicitur Crocodilus.Stupa cum p exili,στυπῶν græcè.

DE VOCABVLIS AB LITEra T. Pars XCIX.

Aeneid.3.

TApſus,inſula iuxta Siciliam,quam iacentem dicit Virgilius, hoc eſt depreſſam, quòd ferè fluctibus iactetur. Taras,Tarenti conditor. Tarracina, oppidum Volſcorum. Tragemata, bellaria,omne ſecundæ menſæ genus. Trapezita,menſarius,uel numularius,ad menſam ſedens. Thraſo,miles, à confidentia. Trapetum,mola oliuaria.

Taſium,genus uini,à loco. Thaumantias, Iris uel iridis arcus,quòd mortalium ſit admirationi. Theatrum,ſpeculatorium,& Amphiteatrum, circa ſpectaculum. Thenſæ,uehicula,quibus deorum ſimulachra portantur.

Thermæ,quia calidæ.ſic Thermopyle,mōs

ille longissimus, diuidens mediam Græciam, quemadmodum Apeninus Italiam: habet fauces angustas, quæ dicuntur pylæ, quasi portæ, & aquas iuxtà calidas. Thecla, nomen mulieris. Thecra, insula, quam Iustinus* Therānem, nostri Corsicam dicunt. Terpsichore, una ex nouem musis, à delectatione sic dicta.

Theramne, Laconiæ oppidū: Corsica, græcè Cyrnos.

Threissa, Doricè: Threitta, Atticè. Threnos, genus carminis funebris in lamentis. Thesmopboria, sacra Cereris, à lege & ferendo: unde latæ leges à nobis dicuntur. Thestylis, nomen mulieris. Tethys, Cœli & Vestæ filia. Tityrus, nomen pastoris. Trinacria, Sicilia à tribus promōtorijs. Tisiphone, ab ulciscēdo & necando. Thyasus græcè, à nostris saltatio, uel à sacrificando: sic Thyoneus, Bacchus, & Thyas eius sacerdos. Trieterica Bacchi quoq; trien nio celebratiora festa. Thyella, procella à nostris, ab Homero pro una Harpyiarū ponitur. Tiara, ornamentum capitis Persicum. Tyberis, fluuius. Thyestes, in tragœdijs proprium. Tydeus, ille ab Homero & Statio uir descriptus. Tyle, insula. Tymba uel Tumba, sicut Sylla uel Sulla, stupa uel stypa. Thymbra, odorifera multumq; syluescens, quæ ab Insubribus aliquando scariola, interdum herba sancti Ioānis appellatur. Thymum, herba: thymiama, odor suauissimus. Timauus, fluuius Venetiæ prouinciæ. Tiphus in Æmonia puppe magister erat. Tiresia utrobiq; cum iota, & sine aspiratione, uates. Tirynthius, Hercules & Apollo. Tyrrhenus, Hetruscus. Thyrsus, hasta, pāpinis inuoluta. Thisbe, Pyramo dilecta. Tithonus ab Aurora dilectus, θέλω græcè, medij tēpli

pli locus superior, in quem trabes coëunt, more testudineæ cameræ, ubi dona suspendebantur. Tomyris, regina Massagetarum in Scythia, in Cyrum Persarum regem ulta necē filij. τόμος græcè, à nostris sectio uel incisio: unde atomus, indiuiduus. Telum cum simplici l, omne quod longè iaci potest in bello: ἀπὸ τοῦ τηλόθεν. Tus, à tondendo, & thus à sacrificando deducuntur: à qua re & sacrificiorum ritus & ipsi sacrificuli processere.

DE VOCABVLIS AB LITERA V. Pars C.

VAcinium & Vacinia nigra, cum simplici c, quamuis producatur. Creditur autē esse flos hyacinthi, ipsumq; ualde purpureum, & ut in uiolis cernimus, quas itidem nigras poëta significat: & ipsæ purpureæ rosæ nigræ dicuntur. Cæterùm ex uaciniorum col-
In Alexi. lectione (nam dixit, Vacinia nigra leguntur) non tamen color purpureus, sed uiridis, eorū succus conficitur. Vcalegon, Troianus he-
Aeneid. 2. ros: dominus pro domo positus à Virgilio. Veternus hic, nō hoc ueternū: ut, Nec torpere gra
Georg. 2. ui passus sua regna ueterno: id est, graui somno. Vesulus & Vesuuius, duo montes sunt: primus in finibus Ligurum. de quo Virgilius, Ve
Aeneid. 10. sulus pinifer. unde Padus oritur. alter uerò refertissimus arborum iuxta Neapolim, ab omni monte solutus, quem ferunt Traiani tempo ribus flammas euomuisse: ad quod uisendum cum Plinius maior accesisset incautius, dicitur ignis uapore consumptus. Venaphrum,

oppidum

oppidum Veneris, à Venere & spuma. Vlyssippo, ciuitas in Hispania ulteriore, ubi Lusitania, quam quidam uolunt ab Vlysse cõditam, ideoq; sic cum ss & y scripsere. si Homerum sequimur, uulgò Lysbona uocatur. Velo, uelas, & Velum ueli cum simplici l, licet producantur: sed Vellus uelleris, à uellendo. adeò ipsa quoque puerorum rudimenta sæpè repetere opus est. Velia, ciuitas Lucaniæ. unde, Fontesque Velini: à paludibus græco uocabulo. *Aeneid. 7.* Vligo, naturalis terræ humor. unde fertilitas. Volema pyra prægrandia, quòd uolam manus bene compleant. Vopiscus, abortiuus fœtus.

DE VOCABVLIS A LITERA X. *Pars* CI.

XAnthippe, uxor Socratis querula: sonat autem splendida equa. Xerxes, rex. Xerolophus, siccus tumulus, ut ex lapidibus uel marmoribus. Xerolibya, sicca Libya, id est, deserta. nam dictum est à Prisciano Bacchum per Xerolibyam exercitum duxisse. Xystus, porticus gymnastica, in qua athletæ exercere soliti. Locus etiam esse consueuit herbis odoriferis & electioribus consitus, uti iuxta parietes hortulorum, cum peruia, sed angustiori quadam semita. Xyotheca ex uocabulo superiore & positione, sunt tẽtoria, uel discrimina, aut umbracula cubiculi siue porticus contra solem. Verba autem à litera y nulla sunt, nisi pręcedente aspiratione, cuius uocabula iam indicauimus.

DE

DE VOCABVLIS AB LITEra Z. Pars CII.

ZElotypus, compositum cum uerbo ζῆλος & τύπος, figura uel forma uocabulum, uelut formæ æmulator: unde zelotypiam difiniens Chrysippus dixit apud Laërtium, solicitudinem esse ex eo uenientem, quòd adsit alteri, quo ipse careat, uti Æneæ Dido, quę Iarbæ uideretur ablata. Zodiacus, cum i latino, & sine aspiratione, quasi dicatur animalis, ob uarias signorum uelut animalium circulo figurationes. ἀπὸ τοῦ ζώου, id est, ab animali. Zephyrus, cum y & aspiratione. quippe etiam ad uocabula uulgatissima nonnunquam perueniẽdum, quæ si propter uulgaritatem omiseris, obliuionis tamen criminatione non careant: si diligentius pertractes, doctiores fortasse contempserint. de Zetis & id genus ædificij uocabulis suprà uidimus. Et ni fallor, dilectissimi, hæc pauca iam tandem cum superioribus, quæ proximis diebus multa collegimus, ad necessariæ magis orthographiæ comprehensionem satis esse arbitramur. Neque enim in præsentia uobiscum, neue alibi meum unquam consilium fuit, de omnibus uocabulis, ut isti faciunt, ingentia uolumina describere: in qua re uos potius admoneo, ut antiquorum uoluminum familiaritate & copia delectemini. Ex ijs omnium enim generum uocabula assiduè legendo perdiscetis, & cuiuscunque sit auctoris præstãtissimus stylus, eloquendique facultas, ad imitationem proposita eam assidua exercitatione, diligentiáq; uobis cõparabitis. Ad hoc rursus

ſus hortor,ut Grȩcorum ſcripta diligentius euoluatis, collatis utriuſque linguæ exemplaribus.nam hoc pacto etiam ſine prȩceptore,quē ſemper habere non licet, græcas literas addiſcetis, quas Cenſorium illum Catonem & ſenem (uti modò Ioannem hunc,ſenē & ipſum dicere meminiſtis) in poſtrema ætate percepiſſe non puduit. Ita ſæpenumerò græca latinaq; cōparando, ultrò ad ipſius orthographiæ cognitionem uenietis. Sunt enim multa ſanè Græcorum ſcripta,ubi de hoc ſcientiæ genere diſputare conſueuerunt : quibus perceptis ad nouorum inſuper, operumque ueſtrorum cōpoſitionem adducemini. quamobrē quæ poſt hac à me uelut præterita deprehenderitis , aut ex uobis ipſis literariæ facultati penitus inhærendo,quā Leonellus noſter politiſsimus omnium princeps , literariam politiam appellari uoluit, aut ex me fortè denuò nonnunquā & alia diſputante recolligentis , aut ab alijs ſi libeat,præceptoribus haurietis.

AVCTORIS VERBA DE CONditione operis,ad ſummum pontificem Pium Secundum. Pars CIII. & ultima.

HÆc habui,beatiſsime pater,ſumme pōtifex Pie Secunde , quæ ut initiò ſcripſi, ex ſubtilioribus tū Leonelli principis, tum Guarini præceptoris diſputationibus, unà cum paucis alijs memoriȩ commendarem. Igitur quod ad te primùm attinet, ſi quando ſcientiſsimo iudicio tuo caſtigaueris, hos ſe-

ptem libros de Politia literaria, quos tibi, quoniam optimus es orator, dedicaui, in maiorem gratiarum cumulum accipiam, quàm quæ alij minus periti laudauerint. Quæ uerò ipse probaueris, etsi eadem omnes alij criminetur, tua unius commendatione cõtentus, gratulabor. nam cæteros ex meo grege nihil moror: cum mihi dubium non sit, ut in cæteris sæpè fieri uideo, qui in hac ipsa oratoria palæstra diuersantur, pro ingeniorũ uarietate eis crebras æmulorum incursiones paratum iri. Cæterùm clament illi duntaxat, uel si etiam possint, mordeant: nemo tamen sese prius à me laceratum senserit, qui suos errores planè patefecerim; ac laboris mei maiorem utiq; partem illæsam sinat, quæ præsenti sit iuuentuti atque omni posteritati profutura.

POLITIAE LITERARIAE FINIS.

RERVM

RERVM ET VERBORVM, IN LIBROS DE POlitia literaria, memorabilium, Index.

Alci-

Argy-

Bisal-

Cer-

χρυσό-

Cy-

Di-

X ἐπαύ-

Eſſe-

F

Gy-

Histo-

Lauinia

Libra-

Ludo-

Marſya

Pur-

Salu-

Sester-

Stro-

Taſium

FINIS.

